VIRI ILLUSTRIS FLAVII VEGETII RENATI, ET SEX. IULII FRONTINI VIRI...



LVGDVNI BATAVORUM.
ex Officina Iohannis Maire. 1645.

Viri illuſtris

FLAVII VEGETII RENATI,

&

SEX. IVLII FRONTINI

Viri Conſularis,

DE RE MILITARI

Opera,

Ex recenſione

PETRI SCRIVERII.

Accedunt alia eiuſdem argumenti

VETERUM SCRIPTA.

Editio noviſſima, prioribus omnibus emendatior.

LUGDUNI BATAVORUM,
Ex officina IOANNIS MAIRE.
cIↄ Iↄ c XLIV.

SERIES AUCTORUM.

I.

FLAVII VEGETII INSTITUTORUM REI MILITARIS LIBRI V.

II.

SEX. IVLII FRONTINI STRATEGEMATVM ET STRATEGICΩN LIBRI IV.

III.

ÆNEÆ, VETVSTISSIMI TACTICI, DE TOLERANDA OBSIDIONE COMMENTARIVS.

IV.

POLYBII DE MILITIA ET CASTRAMETATIONE ROMANORVM ECLOGA.

V.

CLAVDII ÆLIANI DE INSTRVENDIS ACIEBVS OPVS, AD HADRIANVM IMP.

PETRUS SCRIVERIUS
LECTORI
S.

HÆc maxime versatur Deorum iniquitas, teste Quadrigario, quod deteriores sunt incolumiores: neque optimum quemque inter nos sinunt diurnare. Atque ita est profecto. Nam inter alia præclara & quantivis pretii monumenta, quæ temporum infelicitate perierunt, veteres etiam de Re Militari scriptores præstantissimi, tam Græci quam Latini, haud semper potuerunt perennare. Desideramus vulgo, & non sine stomacho aut dolore desideramus, opera Stratoclis & Hermiæ, qui de Homerica armorum disciplina commentati erant. Item Cineæ Thessali, qui Aeneam, vetustissimum Tacticum, in epitomen redegerat, lucubrationes. Ipsius denique Pyr-

vbi Epirotarum regis, cum Alexandri, Clearchi, Pausaniæ, Euangeli, Eupolemi, Iphicratis, Posidonii, aliorumque quamplurimorum commentariis, penitus intercidere. Atque hanc quidem iacturam in Græcis fecimus; non minore damno affecti in Latinis. Quærimus hic, ut non paucos alios minorum gentium prætermittam, M. Porcium Catonem, L. Cincium Alimentum, Cornelium Celsum, Aemilium Macrum, Arrium Menandrum, & Tarrutenum Paternum; omnes viros principes ac sine controversia doctissimos. Vnus superest Polybius, ait vir magni nominis, qui de veterum militia scripserunt. Nam Vegetius, eodem censore, nihil habet meri, ac sui & superioris ævi instituta aut mores confundit. Quem Polybium cum mearum virium non esset emendare aut illustrare, & tamen publico prodesse vellem, ac bene de re bellica mereri (utique in ea tempora incidimus, ut si alias umquã, hodie certe auctores eiusmodi legendi sint & omnium manibus terendi:) Vegetium arripui.

ripui. Sic proci Penelopes, cum ad ipsam dominam accessus non pateret; cum ancillis illius miscebantur. Atqui, quæ ista prurigo est, inquies, ut actum velis agere, & λύχνον ἅπτειν ἐν μεσημβρίᾳ? Equidem fateor, Godeschalcum Stewechium optime de auctore hoc meritum: & editio eius quin præstantissima sit, plusquam manifestum est. Semel hæc iterumque prodiit, magna quidem ipsius & doctrinæ & diligentiæ laude; sed cui tamen accedere aliquid posse literatiores quidam arbitrabantur. Nam hæsisse multa vulnera, & res ipsa loquitur, & quicumque doctus aut candidus, diffiteri non potest. Hæc magnam partem ope antiquorum codicum (octo fuisse manuscriptos scias, & inter eos optimæ notæ duos, præter Editionem principem, manuscripto non deteriorem, quorum fides minime vacillabat) sustuli: & si quæ in deterius mutata esse à nuperis Criticis compereram, ea fideiubentibus membranis sedulo correxi. Introspice, Lector: nam & hic Dii sunt. Præstantissima quidem, ut supra attigi, Ste-

Vechii editio; sed non talis quæ non melior aliquanto reddi possit: ut nunc certe reddita est, aut ego egregie fallor. Quid autem ei adiiciat hæc nova editio, putidum esset & nimis longum singulatim percensere. Tribus tamen verbis, quod aiunt, indicandum. Adest, adest heic Vegetius vegetus totus valensque, ac pristinæ integritati infinitis locis restitutus: ut vere nunc RENATUS *propemodum possit videri. Paragraphis inclusa, quæ passim occurrunt, vetustissima exemplaria manuscripta non agnoscunt. Sed & quædam viri docti redundare suspicantur. Idcirco non temere abiicienda censui: cum videlicet clamantibus iis adulterinum, nonnumquam sententia ipsa reclamet, & genuinum asserat. Sed pleraque titivillitii sunt, & mera glossemata, importunissime ab hominibus iis infulta & tanquam furcillis intrusa, qui phrasin Vegetianam, aut mores ævi veteris non intelligebant. Vegetio ad istum modum serio castigato, variisque lectionibus & perpetuis Notis illustrato, reliquos etiam scriptores bellicos*

eos recensendi impetum cepi: & in his præcipue Frontinum. In quo qui ante me laborarunt membranis nullis adiuti, Coniectanea tantum & leves Notas ediderunt. Mihi vero ea felicitas obtigit, ut auctorem illum ex septem manuscriptis codicibus, facta eorum cum editis diligenti comparatione, emendare licuerit. Quibus hercules ducibus locis quamplurimis medicinam feci. Sed & persanata nonnulla nostropte ingenio, uti videre est in Notis. Adiecit huic Editioni Typographus, Clarissimi viri consilio, Aeneæ vetustissimi scriptoris De toleranda obsidione *elegantissimum Commentarium; Polybii item* De Militia & Castrametatione Romanorum *quantivis pretii eclogam, ex Historiarum sexto: & aureolum inprimis Aeliani librum* De instruendis aciebus. *Ex Græcis omnia Latine reddita, ac nova præstantissimorum virorum interpretatione illustrata. Quod si in Vegetio Frontinoque excellentissimis auctoribus uberiorem explicationem quis desideret; adeat ille (suadeo)*

Francisci Modii & Godeschalci Stewechii Notas, sive Commentaria; quæ in editione Lugd. Bat. typis Raphelengianis impressa Anno cIↃ IↃ C VII. *habentur. Vale. Scribebam in iisdem Athenis Batavis,* VI *Eid. Quintil.* cIↃ IↃ C XXXII.

P. SCRIVERIUS.

ISAACUS CASAUBONUS

PETRO SCRIVERIO V. CL.

S. D.

MULTUM tibi debeo, doctissime SCRIVERI, propter illud munus eximium, quo sum nuper à te donatus. Στρατηγικὰς tuos dico auctores; quos ante mensem unum aut alterum accepi, tuo nomine à clarissimo Baudio mihi missos. Parum me tibi videlicet obstrictum putasti, ea obligatione quæ mihi cum omnibus bonarum literarum studiosis est communis, nisi ad id vinculum aliud insuper adiiceres, quo me tibi privatim redderes obnoxium. Bene de me, bene de publico meritus es. Qui plus in literis intelligunt, quam ipse faciam, ii melius æstimare poterunt tui excellentissimi muneris præstantiam. Ego, qui neque omnia in editis à te scriptoribus capio, & capio tamen, nisi fallor, aliquid in eius argumenti libris, plus quam vulgus, ita statuo: id beneficium collatum esse à te in Remp. literariam, ut vix gratia par referri queat. Dedisti enim nobis ea vetustatis monumenta, quibus nullum aurum, nullæ gemmæ possint comparari. Nihil dicam de scriptore Coloniarum, à multis iam pridem expetito: sed ille de Castrametatione tractatus, quam insignis, quam dignus lectione omnium eorum qui rerum antiquarum cognitione delectantur? Sunt quidem in eo multa obscura, multa deplorata & conclamata: nos tamen assidua illius tractatione tantum profecisse videmur, ut operæ in eo positæ minime nos pœniteat. Itaque iterum ac tertio, vel potius *μυριάκις* grates gratissimas tibi agimus. Quod si per te liceat, constituimus in Appendice Polybiana locum illi dare: & quædam in tam raro vetustatis monumento explanare. quod tamen ita facturi sumus, si veniam abs te prius impetraverimus. Veremur enim, ne περιερ-

ϛ ἰὰν nostram sis improbaturus, qui in alienam messem falcem non vereamur immittere. Monet tamen nos similitudo argumenti, quum Græca quædam nondum edita de re eadem simus edituri. Peto igitur à te, doctissime Scriveri, ut bona tua gratia id mihi in re tua usurpare iuris liceat. Me certe iuvabit publice profiteri, quid quantumque tibi ego & omnes studiosi debeamus. Polybii nostri pars maior iam est edita, Dei Opt. Max. beneficio: qui si finem operis suscepti dederit videre, non dubito quin candidi lectores φιλοπονίαν nostram sint amaturi. Maximum enim scriptorem non vulgari diligentia conati sumus serio illustrare. Sed exspectabo iudicium tuum, vir eruditissime. Vale. Lutetiæ Paris. XIV. Kal. Nov. CIↃ IↃ C VII.

HUGONIS GROTII

EPISTOLA.

VERE atque ex animo profitebor, doctissime Scriveri, me & singulari meo nomine, & qua pars aliqua sum eorum qui in studiis proficere cupiunt, pro luculentissima editione Operis Militaris & Mensorii, eiusque dono, multum tibi debere. quod eo libentius agnosco, quia quo rependam non habeo. Ex quo tandem resipiscere cœpi ab ea insania, quæ mihi cum aliis nonnullis communis fuit, ut cæca quadam innotescendi libidine nihil nisi infamiam meam publicarem, daremque ea mundo spectanda, quæ nunc ne solus quidem apud me sine magno pudore & acri doloris sensu conspicio. Tu vero (dicam non ut blandiar, sed ut raram animi fortitudinem, quam, si possim, imitari velim, sane, quod possum, probem, atque commendem) in annos non doctrinæ tantum, sed & sapientiæ capaces, tibi te & publico servasti; & quo nullum maturæ mentis certius esse signum potest, ausus es ita utilitati aliorum studere, ut appareret,

priorem

priorem tibi huius esse quam gloriæ tuæ rationem: ita ubique, quæ aliorum exemplo iactare maxime poteras, non minore cura dissimulas, quam cæteri ostentant: unumque beneficii fructum habes, bene fecisse. Nam alioqui quæ Notæ tibi, imo quæ Commentaria crescere potuerant ex his quæ nunc aut in contextum, aut in marginem recepta, aut etiam inter alienos labores latent? Quoties illa tot Manuscriptorum & veterum Codicum nomina iterare potueras, si omnes sequi, quam novam unus viam præire maluisses? Quare eo plus præstare æstimandus es, quanto imputas minus. Ego sane quicquid ex illis auctoribus, quos partim hactenus legere non licuit, cum non existerent, partim vix libuit, quia vitio scriptionis intelligi non poterant, posthac addiscam, sive illud ad ius pertinebit, quo plurimum facit agrorum limitumque notitia, sive ad Historiam, cuius pars est ferme præcipua res militaris, id omne tuæ & diligentiæ, & liberalitati acceptum feram. Vale, Clarissime Scriveri, & beatissimo otio diu fruaris, cui puto invideremus omnes, nisi eius usus ad nos quoque perveniret. VIII. Iunii, cIↃ IↃ C VII.

Tui studiosissimus

H. GROTIUS.

VETE-

De Auctoribus Rerũ Militariũ, collecta & Notis illuſtrata à *P. S.*

DE VEGETIO.

Priſcianus Grammaticus lib. III.

APud Legiſlatores ſæpe invenitur *proximiores*, id eſt, *propiores:* ut Vlpianus in libro XLV ad Edictum, *Si quis proximior cognatus naſceretur.* VEGETIUS RENATUS Rei Militaris lib. I. * *Sed latera eorum ſubducantur ab hoſtibus, ne poſſint vulnus accipere, & proximior dextrâ ſit, quæ plagam poſſit inferre.*

* Extant lib. I. cap. XX.

† Luitprandus Ticienſis Hiſtoriæ Europeæ lib. IV. *cap.* IX.

Verum quia incuria non ſolum temporalibus rebus, ſed etiam æternis, deditis, atque in ipſa internæ contemplationis viſione conſtitutis, lapſum nonnunquam parat, &, ut * VEGETIUS RENATUS in libro Rei Militaris ait, quod *neceſſario amplior ſecuritas gravius ſolet habere diſcrimen:* Heinricum quodam in opido manentem, incau-

cautiusque se tuentem, Everardus collecta multitudine obsedit.

† Vixit sub Imp. Ottone Magno, circa an. Sal. Iↄ cccc x l.

* Sic diserte MS. meus membranaceus opido vetus, & notæ Opimianæ. Extat autem hic Vegetii locus lib. i i i. cap. x x i i.

† Ioannes Monachus Maioris Monasterii, Historiæ Gauffredi Ducis Normannorum lib. I.

Consuluit super hoc literatus Consul (i. e. *Comes*) legendo VEGETIUM RENATUM, qui de Re dixit Militari, *&c.* Occurrit autem ei locus ille in quo Vegetius Renatus plenius instruit, qualiter * Turris connexis roboribus resarcita festinę pateat captioni.

† Vixit circa annum c Iↄ c L, sub rege Ludovico Iuniore.

* De hac turri nihil reperitur in Vegetio. Vide lib. i v.

† Ioannes Carnotensis Episcopus, Epist. c l x x i i.

Nec inficior quin Princeps illiteratus interdum Reipublicæ commodus esse possit, sed ad parilitatem literatorum si rite procedat, uterque aut nunquam conscendet, aut raro. Nam, ut ait VEGETIUS, * *nullus est quem oporteat aut plura, aut meliora*

scire

scire quam Principem, cuius scientia potest omnibus prodesse subiectis.

* In Prologo lib. I.

Idem Policratici lib. V. *cap.* XIX.

MILITARIA quoque praecepta & exempla strenuorum iunioribus saepe referenda sunt, ut his ad scientiam instituantur, illis accendantur & animentur ad virtutem. Nec tamen propositum meum est, artem hic tradere militarem, quae quidem maxima est & pernecessaria, & sine qua (ut verbis Plutarchi utar) mancus quilibet intelligitur principatus. Quam si quis ediscere voluerit, adeat Catonem Censorium, legat & illa quae Cornelius Celsus, quae Iulius Hyginus, quae VEGETIUS RENATUS, cuius, eo quod elegantissime rei militaris artem tradidit, licet exempla perstrinxerit, plura inserui. legat, inquam, quae isti posteris praescribenda duxerunt.

† Carnotensis Episcopus Ioannes, idem ille est, quem vulgo Satisberiensem vocant: obiitque an. CIↃ CLXXXII. Vide Clariss. Vossium De Hist. Lat. lib. II.

** Petrus Blesensis Epist.* XCIV.

MILITARIS hodie disciplina, quam VEGETIUS RENATUS ac plerique alii docuerunt, prorsus evanuit, & se in quandam delinquendi libertatem & scurrilitatis spe-

ciem

ciem deformavit.

* Vixit ſub Frederico Barbaroſſa Imper. circa annum cIↄ c xc.

**Ioannes Hoeckſemius, Canonicus, & Scholaſticus Leodicenſis, in Geſtis Pontificum Leodicenſium, lib.* I. *cap.* IV.

Vegetius libro primo De Re Militari epitomata ſatis urbana conſcripſit. quorum in ſecundo capitulo dicit ita: *Conſtat quidem, in omnibus locis ignavos,* &c. Hæc ille traxit de VII Politicorum Ariſtotelis, C. *Quales autem.*

*Floruit ſub Adulfo à Marcha Antiſtite, ann. MCCCXII.

Petrus Andlous de Imperio Romano lib. II. *cap.* XIII.

Vnde VEGETIUS, qui & ipſe Romanus fuit (NOTA) lib. I. De Re Militari: * *Nulla alia rē*, inquit, *videmus Romanum Imperium,* &c.

* lib. I. cap. I.

Flavius Blondus de Roma triumphante, lib. VI.

VEGETIUM de Re Militari tractaturum, videmus ex Salluſtio (NOTA) ſumpſiſſe: * *Nulla re alia Pop. Rom. orbem ſubegiſſe, niſi armorum exercitatione, diſciplina mili-*

militari, usuque militiæ.

* Extant lib. I. cap. I. & desumpta ex Sallustio persuadere nobis conatur Blondus: qui & eodem Capite sequentia, fortassis eidem Auctori nostro adscripsit: qua fide, prorsus ignoro. Floruit hic Blondus an. CIↃCCCC XL.

Ibidem paulo est.

VEGETIUS etsi ætatis suæ disciplinam Militarem potius, quam vetustam docuit, multa habet à maioribus, præsertim à Sallustio (NOTA) sumpta. Ex quibus est, *Aptiorem rusticam esse plebem, quæ diurno labore nutritur, solis patiens, umbræ negligens, balnearum nescia, deliciarum ignara, parvo contenta cibo, durata habens per omnem laborum tolerantiam membra. Si vero necessitas cogat, urbanos ad arma compelli; primum laborare, decurrere, portare pondus, & solem & pulverem ferre discant; parvo victu utantur & rustico; interdum sub divo, interdum sub papilionibus commorentur. Tirones vero incipiente pubertate deligendos, omnesque gestus docendos, ne locum deserant, ne ordines turbent, fossam ducere gaudeant. Adolescentesque Martio deputandos operi debere esse vigilantibus oculis, erecta cervice, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachiis, ventre modico, exilioribus cruribus & pedibus, non superflua carne distentos, sed nervorum duritia collectos. Piscatores, aucupes, sellularios, aliones, & omnes qui aliquid tra-*

ctasse

ctasse videntur id generis, longe castris pellendos: Fabros, macellarios, ferrarios, & cervorum aprorumque venatores militiæ adscribendos. Idem scribit, *honestatem idoneum militem reddere; & verecundiam, dum prohibet fugere, victorem facere: à magnis peritissimisque bellorum viris delectum tironum esse habendum.* Ad Sallustiumque reversus dicit Vegetius, eum scribere, *Pompeium adolescentem assuevisse cum agilibus saltu, cum velocibus cursu, cum validis lucta certare: nec aliter illi de Sertorio victoriam contingere potuisse.* Ab ipsoque Sallustio tradi, *Romanos veteres ad omnem rei militaris eruditionem Campum Martium Tyberi vicinum elegisse, in quo iuventus post exercitium armorum, sudorem pulveremque diluerit. Iuventutemque pro exercitio consuevisse crates rotundas ex iunco contexere; * quibus in duplo * ponderantibus quam scutum. Et clava lignea pergravi ad palum sexipedalem in terram fixum se exercebant: Punctimque & casim ferire discebant.* A Sallustioque item tradit Vegetius, *Exerceri solitos hyeme sub tectis tirones, ut equos instratos ligneos armati saltu insilirent; Quandoque fasces & pondera librarum sexaginta tulisse gradu militari, ut discerent arma & commeatum deferre cum necessitas cogeret.*

Compluria hic Sallustio adscribit, quæ in operibus aut Fragmentis Sallustianis non comparent. Neque

Neque ea ipsa omnia pro Sallustianis agnoscunt, expresso nomine auctoris, libri veteres, qua scripti, qua cusi. Et mirifice hæc magnam partem à vulgatis abeunt, pluribus locis prodigiose corruptis. Vide lib. I. cap. III. IV. V. VI. VII. IX. X. XI. XII. XVIII. & XIX. De lectionum varietatibus habes in Notis nostris.

Raphael Volaterranus Commentar. Vrbanor. lib. XX.

FL. VEGETIUS RENATUS, * COMES CONSTANTINOPOLITANUS, scripsit ad Valentinianum Principem libros V. Epitomen videlicet Institutorum Rei Militaris, de Commentariis Catonis, Augusti, Traiani, & Hadriani Principum, ac Frontini.

* Qui Doctorem nostrum militarem *Comitē Constantinopolitanum* appellaret, præter Volaterranum vidi neminem. Vellem vir doctissimus exposuisset, quinam fuerint isti Comites Constantinopolitani, quos ego nullos novi. Libri manuscripti, quos inspexi, partim *Virum illustrem*, partim *Virum illustrem Comitem* vocant. Recte. Nondum (inquam) adhuc videre mihi contigit, qui cum Volaterrano *Comitem Constantinopolitanum* diceret. Beatus Rhenanus *Commentar. de Reb German. lib.* 1. Vegetii Artem Veterinariam seu Mulomedicinam Constantinopoli scriptam coniicit. Sed nec hoc probat fuisse Comitem Constantinopolitanum. Magis iis membranis accedo, quæ *Virum illustrem Comitem* præferunt. Sic Marcellinum Illyricianum (cuius præstantissimum Chronicum habemus) *Comitem Virum clarissimum* legimus. *Comes* autem, quod nemo paulo humanior ignorat, dignitatis atque officii titulus. Erantque *Comites rei militaris*, *Comites militiæ*, &c. teste Notitia Imperii, Ammiano Marcellino, aliis. Et in Codice

dice lib. XII. Titulus, *De comitibus rei militaris.* item alius, *De Comitibus & Archiatris sacri Palatii.* Fuit *Comes militiæ*, an *Comes Archiater* fortasse, hic noster, novæ Romæ, sive Constantinopoli. Vnde orta illa Volaterrani suspicio. Quod tamen in medium relinquo. Non item illud, luce meridiana clarius. Censent viri erudi.ti, Godeschalcus Stevvechius in Editione sua, & Caspar Barthius Adversarior. lib. XXVIII. cap XI, testimonia Vegetiana à Prisciano Grammatico proferri hic non comparentia. Nempe illud: *Vegetius Renatus* libro primo: *Sed latera eorum subducantur ab hostibus, ne possint vulnus accipere; & proximior dextra sit quæ possit plagam inferre.* Falluntur: extant enim hæc cap. XX. lib. I. quod iam indicavimus.

Iustus Lipsius De Militia Romana,
lib. I. *Dialog.* II.

Polybius unus superest eorum qui de veteri militia scripserunt. Nam VEGETIUS quidem nihil habet meri, ac sui & superioris ævi instituta aut mores miscet ac confundit.

Hactenus de Vegetio.

DE

Ioannes Maria Catanaus, Commentario in Epistolas C. Plinii Cacilii Secundi: lib. IV, epist. VIII.

SExtus Iulius Frontinus, *a* Vir Consularis, *b* Præturam Vrbanam gessit *c* Vespasiano iterum ac Tito Consulibus, ac eo eiurante Domitianus Præturam cæpit. Frontinus *d* curam Britanniæ ac molem sustinens, magnam quantum licebat, validam & pugnacem Silurum gentem armis subegit, super virtutem hostium locorumque difficultatem eluctatus. Aquarum *e* Præfectus à *f* Nerva creatus, libellum de Aquæductibus Vrbem influentibus edidit. *g* Auguratum gessit. *h* Secessu Terracinensi oblectabatur. *i* Rei militaris peritus, Traiano libros Strategematicos dicavit. *k* Scripsit longe plura, quæ simul cum aliis communi literarum iactura olim intercidere. Summus Iurisconsultus, *l* Secundo interdum respondit. *m* Martialem ac cæteros scriptores fovit. *n* Moriens vetuit sibi sepulchrum construi.

a Ælianus De instruend. Acieb. Præfat. ad Hadrianum Aug. & cap. I.
b Tacitus Histor. lib. IV.
c id est, Anno V. C. CIƆ CCC XXII. (Stephano Vinando Pighio CIƆ CCC XXI.) Natalis Christi LXXIII.

d Ta-

d Tacitus in Vita Agricolæ. Vide & adhibe, si tanti est, Hectorem Boëtium Histor. Scot. lib. IV.

e Testis ipse Frontinus lib. De Aquæductibus, editionis nostræ pag. 119.

f Imp. Nerva tertium & Virginio Rufo Coss. A. V. ccIↃ ccc XLVII. Christi XCVII.

g Plinius iunior lib. IV. epist. VIII. Arriano suo: *Gratularis mihi quod acceperim Auguratum*, &c. *Mihi vero gratulatione dignum videtur, quod successi* IULIO FRONTINO, *principi viro*, &c.

h Martialis lib. X. epig. LIX. *Anxuris æquorei placidos* FRONTINE *recessus*, &c. Anxur & Tarracina eadem civitas; auctore Plinio maiore in Histor. Natural.

i Raphael Volaterranus Commentarior. Vrbanor. lib. XVI. IULIUS FRONTINUS *ad Traianum libros quatuor Strategematum scripsit, & de Aquis Vrbis.* Vegetius lib. I. cap. VIII. & lib. II. cap. III. & ibi Godeschalcus Stevvechius. Carolus Sigonius Indiculo de Historicis qui Res Romanas scripserunt ab Vrbe condita ad Caroli Magni Imp. tempora: *Sex. Iulius Frontinus Strategematum libros conscripsit, in quibus ex omnibus Historicis exempla in certos locos distinata* (an *distincta*) *enumerat copiose, & magna cum utilitate: licet pleraque librariorum errore inepte sunt repetita.* (NOTA.) *Nerva & Traiani temporibus vixit.* Quæ verbotenus, ut multa alia, ἔπος πρὸς ἔπος, in suum Apparatum ad omnium gentium historiam transtulit Antonius Possevinus, Sectione III. cap. IV. Strategemata autem bis apud hunc scriptorem posita, hæc sunt: Lib. I. cap. I. exemp. VIII. & lib. I. cap. V. exemp. VIII. item lib. I. cap. V. exemp. XII. & lib. IV. cap. IV. exemp. VIII. item lib. I. cap. X. exemp. I. lib. IV. cap. VII. exemp. IV. item lib. I. cap. IX. exemp. ult. & lib. IV. cap. V.

k Horum non pauca à situ & interitu à nobis vindicata sunt, atque è tenebris eruta.

l *Plinio.* Ioannes Cuspinianus eadem hæc de Frontino

tino verbatim refert in Commentario ad Cassiodori Consules, Anno V. C. Iↄ ccc xxiii. Quid autem uterque velit, magis suspicari possum, quam intelligere. Vide Plinium lib. v. Epist. 1.

m Hoc constare potest ex ipsius Poëtæ epigrammatibus. Nisi alius fortasse Frontinus sit, cuius ille meminit.

n *Moriens.* Vide Plinium Epist. xix. lib. ix. FRONTINUS *vetuit omnino sibi exstrui monumentum, his verbis*, IMPENSA MONUMENTIS SUPERVACUA EST: MEMORIA NOSTRI DURABIT, SI VITA MERVIMUS. *Excelsi animi est, cum præclara gesseris gloriam contemnere.* Hæc Desiderius Erasmus Apophthegmat. lib. VIII. ex Plinio.

Stephanus Vinandus Pighius Annal. Romanor. lib. XIIX. *ad annum Vrbis* DCCCXXI.

Sex. Iulius : : F. : : N. Frontinus, Vrbanam iurisdictionem obtinuit. Is idem cuius extant libri Strategematum, & de Aquæductibus, Iurisprudentia & rei militaris peritia clarus. Hoc anno Præturam gessisse suspicor, cum Kal. Ianuariis proximis, posteaquam ipse senatum (aberant enim novi Consules Vespasianus & Titus) convocasset, abdicavit, ut auctor est Tacitus: alioquin vix uno die Prætorem fuisse dicendum erit. nisi forsan ante Kal. Ianuarias novi Prætores magistratum tunc inibant. quod nusquam hactenus legi. Locum Taciti habes Histor. lib. IV. *Interea*

ea Vespasianus iterum ac Titus Consulatum absentes inierant, mœsta ac multiplici metu suspensa civitate, &c. Addit deinde, *Kal. Ianuariis in senatum quem* IULIUS FROTTINUS *Prætor Vrbanus vocaverat*, &c.

DE ÆNEA, vetustissimo auctore Tactico.

Polybius lib. X.

ÆNEAS quum errorem hunc emendare instituisset, is, qui de rebus ad officium Imperatoris, sive Imperatoriam artem pertinentibus Commentarios vulgo notos composuit, aliquantum promovit.

Ælianus De instruenda acie, cap. I.

Tacticum argumentum perpolivit pluribus scriptis ÆNEAS; is qui libros De officio Imperatoris non paucos composuit: quorum Epitomen Thessalus Cineas confecit.

* * *Suidas*

ÆNEAS. Hic ſcripſit de facibus pyrſeutarum, ut ait Polybius: ſcripſit & Commentarium de † Strategematis.

† Fallitur Suidas, & Strategica confundit cum Strategematis. Vide Notas V. C. Iſaaci Caſauboni in hunc Auctorem: quem Adrianus Turnebus in Adverſariorum libris ſemel atque iterum nominat: lib. XXII. cap. XXVI. & lib: XXVII. cap. VII. Græcis eius verbis in teſtimonium prolatis.

Conradus Geſnerus in Bibliotheca aucta per Ioſ. Simlerum & Ioannem Friſium, Tigurinos.

ÆNEAS ſcripſit De inſtruendis aciebus. De tota quoque Re militari ſatis operum edidit, quæ Cineam Theſſalum redegiſſe in brevitatem conſtat. Ex Aeliano. Aeneas ſcripſit de Pyrſis, id eſt, ignibus qui in ſpeculis accenduntur, & de * Strategematibus commentarium. Ex Suida. Aeneæ liber De Re militari extat Romæ in Vaticana Bibliotheca.

* Fallitur cum Suida.

Iſaacus Caſaubonus Præfatione Notarum in Aeneæ Commentarium Poliorceticum.

Hic ſcriptor non illos ſolum univerſos, quos

quos modo nominavi, Athenæum, Heronem, Apollodorum, Philonem, Iulium Africanum, Mauricium Leonemque Augustos, qui De re militari aut machinis bellicis scripserunt, vetustate longe superat: verum etiam Græcorum omnium, qui De rei militaris scientia aliquid serio scripserunt, pene fuit primus. Nam Aelianus, homo eruditissimus, qui Traiani & Hadriani temporibus vivebat, quum ab ultima antiquitate disciplinæ Tacticæ auctores repeteret, secundum Homerum & eos qui Homeri Τακτικὴν exposuerant, ÆNEAM ante omnes recenset: & addit Aelianus, Thessalum Cineam, prudentissimum illum Pyrrhi regis amicum & consiliarium, Aeneæ Commentarios Στρατηγικοὺς, sive, de iis quæ ad Imperatoris officium pertinent, in compendium redegisse. Id operis non solum apud Græcos, sed etiam apud Romanos, in magno quondam pretio fuisse comperior. *&c. quæ erudite observat.*

Subiungit.

Cineas Epicurum Athenis docentem audivit, ut significat M. Tullii De senectute liber. Epicurus autem Athenas commigravit circa finem Olympiadis CXVIII. Idẽ Cineas anno altero Olympiadis CXXV legatus, Romam, missu Pyrrhi, venit. Aeneam

vero, è cuius scriptis uberrimis Epitomen suam Cineas confecit, ipso Cinea vetustiorem aliquot saltem annis fuisse, nemo, opinor, negaverit. *&c. qua (suadeo) legas.*

Idem in Epistola nuncupatoria Polybio præfixa, & Henrico IV *Christianissimo Regi inscripta.*

Animi mei velut pignus aliquod ut exhiberem, quod in Commentariis in hunc auctorem nostris veterum Tacticorum libris plurimum utimur; aureolum eius generis Commentarium, ab Aenea vetustissimo Tactico scriptum, placuit nunc edere, atque opes tuæ Maiestatis, in Bibliothecæ forulis reconditas, & præsentibus & futuris visendas fruendasque proponere.

Idem in Præfatione Notarum in Aeneam.

Quod si me non fallit coniectura, è Romano codice Regius manavit. *&c.*

Hactenus de Aenea.

DE

DE POLYBIO.

T. Livius lib. XXX.

POLYBIUS, * haudquaquam ſpernendus auctor.

* *Caſaubonus.* Hoc eſt, præcipuæ auctoritatis ſcriptor, & præſtantiſſimus. eſt enim figurata oratio. quam ſic eſſe omnino exponendam, & docent veteres Grammatici, & uſus nobiliſſimorum auctorũ evincit. Male merentur de Polybio, peius de ipſo Livio, qui in ſequiorem partem hoc elogium interpretantur. Neque audiendus eruditiſſimus Vrſinus, qui frigidam hanc eſſe queritur laudationem & vituperationi proximam. *Quod contra exemplis probat Caſaubonus, quem vide ad Polybii Fragmenta.*

Velleius Paterculus libro poſteriore.

Diverſi Imperatoribus mores, diverſis fuere ſtudia: quippe Scipio tam elegans liberalium ſtudiorum omniſque doctrinæ & auctor & admirator fuit, ut * POLYBIUM Panætiumque præcellentes ingenio viros domi militiæque ſecum habuerit.

* Vide Plinium Natural. Hiſt. lib. V. cap. I. & lib. VIII. cap. XVI. Paulum item Oroſium lib. V. cap. III.

Aelianus De Inſtruendis aciebus.

Τακτικὰ συνέγραψε ΠΟΛΥ'ΒΙΟΣ ὁ Μεγαπολίτης, ἀνὴρ πολυμαθὴς, Σκιπίωνι συγγενόμενος.

Lucianus in Longævis.

ΠΟΛΥ'ΒΙΟΣ δὲ ὁ Λυκόρτα, Μεγαπολίτης, ἀγρόθεν ἀνελθὼν, ἀφ' ἵππου κατέπεσε· καὶ ἐκ τούτου νοσήσας, ἀπέθανεν ἐτῶν δύο καὶ ὀγδοήκοντα.

I. Lipsius de Militia Rom. lib. I. Dial. II.

QUOD ad POLYBII HOC OPUSCULUM spectat, re, non mole magnum, haud ambigendum arbitror quin Polybii sit, & ipse agnoscit libro Historiæ suæ decimo, ubi de Carthagine Nova à Scipione capta: *Quod vero*, inquit, *nihil fraudaturi sint aut subducturi è præda, id omnes iurant cum primum in castra veniunt ituri ad bellum. qua de re pluribus dictum est nobis in iis quæ de Republica scripsimus.* Itaque non ambigendum, ut dixi, quin Polybii sit. Sed tamen ab aliena manu contractum aut recisum aliquid videri, non nego: & est cætera Polybiana scriptio uber magis & diffusa. Titulus etiam qui librum sextum Historiarum præfert, mihi est falsus: cum nec ista sic continua, ullo modo aut venia historiæ sint, & ipse * fateatur è libro an libris de Republica esse. Fuit videlicet introductio in Historias, & grande adiumentum, nosse, quid Romani, Carthaginenses, Spartani, pace aut bello usitarint: & tum, cum breviter inter narrandum tangitur, habere unde

doctior

doctior sis, & petas.

* Viderit Lipsius, & qui sic sentiunt. Mihi non videtur diserte hoc in iis verbis dici.

Isaacus Casaubonus in Synopsi Chronologica Hist. Polyb sub fin.

Natus Polybius circa annum V. C. Iↄ I, quia constat testimonio Luciani, ad octuagesimum secundum vitam illum produxisse; liquet inde abiisse ipsum circa annum à primis Romæ Palilibus Iↄ c xxxii, cui congruit primus Olympiadis cliv, ante natum Regem Messiam circiter cxx, priusquam M. Tullius nasceretur annis xvii. Obiit autem Polybius, cum è prædio suo urbem Megalopolim repeteret, equo delapsus.

Idem in Epistola nuncupatoria Henrico IV. *Christianissimo Regi inscripta.*

Ille inquam Polybius, cuius in philosophia doctrinam, in moribus probitatem, in historia prudentiam Cicero, Strabo, Iosephus, Plutarchus, (Deus bone, qui quantique viri!) & optimus quisque veterum dilaudant, &c.

Hactenus de Polybio.

Philostratus, De Vitis Sophistarum lib. II.

ÆLIANUS licet genere Romanus esset, non minus scite tamen Attice, quam vel mediterranei Athenienses locutus est. Et sane laude dignus vir ille mihi videtur: primum, quod cum habitaret in urbe, quæ sermone prorsus diverso utebatur, Græcanicæ linguæ puritatem sit consecutus: deinde quod oblato sibi (ab iis qui huiusmodi titulos conferre solent) Sophistæ nomine, nullam de se fiduciam aut adulationem sui, aut superbiam ex tanti nominis honore conceperit: quin potius cum suas ipse vires expendisset, easque declamatoriæ palæstræ impares iudicasset, ad scribendum animum appulit, & admirationem inde consequutus est. Dictio eius omnino pura, simplex & inaffectata est, ut Nicostrati elegantiæ leporem quendam adhibeat. Est quando Dionem, eiusque dicendi genus & tonum imitatur. Hunc olim Lemnius Philostratus librum adhuc manibus tractantem, indignanterque & concitate lectitantem reperit. & cum instituti eius rationem quæreret, Gynnidis (hoc est, effæminati hominis) accusationem à se conscriptam dixit. Sic autem vocare se tyrannum, qui paulo ante Romano

mano Imperio infamiæ labem lascivia sua inussisset. Cui Philostratus. *Admirarer* (inquit) *si viventem accusasses: siquidem viventem tyrannum perstringere, viri opus censeo: functum vero fato lacessere, cuiusvis.* Prædicabat de se Aelianus, nunquam se fines Italiæ egressum: navem nunquam conscendisse, neque novisse mare. quare in magna erat auctoritate, veluti patrii moris studiose observans. Docentem audivit Pausaniam. * Herodē vero tanquam scitissimum, & vario sermonis artificio præstantissimum, inter Rhetores admiratus est. Vivendo annum sexagesimum excessit, & sine liberis defunctus est, cum matrimonio neglecto, procreationem prolis sprevisset: quod quidem felicius an miserius sit, disceptare nunc tempestivum non est.

* Huius non protrita mentio apup A. Gellium, Noctium Atticarum lib. I. cap. II, & IX. lib. II. cap. XVIII. lib. XIX, cap. XII.

Suidas.

ΑἸΛΙΑΝΟ'Σ ἀπὸ Πραινεστοῦ τῆς Ἰταλίας, ἀρχιερεὺς καὶ σοφιστὴς, ὁ χρηματίσας Κλαυδίῳ, ὃς ἐπεκλήθη Μελίγλωσσος ἢ Μελίφθογγος. καὶ ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ αὐτῇ ἐπὶ τῶ Ἀδριανοῦ χρόνων.

Idest,

Aelianus Præneste in Italia natus, Pontifex & Sophista, prænomine Claudius, cogno-

cognominatus vero Meligloſſus vel Meliphthongus (*ob ſuaviloquentiã,*) poſt Hadriani tempora Romæ Rhetoricam docuit.

Iſaacus Caſaubonus, in Præfatione ad Aenea Commentarium Poliorceticum.

Nam Aelianus, homo eruditiſſimus, Traiani & Hadriani temporibus vivebat, *&c.*

Et ad Polybii Fragmenta, ex Aeliano de aciebus inſtruendis cap. I. III. *&* XIX. *ubi notat:*

Et hæc quidem nominatim ex Polybio Aelianus: nos vero alibi docemus, totum illius aureolum libellum pene ad verbum è Polybio eſſe deſcriptum.

Idem in Epiſtola nuncupatoria Regi Chriſtianiſſimo Henrico I V *inſcripta.*

Tactica diſciplina pars quaſi quædam Hiſtoriæ; certe ita illi coniuncta, ut neque hæc ſine illa poſſit recte intelligi, neque illa ſine hac doceri rite queat. Cuius nos rei certam fidem faciemus, quando Aelianum, præſtantem eius doctrinæ auctorem,

rem , è vetustissimis membranis tuæ Bibliothecæ, Tacticis scriptoribus luculente instructæ, emendatum & observationibus nostris serio illustratum, Deo propitio, vulgabimus.

Hactenus de Aeliano.

Elen-

Elenchus
QVINQVE LIBRORVM VEGETII
De Re Militari;
Ex veteribus membranis.

PRIMUS LIBER

ELECTIONEM *edocet iuniorum, ex quibus locis vel quales milites probandi sint: aut quibus armorum exercitiis imbuendi.*

SECUNDUS LIBER

VETERIS *militiæ continet morem, ad quem pedestris instrui possit exercitus.*

TERTIUS LIBER

OMNIA *artium genera, quæ terrestri prœlio necessaria videntur, exponit.*

QUARTUS LIBER

UNIVERSAS *machinas, quibus vel oppugnantur civitates vel defenduntur, enumerat.*

† QUINTUS LIBER

NAVALIS *belli præcepta subnectit.*

† Ita in quinque (cum quatuor vulgo sint) libros partitus est Vegetius, suasu P. Scriverii, & quorundam Mss. Vide Animadversiones suo loco.

FLAVII VEGETII RENATI VIRI INLUSTRIS INSTITVTORVM REI MILITARIS, AD VALENTIANVM AVGVSTVM,

Libri Primi

Prologus.

ANTIQUIS temporibus mos fuit, bonarum artium studia mandare literis, atque in libros redacta offerre Principibus. Quia neque rectè aliquid inchoatur, nisi post Deum faverit Imperator: neque quenquam magis decet, vel meliora scire, vel plura, quam Principem, cuius doctrina omnibus potest prodesse subiectis. Quod Octavianum Augustũ, ac bonos dehinc Principes libenter habuisse, frequentibus declaratur exemplis. Sic regnantium testimoniis crevit eloquentia, dum non culpatur audacia. Hæc

ego imitatione compulſus dum conſidero, clementiam veſtram auſibus literarum magis ignoſcere poſſe, quàm cæteros, tanto inferiorem me antiquis ſcriptoribus eſſe vix ſenſi. licet in hoc opuſculo, nec verborum concinnitas ſit neceſſaria, nec acumen ingenii, ſed labor diligens ac fidelis: ut, quæ apud diverſos hiſtoricos, vel armorum diſciplinam docentes, diſperſa & involuta celantur; pro utilitate Romanâ proferantur in medium. De delectu igitur atque exercitatione tironum, per quoſdam gradus, & titulos, antiquam conſuetudinem conamur oſtendere. Non quo tibi, Imperator Invicte, iſta videantur incognita, ſed ut quæ ſponte pro Reipublicæ ſalute diſponis, agnoſcas olim cuſtodiſſe Romani Imperii conditores: & in hoc parvo libello, quidquid de maximis rebus, ſemperque neceſſariis requirendum credis, invenias.

CAP. I.

Romanos, omnes gentes ſolâ armorum exercitatione viciſſe.

IN omni autem prœlio non tam multitudo & virtus indocta, quàm ars & exercitium ſolent præſtare victoriam. Nulla enim alia re videmus populum Romanum orbem ſubegiſſe terrarum, niſi armorum exercitio, diſciplina caſtrorum, uſuq; militiæ.

Quid

Quid enim adversus Gallorum multitudinem paucitas Romana valuisset? Quid adversus Germanorum proceritatem brevitas potuisset audere? Hispanos quidem non tantum numero, sed etiam viribus corporũ nostris præstitisse, manifestum est. Aphrorum dolis, atque divitiis, semper impares fuimus. Græcorum artibus prudentiaque nos vinci, nemo [unquam] dubitavit. Sed adversus omnia profuit tironem solertem eligere, ius (ut ita dixerim) armorum docere, quotidiano exercitio roborare; quæcunque evenire in acie atque [in] prœliis possint, omnia in campestri meditatione prænoscere, severe in desides vindicare. Scientia enim rei bellicæ, dimicandi nutrit audaciam. Nemo facere metuit, quod se bene didicisse confidit. Etenim in certamine bellorum, exercitata paucitas ad victoriam promptior est: rudis & indocta multitudo, exposita semper ad cædem.

Cap. II.

Ex quibus regionibus tirones legendi sint.

Rerum ordo deposcit, ut ex quibus provinciis vel regionibus tirones legendi sint prima parte tractetur. Constat quidem, in omnibus locis & ignavos & strenuos nasci. Sed tamen, & gens gen-

tem præcedit in bello, & plaga cœli ob robur non tantum corporum, ſed etiam animorum plurimum valet. Quo loco ea quæ à doctiſſimis hominibus comprobata ſunt non omittam. Omnes nationes, quæ vicinæ ſunt Soli, nimio calore ſiccatas, amplius quidem ſapere, ſed minus habere ſanguinis dicunt: ac propterea conſtantiam ac fiduciam cominus non habere pugnandi, quia metuunt vulnera, qui ſe exiguum ſanguinem habere noverunt. Contra, Septentrionales populi, remoti à Solis ardoribus, inconſultiores quidem, ſed tamen, largo ſanguine redundantes, ſunt ad bella promtiſſimi. Tirones igitur de temperatioribus legendi ſunt plagis, quibus & copia ſanguinis ſuppetat ad vulnerum mortiſque contemptum, & non poſſit deeſſe prudentia, quæ & modeſtiam ſervat in caſtris, & non parum prodeſt in dimicatione & conſiliis.

CAP. III.

Vtrum ex agris an ex urbibus utiliores ſint tirones.

SEQUITUR, utrum de agris, an de urbibus utilior tiro ſit, requiramus. De qua parte nunquam credo potuiſſe dubitari, aptiorem armis ruſticam plebem, quæ ſub divo & in labore nutritur; ſolis patiens; umbræ

umbræ neglegens; balnearum nescia; deliciarum ignara, simplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris: cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre, consuetudo de rure est. Interdum tamen necessitas exigit, etiam urbanos ad arma compelli: qui ubi nomen dedere militiæ, primum laborare, decurrere, portare pondus, & solem pulveremque ferre condiscant; parco victu utantur & rustico; interdum sub divo, interdum sub papilionibus, commorentur. Tunc demum ad usum erudiantur armorum: & si longior expeditio emergit, in agrariis plurimum detinendi sunt, proculque habendi à civitatis illecebris: ut eo modo, & corporibus eorum robur accedat, & animis. Nec inficiandum est, post Vrbem conditam, Romanos ex civitate profectos semper ad bellum: sed tunc nullis voluptatibus, nullis deliciis frangebantur. Sudorem cursu & campestri exercitio collectum nando iuventus abluebat in Tyberi. Idem bellator, idem agricola, genera tantum mutabat armorum. Quod usque adeo verum est, ut aranti Quinctio Cincinnato [viro optimo] dictaturam constet oblatam. Ex agris ergo supplendum robur præcipue videtur exercitus. Nescio enim quomodo minus mortem timet, qui minus deliciarum novit in vita.

CAP. IV.

Cuius ætatis tirones probandi sint.

NVnc, qua ætate milites legi conveniat, exploremus. Et quidem, si antiqua consuetudo servanda est, incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat. Non enim tantũ celerius, sed etiam perfectius imbibuuntur quæ discuntur à pueris. Deinde militaris alacritatis saltus & cursus ante tentandus est, quàm corpus ætate pigrescat. Velocitas enim est, quæ percepto exercitio strenuum efficit bellatorem. Adolo scentes legendi sunt, sicut ait Salustius: Nam primum iuventus, simul ac belli patiens erat, in castris per laboris usum militiam discebat. Melius enim est, ut exercitatus iuvenis causetur ætatem nondum advenisse pugnandi, quã doleat præteriisse. Habeat etiam spacium universa discendi. Neque enim parva aut levis ars videtur armorum, sive equitem, sive peditem sagittarium velis imbuere, sive scutatum armaturæ numeros omnes, omnesque gestus docere, ne locum deserat, ne ordines turbet: ut missile & destinato ictu & magnis viribus iaciat, ut fossam ducere, sudes sciẽter figere norit, tractare scutum, & obliquis ictibus venientia tela deflectere, plagam prudenter vitare, audacter inferre.

Huic

Huic taliter instituto tironi, pugnare adversum quoslibet hostes in acie formido non erit, sed voluptas.

Cap. V.

Qua statura sint probandi tirones.

Proceritatem tironum, à consule Mario scio semper exactam, ita ut senos pedes, vel certe quinos,& denas uncias habentes, inter alares equites, vel in primis legionum cohortibus,probarentur. Sed tunc erat amplior multitudo, & plures militiam sequebantur armatam. Necdum enim civilis pars florentiorem adduxerat iuventutem. Si ergo necessitas exegerit, non tam staturæ rationem convenit habere, quam virium. Et ipso Homero teste non fallimur, qui Tydeum minorem quidem corpore, sed fortiorem animis fuisse significat.

Cap. VI.

Ex vultu & positione corporis agnosci in eligendo, qui meliores possint esse tirones.

Sed qui delectum acturus est, vehementer intendat, ut ex vultu, ex oculis, ex omni conformatione membrorum eos eligat, qui implere valeant officium bella-

toris. Namque non tantum in hominibus, ſed etiam in equis & canibus virtus multis declaratur indiciis, ſicut doctiſſimorum hominum diſciplina comprehenditur: quod etiam in apibus Mantuanus auctor dicit eſſe ſervandum:

Nam duo ſunt genera: hic melior, inſignis & ore,
Et rutilis clarus ſquamis: ille horridus alter
Deſidia, latamque trahens inglorius alvum.

Sit ergo adoleſcens Martio operi deputandus, vigilantibus oculis, erecta cervice, lato pectore, humeris muſculoſis, valentibus digitis, longioribus brachiis, ventre modicus, exilior cruribus, ſuris, & pedibus, non ſuperflua carne diſtentis, ſed nervorum duritia collectis. Cum hæc in tirone ſigna deprehenderis, proceritatem non magnopere deſideres. Vtilius eſt enim fortes milites eſſe, quam grandes.

CAP. VII.

Cuius artis tirones vel eligendi ſint, vel reſpuendi.

SEQUITUR, ut cuius artis, vel eligendi, vel penitus reſpuendi ſint milites, indagemus. Piſcatores, aucupes, dulciarios, linteones, omneſque qui aliquid tractaſſe videbuntur ad gynæcea pertinens, longe arbitror

bitror pellendos à castris. Fabros ferrarios, carpentarios, macellarios, & cervorum aprorumque venatores, convenit sociare militiæ. Et hoc est in quo totius Reipublicæ salus vertitur, ut tirones non tantum corporibus, sed etiam animis præstantissimi deligantur. Vires regni & Romani nominis fundamentum in prima dilectuum examinatione consistunt. Nec leve hoc officium putetur, aut passim quibuscunque mandandum, quod apud veteres inter tam varia genera virtutum, in Sertorio præcipue constat esse laudatum. Iuventus enim, cui defensio provinciarum, cui bellorum commitenda fortuna est, & genere, si copia suppetat, & moribus debet excellere. Honestas enim idoneũ militem reddit. Verecundia dum prohibet fugere facit esse victorem. Quid enim prodest, si exerceatur ignavus? si pluribus stipendiis moretur in castris? Nunquam exercitus profecit tempore [belli,] cuius in probandis tironibus claudicarit electio. Et quantum usu experimentisque cognovimus, hinc tot ubique ab hostibus illatæ sunt clades, dum longa pax militem negligentius incuriosiusque legit: dum honestiores quique civilia sectantur officia: dum possessoribus indicti tirones, per gratiam, aut dissimulationem probantur, talesque socientur armis, quales domini habere fastidiunt.

A magnis ergo viris magna diligentia idoneos eligi convenit iuniores.

CAP. VIII.

Quando tirones signandi sint.

SED non statim punctis signorum inscribendus est tiro dilectus: verum ante exercitio prætentandus, ut utrum vere tanto operi aptus sit, possit cognosci. Et velocitas in illo requirenda videtur & robur: & utrum armorum disciplinam ediscere valeat, utrum habeat confidentiam militarem. Plerique enim quamvis non improbabiles videantur in specie, tamen experimentis comprobantur indigni. Repudiandi ergo minus utiles, & in locum eorum strenuissimi subrogandi sunt. In omni enim conflictu non tam prodest multitudo quam virtus. Signatis itaque tironibus per quotidiana exercitia, armorum est demonstranda doctrina. Sed huius rei usum dissimulatio longę securitatis abolevit. Quem invenias qui docere possit, quod ipse non didicit? De historiis ergo vel libris nobis antiqua consuetudo repetenda est. Sed illi res gestas & eventus tantum scripsere bellorum, ista, quæ nunc quærimus, tanquam nota linquentes. Lacedæmonii quidem, & Athenienses, aliique Græcorum in libros retulere complura, quæ τακτικὰ vocantur.

cantur. Sed nos disciplinam militarem populi Romani debemus inquirere, qui ex parvissimis finibus imperium suum pene solis regionibus, & mundi ipsius fine distendit. Hæc necessitas compulit, evolutis auctoribus, ea me in hoc opusculo fidelissime dicere, quæ Cato ille Censorius De disciplina militari scripsit: quę Cornelius Celsus, quæ Frontinus perstringenda duxerunt, quæ Paternus diligentissimus iuris militaris assertor in libros redegit, quæ Augusti, & Traiani, Hadrianique constitutionibus cauta sunt. Nihil enim mihi auctoritatis assumo, sed horum, quos supra retuli, quæ dispersa sunt, velut [in ordinem] epitomata conscribo.

CAP. IX.

Ad gradum militarem, & cursum & saltum, exercendos tirones.

PRIMIS ergo meditationum auspiciis, tirones militarem edocendi sunt gradum. Nihil enim magis in itinere vel in acie custodiendum est, quam ut omnes milites incedendi ordinem servent. Quod aliter non potest fieri, nisi [ut] assiduo exercitio ambulare celeriter & æqualiter discant. Periculum enim ab hostibus semper gravissimum sustinet divisus & inordinatus exercitus. Militari ergo gradu, viginti

millia passuum, horis quinque duntaxat æstivis conficienda sunt. Pleno autem gradu, qui citatior est, totidem horis viginti quatuor [millia] peragenda sunt. Quicquid addideris, iam cursus est, cuius spacium non potest diffiniri. Sed ad cursum præcipue assuefaciendi sunt iuniores, ut maiore impetu in hostem procurrant: ut loca opportuna celeriter, cum usus advenerit, occupent, vel adversariis idem facere volentibus, præoccupent: ut ad explorandum alacriter pergant; alacrius redeant: ut fugientium terga facilius comprehendant. Ad saltum etiam quo vel fossæ transiliuntur, vel impediens aliqua altitudo superatur, exercendus est miles; ut cum eiusmodi difficultates evenerint, possit sine labore transire. Præterea in ipso conflictu ac dimicatione telorum, bellator cum cursu saltuque veniens, adversarii perstringit oculos, mentemque deterret, priusque plagam infligit, quam ille ad cavendum vel ad resistendum certe se præparet. De exercitio Gn. Pompei Magni Salustius hoc memorat: Cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat: Neque enim ille aliter potuisset par esse Sertorio, nisi sese, & suos milites, frequentibus exercitiis præparasset ad prœlia.

CAP.

Cap. X.

Ad usum natandi exercendos tirones.

Natandi usum æstivis mensibus omnis æqualiter debet tiro condiscere. non enim pontibus semper flumina transeuntur, sed & cedens & insequens natare cogitur frequenter exercitus. Sæpe repentinis imbribus vel nivibus solent exundare torrentes. Et ignorantia non solum ab hoste, sed etiam ab ipsis aquis discrimen incurrit: ideoque Romani veteres, quos tot bella, & continuata pericula, ad omnem rei militaris erudierant artem, campum Martium vicinũ Tyberi delegerunt: in quo iuventus post exercitium armorum, sudorem pulveremque dilueret, at lassitudinem cursus, natandi labore deponeret. Non solum autem pedites, sed & equites ipsosque equos vel lixas (quos galerios vocant) ad natandum exercere percommodum est, ne quid imperitis, cum necessitas incumbit, eveniat.

Cap. XI.

Quemadmodum ad scuta viminea, vel ad palos, antiqui exercebant tirones.

Antiqui (sicut invenitur in libris) hoc genere exercuere tirones. Scuta de

de vimine in modum cratium corrotundata texebant: ita ut duplum pondus cratis haberet, quam ſcutum publicum habere conſuevit. Iidemque clavas ligneas, duplicis æque ponderis, pro gladiis tironibus dabant. Eoque modo non tantum mane, ſed etiam poſt meridiem exercebantur ad palos. Palorum enim uſus non ſolum militibus, ſed etiam gladiatoribus plurimum prodeſt. Nec unquam aut arena, aut campus invictum armis virum probavit, niſi qui diligenter exercitatus docebatur ad palum. A ſingulis autem tironibus ſinguli pali defigebantur in terram, ita ut nutare non poſſent, & ſex pedibus eminerent. Contra illum palum, tanquam contra adverſarium, tiro cum crate illa, & clava, velut cum gladio ſe exercebat, & ſcuto: ut nunc quaſi caput aut faciem peteret, nunc [à] lateribus minaretur, interdum contenderet poplites & crura ſuccidere, accederet, recederet, aſſultaret, inſiliret, & quaſi præſentem adverſarium, ſic palum omni impetu, omni bellandi arte tentaret. In qua meditatione ſervabatur illa cautela, ut ita tiro ad inferendum vulnus inſurgeret, ne qua [ex] parte ipſe pateret ad plagam.

CAP.

Cap. XII.

Non cæsim, sed punctim ferire docendos tirones.

PRæterea non cæsim, sed punctim ferire discebant. Nam cæsim pugnantes non solum facile vicere, sed etiam derisere Romani. Cæsa enim quovis impetu veniat, non frequenter interficit : cum & armis vitalia defendantur, & ossibus. At contra, puncta, duas uncias adacta, mortalis est. Necesse est enim, ut vitalia penetret, quicquid immergitur. Deinde dum cæsa infertur, brachium dextrum latusque nudatur. Puncta autem tecto corpore infertur, & adversarium sauciat ante quam videatur. Ideoque ad dimicandum hoc præcipue genere usos esse constat Romanos: duplicis autem ponderis illa cratis & clava ideo dabantur, ut cum vera & leviora tiro arma sumsisset, velut graviore pondere liberatus, securior alacriorque pugnaret.

Cap. XIII.

Armaturam docendos tirones.

PRæterea illo exercitii genere, quod armaturam vocant, & à campi doctoribus traditur, imbuendus est tiro. Qui usus vel ex parte servatur. Constat enim,

enim, etiam nunc in omnibus prœliis armaturis melius pugnari, quam cęteris. Ex quo intellegi debet, quantum exercitatus miles inexercitato ſit melior: cum armatura utcunque eruditi, reliquos contubernales ſuos bellandi arte præcedant. Ita autem ſevere apud maiores exercitii diſciplina ſervata eſt, ut & doctores armorum duplicibus remunerarentur annonis: & milites, qui parum in illa proluſione profecerant, pro frumento hordeũ cogerentur accipere: nec ante eis in tritico redderetur annona, quã ſub pręſentia præfecti legionis, tribunorum vel principum, experimentis datis, oſtendiſſent, ſe omnia, quæ erant in militari arte, compleſſe. Nihil enim neque firmius, neque felicius, neque laudabilius eſt Republ., in qua abundant milites eruditi. Non enim veſtium nitor, vel auri, argenti, gemmarumque copiæ, hoſtes, aut ad reverentiam noſtram, aut ad gratiam inclinant, ſed ſolo terrore ſubiguntur armorum. Deinde in aliis rebus (ſicut ait Cato) ſi quid erratum eſt poteſt [poſtmodum] corrigi; præliorum delicta emendationem non recipiunt: cum pœna ſtatim ſequatur errorem. Aut enim confeſtim pereunt, qui ignave imperiteque pugnaverint, aut in fugam verſi, victoribus ultra pares eſſe non audent.

CAP.

Cap. XIV.

Ad missilia iacienda exercendos tirones.

SEd ad inceptum revertor. Tiro, qui cum clava exercetur ad palum, hastilia quoque ponderis gravioris, quàm vera futura sunt iacula, adversus illum palum, tanquam adversus hominem iactare compellitur. In qua re armorum doctor attendit, ut magnis viribus hastile contorqueat, ut destinato ictu vel in palum, vel iuxta dirigat missile. Eo enim exercitio & lacertis robur accrescit, & iaculandi peritia atque usus acquiritur.

Cap. XV.

Sagittis tirones exercendos diligenter.

SEd prope tertia vel quarta pars iuniorum, quæ aptior potuerit reperiri, arcubus ligneis, sagittisque lusoriis, ad illos ipsos semper exercenda est palos. Ac doctores ad hanc rem artifices eligendi: & maior adhibenda solertia, ut arcum scienter teneant, ut fortiter impleant; ut sinistra fixa sit, & dextera cum ratione ducatur; ut ad illud, quod feriendum est, oculus pariter animusque consentiant; ut sive in equo, sive in terra, rectū sagittare doceant. Quam artem, & disci opus est diligenter, & quotidiano

diano usu exercitioque servari. Quantum autem utilitatis boni sagittarii in prœliis habeant,& Cato in libris de disciplina militari evidenter ostendit,& Claudius pluribus iaculatoribus [ante] institutis atque perdoctis,hostem, cui prius impar fuerat, superavit. Aphricanus quidem Scipio,cum adversum Numantinos,qui exercitum populi Romani sub iugum miserant,esset acie certaturus, aliter se superiorem futurum [esse] non credidit, nisi in omnibus centuriis lectos sagittarios miscuisset.

CAP. XVI.

Ad iactandos lapides exercendos tirones.

AD lapides vero,vel manibus, vel fundis iaciendos, exerceri diligenter convenit iuniores. Fundarum [autem] usum primi Balearium insularum habitatores & invenisse, & ita perite exercuisse dicuntur, ut matres parvos filios nullum cibum contingere sinerent, nisi quem ex funda destinato lapide percussissent. Sæpe enim adversum bellatores,cassidibus,cataphractis, loricisque munitos, teretes lapides de funda vel fustibalo destinati, sagittis sunt omnibus graviores: cum membris integris,letale tamen vulnus importent: & sine invidia sanguinis,hostis lapidis ictu intereat.In omnibus autem veterum prœliis funditores militasse

litasse nullus ignorat. Quæ res ideo ab universis tironibus frequenti exercitio discenda est, quia fundam portare, nullus est labor. Et interdum evenit, ut in lapidosis locis conflictus habeatur, ut aut mons sit aliquis defendendus, aut collis, aut ab oppugnatione castellorum sive civitatum, lapidibus barbari fundisque pellendi sint.

Cap. XVII.

De exercitio plumbatarum.

Plumbatarum quoque exercitatio (quos Martiobarbulos vocant) tradenda est iunioribus. Nam in Illyrico dudum duæ legiones fuerunt, quæ sena millia militum habuerunt: quæ, quod his telis scienter utebantur & fortiter, Martiobarbuli vocabantur. Per hos longo tempore strenuissime constat omnia bella confecta: usque eo, ut Diocletianus & Maximianus, cum ad imperium pervenissent, pro merito virtutis hos Martiobarbulos, Iovianos, atque Herculianos censuerint appellandos, eosque cunctis legionibus prætulisse doceantur. Quinos autem Martiobarbulos insertos scutis portare consueverunt: quos si opportune milites iaciunt, prope sagittariorum scutati mutuari videntur officium. Nam hostes equosque consauciant, priusquam non modo ad manum,

num, ſed ad ictum miſſilium potuerit perveniri.

CAP. XVIII.

Quemadmodum ad aſcendendos equos tirones exercendi ſint.

NON tantum autem à tironibus, ſed etiam à ſtipendiariis militibus ſalitio equorum diſtricte eſt ſemper exacta. Quem uſum uſque ad hanc ætatem, licet iam cum diſſimulatione, perveniſſe manifeſtum eſt. Equi lignei hyeme ſub tecto, æſtate ponebantur in campo: ſuper hos iuniores primo inermes, dum conſuetudine proficerent, demũ armati cogebantur aſcendere. Tantaque cura erat, ut non ſolum à dextris, ſed etiam à ſiniſtris [partibus] & inſilire & deſilire condiſcerent, evaginatos etiam gladios vel contos tenentes. Hoc enim aſſidua meditatione faciebant, ſcilicet ut in tumultu prœlii ſine mora aſcenderent, qui tam ſtudioſe exercebantur in pace.

CAP. XIX.

Ad portandum pondus exercendos tirones.

PONDUS quoque baiulare uſque ad ſexaginta libras, & iter facere gradu militari, frequentiſſime cogendi ſunt iuniores, quibus in arduis expeditionibus neceſ-

sitas imminet annonam pariter & arma portandi. Nec hoc credatur esse difficile, si usus accesserit: nihil enim est, quod non assidua meditatio facillimum reddat. Quã rem antiquos milites factitavisse, Vergilio ipso teste, cognoscitur, qui ait:

Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Iniusto sub fasce viam cum carpit, & hosti
Ante expectatus positis stat in agmine castris.

Cap. XX.

Quo armorum genere usi sint antiqui.

Locus exigit, ut quo armorum genere vel instruendi, vel muniendi sint tirones, referre tentemus. Sed in hac parte antiqua penitus consuetudo deleta est: nam licet exemplo Gotthorum & Alanorum Hunnorumque equitum arma profecerint, pedites [tamen] constat esse nudatos. Ab urbe enim condita usque ad tempus Divi Gratiani, & cataphractis & galeis muniebatur pedestris exercitus. Sed cum campestris exercitatio interveniente neglegentia desidiaque cessaret, gravia videri arma cœperunt, quæ raro utique milites induebant. Itaque ab Imperatore postulant, primo cataphractas, deinde cassides deponere: sic detectis pectoribus & capitibus, congressi contra Gotthos milites nostri, multitu-

multitudine ſaggittariorum ſæpe deleti ſunt: nec poſt tot clades, quæ uſque ad tantarum urbium excidia pervenerunt, cuiquam curæ fuit, vel cataphractas vel galeas pedeſtribus reddere. Ita fit, ut non de pugna, ſed de fuga cogitent, qui in acie nudi exponuntur ad vulnera. Quid enim pedes ſagittarius ſine cataphracta, ſine galea, qui cum arcu ſcutum tenere non poteſt, faciat? Quid ipſi draconarii, atque ſigniferi, qui ſiniſtra manu haſtas gubernant, in prœlio facient, quorum & capita nuda eſſe conſtat, & pectora? Sed gravis pediti lorica videtur, & galea fortaſſe, raro meditanti arma, raro tractanti. Cæterum quotidianus uſus non laborat, etiam ſi oneroſa geſtaverit. Sed illi qui laborem in portandis veteribus munimentis armorum, ferre non poſſunt, detectis corporibus & vulnera ſuſtinere coguntur & mortes: &, quod eſt gravius[& turpius,] aut capi, aut certe fuga Rempublicam prodere. Sic dum exercitium laboremque declinant, cum maximo dedecore trucidantur, ut pecudes. Vnde enim apud antiquos Murus dicebatur pedeſtris exercitus: niſi quod pilatæ legiones præter ſcuta etiam cataphractis galeiſque fulgebant? uſque eo, ut ſagittarii ſiniſtra brachia manicis munirentur: pedites autem ſcutati, præter cataphractas & galeas, etiam ferreas ocreas in dextris cruribus coge-

cogerentur accipere. Sic erant muniti illi, qui in prima acie Pugnantes Principes, in secunda Hastati, in tertia Triarii vocabantur. Sed Triarii genibus positis solebant intra scuta subsidere, ne stantes vulnerarentur venientibus telis, & cum necessitas postulasset, tanquam requieti vehementius invaderent hostes; [à] quibus constat sæpe factam esse victoriam, cum hastati illi, & qui priores steterant, interiissent. Erant autem apud veteres interpedites, qui dicebantur levis armaturæ funditores, & ferentarii: qui præcipue in cornibus locabantur, & à quibus pugnandi sumebatur exordium: sed hi & velocissimi & exercitatissimi legebantur. Nec erant admodum multi, qui cedentes (si prœlii necessitas compulisset) inter principia legionum recipi solebant, ita ut acies immota consisteret. Vsque ad præsentem prope ætatem consuetudo permansit, ut omnes milites pileis, quos Pannonicos vocabant, ex pellibus uterentur: quod propterea servabatur, ne gravis galea videretur in prœlio homini, qui gestabat aliquid semper in capite. Missilia autem, quibus utebatur pedestris exercitus, pila vocabantur, ferro subtili trigono præfixa, unciarum novem, sive pedali, quæ in scuto fixa non possent abscindi, & loricam scienter & fortiter directa facile perrumpunt, cuius generis apud nos iam

rara

rara sunt tela. Barbari autem scutati pedites his præcipue utuntur, quas bebras vocant, & binas etiam ac ternas in prœliis portant. Sciendum præterea, cum missilibus agitur, sinistros pedes inante milites habere debere: ita enim vibrandis spiculis vehementior ictus est. Sed cum ad pila (ut appellant) venitur, & manu ad manum gladiis pugnatur, tunc dextros pedes inante milites habere debent: ut & latera eorum subducantur ab hostibus, ne possint vulnus accipere, & proximior dextra sit, quæ plagam possit inferre. Instruendos igitur ac protegendos omni arte pugnandi, quocunque genere armorum, constat esse tirones. Necesse est enim, ut dimicandi acriorem sumat audaciam, qui munito capite vel pectore non timet vulnus.

CAP. XXI.

De munitione castrorum.

CASTRORUM quoque munitionem debet tiro condiscere: nihil enim, neque tam salutare, neque tam necessarium invenitur in bello: quippe si recte constituta sunt castra, ita intra vallum securi milites dies noctesque peragunt, etiam si hostis obsideat, quasi muratam civitatem videantur secum ubique portare. Sed huius rei scientia prorsus intercidit: nemo enim

iam

iam diu ductis fossis, præfixisque sudibus castra constituit. Sic diurno vel nocturno superventu equitum barbarorum, multos exercitus scimus frequenter afflictos. Non solum autem confidentes sine castris ista patiuntur, sed cum in acie casu aliquo cœperint cedere, munimenta castrorum, quo se recipant, non habent, & more animaliũ inulti cadunt. Nec prius moriendi finis fit, quam hostibus voluntas defuerit persequendi.

Cap. XXII.

In quibus locis constituenda sint castra.

Castra autem, præsertim hoste vicino, tuto semper facienda sunt loco: ubi & lignorum & pabuli & aquæ suppetat copia. Et si diutius commorandum sit, loci salubritas eligetur. Cavendum etiam ne mons sit vicinus altior, qui ab adversariis captus, possit officere. Considerandum, [etiam] ne torrentibus inundari consueverit campus, & hoc casu vim patiatur exercitus. Pro numero autem militum, vel impedimentorum, munienda sunt castra, ne maior multitudo constipetur in parvis, neve paucitas in latioribus ultra quam oportet cogatur extendi.

CAP. XXIII.

Quali specie delineanda sint castra.

INTERDUM autem quadrata, interdum trigona, interdum semirotunda, prout loci qualitas aut necessitas postulaverit, castra facienda sunt. Porta autem, quæ appellatur prætoria, aut Orientem spectare debet, aut illum locum qui [ad] hostes respicit: aut si iter agitur, illam partem debet attendere, ad quam est profecturus exercitus. intra quam primæ centuriæ, hoc est, cohortes, papiliones tendunt, & dracones & signa constituunt. Decumana autem porta, quæ appellatur, post prætoriam est, per quam delinquentes milites educuntur ad pœnam.

CAP. XXIV.

Quo genere munienda sint castra.

CASTRORUM autem diversa triplexque munitio est. Nã si nimia necessitas non premit, cespites circũciduntur è terra, & ex illis velut murus instruitur, altus tribus pedibus supra terram, ita ut inante sit fossa de qua levati sint cespites: deinde tumultuaria fossa fit lata pedes novem, & alta pedes septem. Sed ubi vis acrior imminet hostium, tunc legitima fossa ambitum convenit munire

munire caſtrorum, ita ut duodecim pedes lata ſit, & alta ſub linea (ſicut appellant) pedes novem. Supra autem ſepibus hinc inde factis, quæ de foſſa egeſta fuerit terra congeritur, & creſcit in altum quatuor pedes. Sic fit ut ſit alta tredecim pedes, duodecim lata: ſupra quam ſudes de lignis fortiſſimis, quas milites portare conſueverunt, præfiguntur. Ad quod opus ligones, raſtra, qualos, aliaque utenſilium genera habere convenit ſemper in promtu.

Cap. XXV.

Quemadmodum munienda ſint caſtra, cum hoſtis immineat.

Sed facile eſt abſentibus adverſariis caſtra munire: verum ſi hoſtis incumbat, tunc omnes equites, & media pars peditum, ad propulſandum impetum ordinantur in acie, reliqui poſt ipſos ductis foſſis muniunt caſtra: & per præconem indicatur, quæ centuria prima, quæ ſecunda, quæ tertia, donec opus omne compleverit. Poſt hoc à centurionibus foſſa inſpicitur, ac menſuratur; & vindicatur in eos, qui negligentius fuerint operati. Ad hunc ergo uſum inſtituendus eſt tiro, ut cum neceſſitas poſtulaverit, ſine perturbatione, & celeriter, & acute poſſit caſtra munire.

CAP. XXVI.

Quemadmodum exerceantur tirones, ut in acie ordines & intervalla custodiant.

NIHIL magis prodesse constat in pugna, quam ut assiduo exercitio milites in acie dispositos ordines [indesinenter] servent, necubi contra, quam expedit, aut conglobent agmen, aut laxent. Nam ut constipati perdunt spacia pugnandi, & sibi invicem impedimento sunt: ita rariores atque interlucentes, aditum perrumpendi hostibus præstant. Necesse est autem statim metu universa confundi, si intercisa acie ad dimicantium terga hostis accesserit. Producendi ergo tirones sunt semper ad campum, & secundum matriculæ ordinem in aciem dirigendi, ita ut primo simplex extensa sit acies, ne quos sinus, ne quas habeat curvaturas: ut æquali legitimoque spacio miles distet à milite. Tunc præcipiendum, ut subito duplicent aciem, ita ut in ipso impetu, is ad quem respondere solent, ordo servetur. Tertio præcipiendum, ut quadratam aciem repente constituant: quo facto in trigonum (quem cuneum vocant) acies ipsa mutanda est. Quæ ordinatio plurimum prodesse consuevit in bello. Iubetur etiam ut instruant orbes, quo genere,

nere, cum vis hostium interruperit aciem, resisti ab exercitatis militibus consuevit, ne omnis multitudo fundatur in fugam, & grave discrimen immineat. Hæc si iuniores assidua meditatione perceperint, facilius in ipsa dimicatione servabunt.

Cap. XXVII.

Quantum spacium ire, vel redire debeant, vel quoties in mense exerceri, cum educuntur milites ambulatum.

Præterea & vetus consuetudo permansit, & Divi Augusti atque Hadriani constitutionibus præcavetur, ut ter in mense, tam equites quam pedites, educantur ambulatum: hoc enim verbo hoc exercitii genus nominant. Decem millia passuum armati instructique omnibus velis pedites, militari gradu ire ac redire iubebantur in castra, ita ut aliquam itineris partem cursu alacriore conficerent. Equites quoque divisi per turmas, armatique, similiter tantum itineris peragebant, ita ut ad equestrem meditationem interdum sequerentur, interdum cederent, & recursu quodam impetus repararent. Non solum autem in campis, sed etiam in clivosis & arduis locis, & ascendere & descendere utraque acies cogebatur, ut nulla res vel casus prorsus pugnantibus posset accidere, quam

non ante boni milites assidua exercitatione didicissent.

CAP. XXVIII.

De adhortatione rei militaris, Romanaque virtutis.

HÆC fidei ac devotionis intuitu, Imperator Invicte, de universis auctoribus qui rei militaris disciplinam literis mandaverunt, in hunc libellum enucleata congessi, ut in delectu atque exercitatione tironum, si quis diligens velit existere, ad antiquæ virtutis imitationem facile corroborare possit exercitum. Neque enim degeneravit in hominibus Martius calor, nec effœtæ sunt terræ, quæ Lacedæmonios, quę Athenienses, quæ Marsos, quæ Samnites, quæ Pelignos, quæ ipsos progenuere Romanos. Nonne Epirotæ armis plurimum aliquando valuerunt? Nonne Macedones ac Thessali, superatis Persis, usque ad Indiam bellando penetrarunt? Dacos autem & Mœsos, ac Thraces, in tantum bellicosos semper fuisse manifestum est, ut ipsum Martem fabulæ apud eos natum esse confirment. Longum est, si universarum provinciarum vires enumerare contendam, cum omnes in Romani Imperii ditione consistant. Sed longæ securitas pacis, homines partim ad delectationem otii, partim

tim ad civilia traduxit officia. Ita cura exercitii militaris primo negligentius agi, poſtea diſſimulari, ad poſtremum olim in oblivionem perducta cognoſcitur: nec aliquis hoc ſuperiore ætate accidiſſe miretur, cum poſt primum Punicum bellum, viginti, & quod excurrit, annorum pax, ita Romanos illos ubique victores ocio & armorum deſuetudine enervaverit, ut ſecundo Punico bello Hannibali pares eſſe non poſſent. Tot itaque conſulibus, tot ducibus, tot exercitibus amiſſis, tunc demum ad victoriam pervenerunt, cum uſum exercitiumque militare condiſcere potuerunt. Semper ergo legendi & exercendi ſunt iuniores. Vilius enim conſtat erudire armis ſuos: quam alienos mercede conducere.

FLAVII VEGETII RENATI

DE RE MILITARI,

LIBRI SECUNDI

Prologus.

INSTITUTA maiorum artis armaturæ pleniſſime clementiam veſtram peritiſſimeque retinere, continuis declaratur victoriis ac triumphis. Siquidem indubitata approbatio artis ſit, rerum ſemper effectus. Verum tranquilitas tua, Imperator Invicte, altiori conſilio, quam mens terrena poterat concipere, ex libris antiqua deſiderat, cum ipſam antiquitatem factis recentibus antecedat. Igitur cum hæc literis breviter comprehendere, maieſtati veſtræ non tam diſcenda, quam recognoſcenda præciperer, certavit ſæpius devotio cum pudore. Quid enim audacius, quam domino ac principi generis humani, domitori omnium gentium barbararum, aliquid de uſu ac diſciplina inſinuare bellorum? niſi forte iuſſiſſet fieri quod ipſe geſſiſſet.

gessisset. rursum tanti Imperatoris non obedire mandatis, plenum sacrilegii videbatur atque periculi. Miro itaque timore in parendo audax factus sum, dum metuo videri audacior, si negassem. Ad quam temeritatem, præcedens me indulgentiæ vestræ perennitas animavit. Nam libellum de delectu atque exercitatione tironum, dudum tanquam famulus obtuli: nec tamen culpatus abscessi. Nec formido iussum aggredi opus, quod spontaneum cessit impune.

Cap. I.

In quot genera dividatur res militaris.

Res igitur militaris (sicut Latinorum egregius auctor, carminis sui testatur exordio) armis constat & viris. Hæc in tres dividitur partes, Equites, Pedites, Classes. Equitū alæ dicuntur ab eo quod ad similitudinē alarum ab utraque parte protegant acies: quę nunc vexillationes vocātur à velo, quia velis, hoc est, flammulis utuntur. Est & aliud genus equitum, qui legionarii vocantur, propterea quod connexi sunt legioni: ad quorum exemplum ocreati equites sunt instituti. Classium item duo genera sunt. Vnum liburnarum, aliud lusoriarum. Equitibus campi; classibus maria & flumina; peditibus colles, urbes, plana, & abrupta servantur. Ex quo intelligitur,

magis Reipublicæ necessarios pedites, qui possunt ubique prodesse. Et maior numerus peditum, sumptu & expensa minore nutritur. Exercitus ex re ipsa atque opere exercitii, nomen accepit, ut ei nunquam liceret oblivisci quod vocabatur. Verum ipsi pedites, in duas divisi sunt partes, hoc est, in auxilia & legiones. Sed auxilia à sociis, vel fœderatis gentibus mittebantur. Romana autem virtus, præcipue in legionum ordinatione præpollet. Legio autem ab elegendo appellata est: quod vocabulum eorum desiderat fidem atque diligentiam, qui milites probant. In auxiliis minor, in legionibus longe amplior consuevit militum numerus asscribi.

CAP. II.

Quid inter legiones & auxilia intersit.

DENIQUE Macedones, Græci, Dardani, phalanges habuerunt, & in una phalange armatorum octo milia censuerunt. Galli atque Celtiberi, pluresque barbaricæ nationes, catervis utebantur in prœlio, in quibus erant sena milia armatorum. Romani legiones habent, in quibus singulis sena milia, interdum amplius, militare consueverunt. Quid autem inter legiones & auxilia interesse videatur, expediam. Auxiliares conducuntur ad prœlium,

lium, ex diversis locis, ex diversis numeris venientes: nec disciplina inter se, nec notitia, nec affectione consentiunt. Alia instituta, alius inter eos est usus armorum. Necesse est autem tardius ad victoriam pervenire, qui discrepant antequam dimicent. Denique cum in expeditionibus plurimum prosit, omnes milites unius præcepti significatione converti, non possunt æqualiter iussa complere qui ante pariter non fuerunt. Tamen hæc ipsa si solennibus diversisque exercitiis prope quotidie roborentur, non mediocriter iuvant. Nam legionibus semper auxilia, tanquam levis armatura, in acie iungebantur, ut in his prœliandi magis adminiculum esset, quam principale subsidium. Legio autem propriis cohortibus plena, cum gravem armaturam, hoc est, principes hastarios, triarios, antesignanos; item levem armaturam, hoc est, ferentarios, sagittarios, funditores, balistarios; cum proprios & sibi insitos equites legionarios, iisdem matriculis teneat: cum uno animo, parique consensu castra muniat, aciem instruat, prœlium gerat; ex omni parte perfecta; nullo extrinsecus indigens adiumento: quantumlibet hostium multitudinem superare consueverat. Documentum est magnitudo Romana, quæ semper cum legionibus dimicans, tantum hostium vicit, quantum vel ipsa voluit,

luit, vel rerum natura permisit.

CAP. III.

Quæ causa exhauriri fecerint legiones.

LEGIONUM nomen in exercitu permanet hodieque, sed per negligentiam superiorum temporum, robur infractum est, cum virtutis præmia occuparet ambitio, & per gratiam promoverentur milites, qui promoveri consueverant per laborem. Deinde contubernalibus, completis stipendiis, per testimoniales ex more dimissis, non sunt alii substituti. Præterea necesse est, morbo aliquantos debilitari, atque dimitti, aliquantos [militiam] deserere, vel diversis casibus interire: ut nisi annis singulis, imo singulis pene mensibus in decedentium locum iuniorum turba succedat, quãvis copiosus exhauriatur exercitus. Est & alia causa, cur attenuatæ sint legiones. Magnus in illis labor est militandi, graviora arma, seria munera, severior disciplina. Quod vitantes plerique, in auxiliis festinant militiæ sacramenta percipere, ubi & minor sudor, & maturiora sunt præmia. Cato ille Maior, cum & armis invictus esset, & Consul exercitus sæpe duxisset, plus se Reipublicæ credidit profuturum, si disciplinam militarem conferret in literas. Nã unius ætatis sunt, quæ fortiter fiunt; quæ

vero

vero pro utilitate Reipublicæ scribuntur, ęterna sunt. Idē fecerunt alii complures, sed præcipue Frontinus Divo Traiano ob eiusmodi comprobatur industriam. Horū instituta, horum præcepta, in quantū valeo, strictim fideliterque signabo. N m cum easdē expensas faciat & diligenter & negligenter exercitus ordinatus, non solū præsentibus, sed etiam futuris seculis proficiet, si provisione maiestatis tuæ, Imperator Auguste, & fortissima dispositio reparetur armorum, & emendetur dissimulatio præcedentium.

Cap. IV.

Quotenas legiones antiqui ad bellum duxerint.

In omnibus auctoribus invenitur, singulos Consules adversus hostes copiosissimos, non amplius quam binas duxisse legiones, additis auxiliis sociorum. Tanta in illis erat exercitatio, tanta fiducia, ut cuivis bello duæ legiones crederentur posse sufficere. Quapropter ordinationem legionis antiquæ secundum normam militaris iuris exponam. Quæ descriptio si obscurior aut impolitior videbitur, non mihi, sed difficultati ipsius rei convenit imputari. Attento itaque animo sæpius relegenda sunt, ut memoria intellegentiaque valeant comprehendi.

Necesse est enim invictam esse rempublicam, cuius Imperator militari arte percepta; quantos voluerit faciat exercitus bellicosos.

CAP. V.

Quemadmodum legio constituatur.

DILIGENTER igitur lectis iunioribus, animis corporibusque præstantibus, additis etiam exercitiis quotidianis, quatuor vel eo amplius mensium, iussu auspiciisque Invictissimi Principis, legio formatur. Nam puncturis in cute punctis milites scripti & matriculis inserti iurare solent. Et ideo militiæ sacramenta dicuntur. Iurant autem per Deum, & per Christum, & per Spiritum sanctum, & per maiestatem Imperatoris, quæ secundum Deum generi humano diligenda est & colenda. Nam Imperatori, cum Augusti nomen accepit, tanquam præsenti & corporali Deo fidelis est præstanda devotio, & impendendus pervigil famulatus. Deo enim vel privatus, vel militans servit, cum fideliter eum diligit, qui Deo regnat auctore. Iurant autem milites, omnia se strenue facturos, quæ præceperit Imperator, nunquam deserturos [militiam,] nec mortem recusaturos pro Romana Republica.

Cap. VI.

Quot cohortes in una ſint legione, item quot milites in una cohorte.

SCiendum eſt autem, in una legione decem cohortes eſſe debere. Sed prima cohors reliquas, & numero militum & dignitate præcedit. Nam genere atque inſtitutione literarum viros ſelectiſſimos quærit. Hæc enim ſuſcipit Aquilam, quod præcipuum ſignum in Romano eſt ſemper exercitu, & totius legionis inſigne. Hæc Imagines Imperatorum, hoc eſt, divina & præſentia ſigna veneratur. Habet Pedites mille centum quinque: Equites loricatos centum triginta duos : & appellatur cohors miliaria. Hæc caput eſt legionis; ab hac, cum pugnandum eſt, prima acies incipit ordinari. Secunda cohors habet Pedites quingentos quinquaginta quinque; Equites ſexaginta ſex : & appellatur cohors quingentaria. Tertia cohors ſimiliter habet Pedites 555. Equites 66. Sed in hac cohorte tertia, validiores probari moris eſt, quia in media acie conſiſtit. Cohors quarta habet Pedites 555. Equites 66. Cohors quinta habet Pedites 555. Equites 66. Sed & quinta cohors ſtrenuos deſiderat milites; quia ſicut prima in dextro, ita quinta in ſiniſtro ponitur cornu. Hæ quinque

que cohortes in prima acie ordinantur. Sexta cohors habet Pedites 555. Equites 66. In ipſa quoque enucleati aſſcribendi ſunt iuniores: quia in ſecunda acie poſt Aquilam & Imagines cohors ſexta conſiſtit. Cohors ſeptima habet Pedites 555. Equites 66. Cohors actava habet Pedites 555. Equites 66. Sed & ipſa animoſos deſiderat viros: quia in ſecunda acie conſiſtit in medio. Cohors nona habet Pedites 555: Equites 66. Cohors decima habet Pedites 555: Equites 66. & ipſa bonos accipere conſuevit bellatores: quia in ſecunda acie ſiniſtrum poſſidet cornu. His decem cohortibus legio plena fundatur, quæ habet pedites ſex millia centum, equites ſeptingentos viginti ſex. Minor itaque numerus armatorum in una legione eſſe non debet. Maior autem interdum eſſe conſuevit, ſi non tantum unam cohortem, ſed etiam alias milliarias fuerit iuſſa ſuſcipere.

CAP. VII.

Nomina & gradus principum legionis.

ANTIQUA ordinatione legionis expoſita, principalium militum, & (ut proprio utar vocabulo) principum nomina, & dignitates, ſecundum præſentes matriculas indicabo. Tribunus maior per epiſtolam ſacram Imperatoris iudicio deſtinatur.

Minor

Minor tribunus provenit ex labore. Tribunus autem vocatur à tribu: quia præest militibus, quos ex tribu primus Romulus legit. Ordinarii dicuntur, qui in prœlio primos ordines ducunt. Augustales appellantur, qui ab Augusto ordinariis iuncti sunt. Flaviales item tanquam secundi Augustales, à Divo Vespasiano sunt legionibus additi. Aquiliferi, qui Aquilam portant. Imaginarii vel Imaginiferi, qui Imperatoris Imagines ferunt. Optiones ab optando appellati, quod antecedentibus ægritudine præpeditis, hi tanquam adoptati eorum, atque vicarii, solent universa curare. Signiferi, qui signa portant: quos nunc Draconarios vocant. Tesserarii, qui tesseram per contubernia militum nunciant. Tessera autem dicitur præceptum ducis. quo vel ad [aliquod] opus, vel ad bellum movetur exercitus. Campigeni, hoc est, antesignani, ideo sic nominati, quia eorum opera atque virtute exercitii genus crescit in campo. Metatores, qui præcedentes, locum eligunt castris. Beneficiarii, ab eo appellati, quod promovētur beneficio tribunorum. Librarii, ab eo, quod in libros referāt rationes ad milites pertinentes. Tubicines, Cornicines, & Buccinatores, quia tuba vel ære curvo, vel buccina committere prœlium solent. Armaturæ duplares, quæ binas consequuntur annonas. Simplares, quæ

quæ ſingulas. Menſores, qui in caſtris ad podiſmum dimetiuntur loca, in quibus milites tentoria figant, vel hoſpitia in civitatibus præſtant. Torquati duplares; Torquati ſimplares: quibus torques aureus ſolidus virtutis præmium fuit: quem qui meruiſſet, præter laudem interdum duplas conſequebatur annonas: duplares duas, ſimplares unam. Erant & ſecundum annonam candidati duplares, candidati ſimplares. Hi ſunt milites principales, qui privilegiis muniuntur. Reliqui munifices appellantur, quia munia facere coguntur.

CAP. VIII.

Nomina eorum, qui antiquos ordines ducebant.

VETUS autem conſuetudo tenuit, ut ex primo principe legionis, promoveretur centurio primipili: qui non ſolum Aquilæ præerat, verumetiam quatuor centurias, hoc eſt, quadringentos milites, in prima acie gubernabat. Hic tanquam caput totius legionis merita conſequebatur & commoda. Item primus haſtatus duas centurias, id eſt, ducentos homines ducebat in acie ſecunda, quem nunc ducenarium vocant. Princeps autem primæ cohortis centuriam ſemis, hoc eſt, centum quinquaginta homines gubernabat. Ad

quem

quem prope omnia, quæ in legione ordinata sunt, pertinent. Item secundus hastatus centuriam semis, id est, centum quinquaginta homines regebat. Triarius prior, centum homines gubernabat: sic decem centuriæ cohortis primæ, à quinque ordinariis regebantur: quibus magnæ utilitates, & magnus honor est à veteribus constitutus: ut ceteri milites ex tota legione omni labore ac devotione contenderent ad tanta præmia pervenire. Erant enim centuriones, qui singulas centurias curabant: qui nunc centenarii nominantur. Erant decani, denis militibus præpositi: qui nunc caput contubernii vocantur. Secunda cohors habebat centuriones quinque. Similiter tertia, & quarta, usque ad decimam cohortem: in tota autem legione erant centuriones quinquaginta quinque.

Cap. IX.

De officio præfecti legionis.

Sed legati Imperatoris ex consularibus ad exercitus mittebantur, quibus legiones & auxilia universa obtemperabant in ordinatione pacis vel necessitate bellorum, in quorum locum nunc Illustres viros constat Magistros militum substitutos, à quibus non tantum binæ legiones, sed etiam plures

plures numeri gubernantur. Proprius autem iudex erat præfectus legionis, habens comitivam primi ordinis dignitatem, qui absente legato, tanquam vicarius ipsius potestatem maximam retinebat. Tribuni vel centuriones, ceterique milites, eius pręcepta servabant. Vigiliarum sive profectionis tessera ab eodem petebatur. Si miles crimen aliquod admisisset, auctoritate præfecti legionis deputabatur à tribuno ad pœnam. Arma omnium militum, item equi, vestes, & annona, ad curam ipsius pertinebant. Disciplinæ ius, & severitas, exercitatio, non solum peditũ, sed etiam equitum legionariorum, præcepto eius quotidie curabatur. Ipse autem custos diligens & sobrius, legionem sibi creditam assiduis operibus ad omnem devotionem, ad omnem formabat industriam: sciens ad pręfecti laudem subiectorum redundare virtutem.

CAP. X.

De officio præfecti castrorum.

ERAT etiam castrorum præfectus, licet inferior dignitate, occupatus tamen non mediocribus causis: ad quem castrorum positio, valli & fossæ destinatio, pertinebat. Tabernacula vel casæ militum, cum impedimentis omnibus, nutu ipsius curabantur.

bantur. Præterea ægri contubernales & medici, à quibus curabantur, expenſæ etiã, ad eius induſtriam pertinebant. Vehicula, ſagmarii, necnon etiam ferramenta, quibus materies ſecatur vel cæditur, quibus aperiuntur foſſæ, contexitur vallum aquæ ductus. Item ligna vel ſtramina, arietes, onagri, baliſtæ, ceteraque genera tormentorum, ne deeſſent aliquando, procurabat. Is poſt longam probatamque militiam peritiſſimus omnium legebatur: ut recte doceret alios, quod ipſe cum laude feciſſet.

Cap. XI.

De officio præfecti fabrorum.

Habet præterea legio fabros lignarios, inſtructores, carpentarios, ferrarios, pictores, reliquoſque artifices, ad hybernorum ædificia fabricanda, ad machinas, turres ligneas, ceteraque, quibus vel expugnantur adverſariorum civitates, vel defenduntur propriæ, præparatos: qui arma, qui vehicula, ceteraque genera tormentorum, vel nova facerent, vel quaſſata repararent. Habebant etiam fabricas ſcutarias, loricarias, arcuarias, in quibus ſagittæ, miſſilia, caſſides, omniaque armorum genera formabantur. Hæc enim erat cura præcipua, ut quicquid exercitui neceſ-

necessarium videbatur, nunquam deesset in castris: usque eo, ut etiam cunicularios haberent, qui ad morem Bessorum, ducto sub terris cuniculo, murisque intra fundamenta perfossis, improvisi emergerent ad urbes hostium capiendas. Horum iudex erat proprius præfectus fabrorum.

CAP. XII.

De officio tribuni militum.

DECEM cohortes habere legionem diximus: sed prima erat miliaria, in qua censu, genere, literis, forma, virtute pollentes milites mittebantur. Huic tribunus præerat, armorum scientia, virtute corporis, morum honestate præcipuus. Reliquæ cohortes, prout Principi placuisset, à tribunis vel à præpositis regebantur. Tanta autem servabatur exercendi milites cura, ut non solum tribuni, vel præpositi contubernales, sibi creditos sub oculis suis iuberent quotidie meditari, sed etiam ipsi armorum arte perfecti, ceteros ad imitationem proprio cohortarentur exemplo. Tribuni autem solicitudo per hanc laudatur industriã: cum miles veste nitidus, armis bene munitus, ac fulgens, exercitii usu & disciplina eruditus incedit.

Cap. XIII.

De centuriis atque vexillis peditum.

Primum signum totius legionis est Aquila, quam aquilifer portat. Dracones etiam per singulas cohortes à draconariis feruntur ad prœlium. Sed antiqui, quia sciebant, in acie, commisso bello, celeriter ordines aciesque turbari, atque confundi: ne hoc posset accidere, cohortes in centurias diviserunt, & singulis centuriis singula vexilla constituerunt: ita ut ex qua cohorte, vel quota esset centuria, in illo vexillo literis esset asscriptum, quod intuentes [vel legentes] milites, in quantovis tumultu, à contubernalibus suis aberrare non possent. Centuriones insuper, qui nunc centenarii vocantur, transversis cassidum cristis, ut facilius noscerentur [à suis,] quos singulas iusserunt gubernare centurias: quatenus nullus error existeret, cum centeni milites sequerentur non solum vexillum suum, sed etiam centurionem, qui signum habebat in galea. Rursus ipsæ centuriæ in contubernia divisæ sunt: ut decem militibus sub uno papilione degentibus, unus [quasi] præesset decanus, qui caput contubernii nominatur. Contubernium autem manipulus vocabatur, ab eo quod coniunctis manibus pariter dimicabant.

Cap.

CAP. XIV.

De turmis equitum legionariorum.

QVEMADMODUM inter pedites centuria vel manipulus appellatur, ita inter equites turma dicitur. Et habet una turma equites 32. Huic qui præest, decurio nominatur. Vt enim centum & decem pedites ab uno centurione, ſub uno vexillo gubernantur, ſimiliter 32. equites ab uno decurione, ſub uno vexillo reguntur. Præterea ſicut centurio eligendus eſt, [qui ſit] magnis viribus & procera ſtatura; qui haſtas vel miſſilia perite iaculetur & fortiter; qui dimicare gladio, & ſcutum rotare doctiſſime noverit; qui omnem artem didicerit armaturæ; vigilans, ſobrius; agilis magis ad facienda quæ ei imperantur, quam ad loquendum paratus: [qui] contubernales ſuos ad diſciplinam retineat; ad armorum exercitium cogat; ut bene veſtiti, & calceati ſint; ut arma omnium defricentur ac ſplendeant: ſimiliter eligendus eſt decurio, qui turmæ equitum præponatur; inprimis habili corpore, ut loricatus, & armis circundatus omnibus, cum ſumma admiratione equum poſſit aſcendere; equitare fortiſſime; conto ſcienter uti; ſagittas doctiſſime mittere; turmales ſuos, id eſt, ſub cura ſua equites poſitos, erudire ad omnia, quæ equeſtris

questris pugna deposcit: eosdem cogere loricas, vel cataphractas, contos, & cassides frequenter tergere, curare, samiare. Plurimum enim terroris hostibus armorum splendor importat. Quis credat militem bellicosum, cuius dissimulatione, situ, ac rubigine arma fœdantur? Non solum autem equites, sed etiam ipsos equos assiduo labore convenit edomari. Itaque ad decurionem & sanitatis, & exercitationis tam hominum, quam equorum pertinet cura.

Cap. XV.

Quemadmodum legionum acies instruantur.

Nunc qualiter instruenda sit acies, si pugna immineat, declaretur unius legionis exemplo: quod si usus exegerit, transferri possit ad plures. Equites locantur in cornibus. Acies peditum à prima cohorte incipit ordinari in cornu dextro. Huic cohors secunda coniungitur. Tertia cohors in media acie collocatur. Huic annectitur quarta. Quinta vero [cohors] sinistrum suscipit cornu. Sed ante signa, & citra signa, nec non etiam in prima acie dimicantes, principes vocantur, hoc est, ordinarii, ceterique principales. Hæc erat gravis armatura, qui habebant cassi-

des,cathaphractas,ocreas, scuta, gladios maiores, quos spathas vocant, & alios minores, quos semispathas nominant, plumbatas quinas positas in scutis, quas primo impetu iaciunt. Item bina missilia: unum maius, ferro triangulo, unciarum novem, hastili pedum quinque [&] semis, quod pilum vocabant, nunc spiculum dicitur, ad cuius iactum exercebantur praecipue milites; quod arte, & virtute directum, & scutatos pedites, & loricatos equites saepe transverberabat: aliud minus, ferro triangulo unciarum quinque, hastili trium pedum [&] semis, quod tunc verriculum, nunc verutum dicitur. Prima acies principum: Secunda hastatorum, armis talibus docetur instructa. Post hos erant ferentarii & levis armatura; quos nunc auxiliatores, & armaturas dicimus; scutati, qui plumbatis, gladiis, & missilibus accincti, sicut nunc prope omnes milites videntur armati. Erant item sagittarii cum cassidibus; cataphractis; & gladiis; sagittis; & arcubus. Erant funditores, qui ad fundas vel fustibalos lapides iaciebant. Erant tragularii, qui ad manubalistas, vel arcubalistas dirigebant sagittas. Secunda acies similiter armabatur: in qua consistentes milites, hastati vocabantur. Sed in secunda acie, dextro cornu, cohors sexta ponebatur: cui iungebatur septima. Octava cohors

hors mediam aciem tenebat, nona comitante. Decima cohors in ſecunda acie ſiniſtrum ſemper obtinebat cornu.

CAP. XVI.

Quemadmodum triarii, vel centuriones armentur.

POST omnes autem acies, triarii cum ſcutis, cataphractis & galeis, ocreati, cum gladiis, ſemiſpathis, plumbatis [&] binis miſſilibus locabantur, qui genu poſito ſubſidebant, ut, ſi prima acies vinceretur, ab his quaſi de integro reparata pugna poſſet ſperari victoria. Omnes autem ſignarii vel ſigniferi, quamvis pedites, loricas minores accipiebant, & galeas ad terrorem hoſtium urſinis pellibus tectas. Centuriones vero habebant cataphractas, ſcuta, & galeas ferreas: ſed tranſverſis & argentatis criſtis, ut facilius agnoſcerentur à ſuis.

CAP. XVII.

Commiſſa pugna gravem armaturam ſtare pro muro.

ILLUD autem ſciendum eſt, & modis omnibus retinendum: quod commiſſo bello, prima ac ſecunda acies ſtabat immota. Triarii quoque reſidebant. Ferentarii

 autem,

autem, armaturæ, ſcutatores, ſagittarii, funditores, hoc eſt, levis armatura, adverſarios provocabant ante aciem procedentes: ſi hoſtes fugare poterant, ſequebantur: ſi eorum virtute ac multitudine premebantur, revertebantur ad ſuos, & poſt eos ſtabant. Excipiebat autem prœlium gravis armatura, quæ tanquam murus (ut ita dicam) ferreus ſtabat; & non ſolum miſſilibus, ſed etiam gladiis cominus dimicabat. Et ſi hoſtes fugaſſet, non ſequebatur gravis armatura, ne aciem ſuam ordinemque turbaret, & ad diſperſos recurrentes, hoſtes, incompoſitos opprimerent: ſed levis armatura cum funditoribus, ſagittariis, & equitibus, fugientes ſequebatur inimicos. Hac diſpoſitione, atque cautela, ſine periculo legio vincebat, aut ſuperata ſervabatur, incolumis: quia ius legionis eſt, facile nec fugere, nec ſequi.

CAP. XVIII.

Nomina militum, & gradus, in ſcutis eorum adverſis ſcribenda.

SED ne milites [aliquando] in tumultu prœlii à ſuis contubernalibus aberrarent, diverſis cohortibus diverſa in ſcutis ſigna pingebant, ut ipſi nominant δείγματα, ſicut etiam nunc moris eſt fieri. Præterea in adverſo ſcuto uniuſcuiuſque militis [literis]

teris] erat nomen adſcriptum, addito, ex qua eſſet cohorte, quave centuria. Ex his ergo apparet, legionem bene inſtitutam, quaſi munitiſſimam eſſe civitatem, quæ omnia prœlio neceſſaria ſecum ubique portaret, nec metueret repentinũ hoſtium ſuperventum, quæ etiam in mediis campis ſubito foſſa valloque muniretur, quæ omne genus militum, omne genus contineret armorum. Si quis igitur pugna publica ſuperare Barbaros cupit, ut divinitatis nutu, diſpoſitione Imperatoris Invicti, reparentur ex tironibus legiones, votis omnibus petat. Intra breve autem temporis ſpacium, iuniores diligenter electi & exercitati quotidie, non ſolum mane, ſed etiam poſt meridiem, omni armorum diſciplina vel arte bellandi, veteres illos milites, qui orbem terrarum integrum ſubegerunt, facile coæquabunt. Nec moveatur, [Cæſar, tua maieſtas,] quod olim conſuetudo eſt mutata, quæ viguit: huius felicitatis ac proviſionis eſt perennitas tua, ut pro ſalute Reipublicæ & nova excogitet, & antiqua reſtituat. Omne opus difficile videtur, antequam tentes: cæterum ſi exercitati & prudentes viri dilectui præponantur, celeriter manus bellis apta poterit aggregari, & diligenter inſtitui. Quidvis enim efficit ſolertia, ſi competentes non denegentur expenſæ.

autem, armaturæ, ſcutatores, ſagittarii, funditores, hoc eſt, levis armatura, adverſarios provocabant ante aciem procedentes: ſi hoſtes fugare poterant, ſequebantur: ſi eorum virtute ac multitudine premebantur, revertebantur ad ſuos, & poſt eos ſtabant. Excipiebat autem prœlium gravis armatura, quæ tanquam murus (ut ita dicam) ferreus ſtabat; & non ſolum miſſilibus, ſed etiam gladiis cominus dimicabat. Et ſi hoſtes fugaſſet, non ſequebatur gravis armatura, ne aciem ſuam ordinemque turbaret, & ad diſperſos recurrentes, hoſtes, incompoſitos opprimerent: ſed levis armatura cum funditoribus, ſagittariis, & equitibus, fugientes ſequebatur inimicos. Hac diſpoſitione, atque cautela, ſine periculo legio vincebat, aut ſuperata ſervabatur, incolumis: quia ius legionis eſt, facile nec fugere, nec ſequi.

CAP. XVIII.

Nomina militum, & gradus, in ſcutis eorum adverſis ſcribenda.

SED ne milites [aliquando] in tumultu prœlii à ſuis contubernalibus aberrarent, diverſis cohortibus diverſa in ſcutis ſigna pingebant, ut ipſi nominant δείγματα, ſicut etiam nunc moris eſt fieri. Præterea in adverſo ſcuto uniuſcuiuſque militis [literis]

teris] erat nomen adſcriptum, addito, ex qua eſſet cohorte, quave centuria. Ex his ergo apparet, legionem bene inſtitutam, quaſi munitiſſimam eſſe civitatem, quæ omnia prœlio neceſſaria ſecum ubique portaret, nec metueret repentinũ hoſtium ſuperventum, quæ etiam in mediis campis ſubito foſſa valloque muniretur, quæ omne genus militum, omne genus contineret armorum. Si quis igitur pugna publica ſuperare Barbaros cupit, ut divinitatis nutu, diſpoſitione Imperatoris Invicti, reparentur ex tironibus legiones, votis omnibus petat. Intra breve autem temporis ſpacium, iuniores diligenter electi & exercitati quotidie, non ſolum mane, ſed etiam poſt meridiem, omni armorum diſciplina vel arte bellandi, veteres illos milites, qui orbem terrarum integrum ſubegerunt, facile coæquabunt. Nec moveatur, [Cæſar, tua maieſtas,] quod olim conſuetudo eſt mutata, quæ viguit: huius felicitatis ac proviſionis eſt perennitas tua, ut pro ſalute Reipublicæ & nova excogitet, & antiqua reſtituat. Omne opus difficile videtur, antequam tentes: cæterum ſi exercitati & prudentes viri dilectui præponantur, celeriter manus bellis apta poterit aggregari, & diligenter inſtitui. Quidvis enim efficit ſolertia, ſi competentes non denegentur expenſæ.

CAP. XIX.

Præter corporis robur, notarum, & computandi artem in tironibus eligendam.

SED quoniam in legionibus plures scholæ sunt, quæ literatos milites quærunt; ab his, qui tirones probant, in omnibus quidem staturæ magnitudinem, corporis robur, alacritatem animi, convenit explorari: sed in quibusdam notarum peritia, calculandi computandique [usus] exigitur. Totius enim legionis ratio, sive obsequiorum, sive militarium numerorum, sive pecuniæ, quotidie asscribitur actis maiore prope diligentia, quam res annonaria, vel civilis, politicis annotatur. Quotidianas etiam in pace vigilias, item excubitum, sive agrarias, de omnibus centuriis, & contuberniis, vicissim milites faciunt; ut ne quis contra iustitiam prægravetur, aut alicui præstetur immunitas: nomina eorum, qui vices suas fecerunt, brevibus inseruntur. Quando quis commeatum acceperit, vel quot dierum, annotatur in brevibus. Tunc enim difficile commeatus dabatur, nisi caussis iustissimis approbatis. Nec aliquibus milites instituti deputabantur obsequiis, nec privata iisdem negocia mandabantur. Siquidem incongruum videbatur, Imperatoris militem, qui veste

&

& annona publica pascebatur, utilitatibus vacare privatis. Ad obsequia tamen iudicum vel tribunorum, nec non etiam principalium, deputabantur milites, qui vocantur accensi, hoc est, postea additi quam fuisset legio completa, quos nunc Supernumerarios vocant. Fascicularia tamen, id est, lignum, fœnum, aquam, stramen, etiā legitimi milites in castra portabant. Munifices enim ab eo appellātur, quod hæc munia faciant.

Cap. XX.

Donativi partem dimidiam debent apud signa milites sequestrare [*servandam.*]

Illud vero ab antiquis divinitus institutum est, ut ex donativo quod milites consequuntur dimidia pars sequestraretur apud signa, & ibidem ipsis militibus servaretur, ne per luxum aut inanium rerum comparationem à contubernalibus possit absumi. Plerique enim homines, & præcipue pauperes, tantum erogant, quantum habere potuerint. Sepositio autem ista pecunię, primum ipsis contubernalibus docetur accommoda: [Nā cū publica sustententur annona, ex omnibus donativis augetur eorum pro medietate castrense peculium:) Miles deinde qui sumtus suos scit apud signa depositos, de deserendo nihil cogitat; magis deligit signa: pro illis in acie fortius

dimicat more humani ingenii, ut pro illis habeat maximam curam, in quibus suam videt positam esse substantiam. Denique decem folles, hoc est, decem sacci, per cohortes singulas ponebantur, in quibus hæc ratio condebatur. Addebatur etiam saccus undecimus, in quem tota legio particulam aliquam conferebat, sepulturæ scilicet causa, ut si quis ex contubernalibus defecisset, de illo undecimo sacco ad sepulturam ipsius promeretur expensa. Hæc ratio apud signiferos (ut nunc dicunt) in cophino servabatur. Et ideo signiferi non solum fideles, sed etiam literati homines diligebantur, qui & servare deposita, & scirent singulis reddere rationem.

CAP. XXI.

In legione ita fieri promotiones, ut per omnes cohortes transeant qui promoventur.

NON tantum humano consilio, sed etiam divinitatis instinctu, legiones à Romanis arbitror constitutas. In quibus decem cohortes ita sunt ordinatæ, ut omnium unum corpus, una videatur esse coniunctio. Nam quasi in orbem quendam per diversas cohortes & diversas scholas milites promoventur, ita ut ex prima cohor-

cohorte ad gradum quempiam promotus vadat ad decimam cohortem: & rursus ab ea, crescentibus stipendiis, cum maiore gradu per alias recurrat ad primam. Ideo primipili centurio, postquam in orbem omnes cohortes per diversas administraverit scholas, in prima cohorte ad hanc pervenit palmam, in qua ex omni legione infinita commoda consequitur. Sicut primicerius in officio præfectorum prætorio ad honestum quæstuosumque militiæ pervenit gradum: ita legionarii equites cohortes suas contubernii affectione venerantur, cum naturaliter equites à peditibus soleant discrepare. Per hanc ergo contextionem, in legionibus, & omnium cohortium, equitum, peditumque, servabatur una concordia.

Cap. XXII.

Quid inter tubicines, & cornicines, & classicum intersit.

Habet præterea legio tubicines, cornicines, & buccinatores. Tubicen ad bellum vocat milites, & rursum receptui canit. Cornicines [& buccinatores erant ornamentum totius legionis in ingressu conflictus & eius reditu. Hi] quotiens canunt, non milites, sed signa, eorum obtemperant nutum. Ergo quotiens ad

aliquod opus exituri sunt soli milites, tubicines canunt, [& soli milites ad signa eorum obtemperant.] [Quotiens movenda sunt signa, cornicines canunt.] Quotiens autem pugnatur, & tubicines & cornicines pariter canunt. Classicum item appellatur, quod buccinatores per cornu dicunt. Hoc insigne videtur Imperii, quia classicum canitur Imperatore præsente, vel cum in militem capitaliter animadvertitur: quia hoc ex Imperialibus legibus fieri necesse est. Sive ergo ad vigilias vel agrarias faciendas, sive ad opus aliquod, vel ad decursionem campi exeunt milites, tubicine vocante operantur, & rursus tubicine admonente cessant. Cum autem moventur signa, aut iam mota figenda sunt; cornicines canunt. Quod ideo in omnibus exercitiis, & processionibus custoditur, ut in ipsa pugna facilius obtemperent milites, sive eos pugnare, sive stare, sive sequi, vel redire præceperint duces. Siquidem ratio manifesta sit, semper in ocio debere fieri, quod necessario faciendum videtur in prœlio.

CAP.

CAP. XXIII.

De exercitatione militum.

LEGIONIS ordinatione digesta, ad exercitium revertamur: unde (sicut iam dictum est) exercitus nomen accepit. Iuniores quidem, & novi milites, mane, & post meridiem, ad omne genus exercebantur armorum. Veteres autem & eruditi sine intermissione semel in die exercebantur [in armis.] Neque enim longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicam tradit: sed [continua exercitationis meditatio.] post quanta volueris stipendia, inexercitatus miles semper est tiro. Idcirco armaturam, quæ festis diebus exhibetur, non tantum qui sub campi doctore sunt, sed omnes æqualiter contubernales quotidiana meditatione discebant. Nam & velocitas usu ipso acquiritur corporis, & scientia feriendi hostem, seque protegendi, præsertim si gladiis cominus dimicetur. Illud vero maius est quiddam; ordines servare discunt, & vexillum suum in tantis permixtionibus in ipsa prolusione comitantur, nec inter doctos aliquis error existit, cum multitudinis sit tanta confusio. Ad palum quoque, vel sudes, iuniores exerceri percommodum est, cum latera, vel pedes, aut caput, petere punctim,

punctim cæsimque condiscunt. Saltus quoque & ictus facere pariter assuescant, insurgere tripudiantes in clypeum, rursusque subsidere, nunc gestiendo provolare cum saltu, nunc cedentes in terga resilire. Missilibus etiam palos ipsos procul ferire meditentur, ut & ars dirigendi, & dextræ virtus possit adcrescere. Sagittarii vero, vel funditores, scopas, hoc est, fruticum vel straminum fasces, pro signo ponebant: ita ut sexcentos pedes removerentur à signo, ut sagittis, vel certe lapidibus ex fustibalo destinatis, signum sæpius tangerent. Propterea sine trepidatione in acie faciebant, quod ludentes in campo semper fecerant. Assuescendum est etiam, ut semel tantum funda circa caput rotetur, cum ex ea emittitur saxum. Sed & manu sola omnes milites meditabantur libralia saxa iactare: qui usus paratior creditur, quia non desiderat fundam. Missilia quoque, vel plumbatas, iugi perpetuoque exercitio dirigere cogebantur, usque adeo, ut tempore hyemis de tegulis, vel scandulis, quæ si deessent, certe de cannis, ulva, vel culmo, & porticus tegerentur ad equites, & quædam velut basilicæ ad pedites: in quibus tempestate, vel ventis aëre turbato, sub tecto armis erudiebatur exercitus. Cæteris autem etiam hybernis diebus, si nives tantum, pluviæque cessarent, exerceri cogebantur

bantur

bantur in campo: ne intermiſſa conſuetudo, & animos militum debilitaret, & corpora. Silvam cædere, portare onera, tranſilire foſſas, natare in mari, ſive fluminibus, gradu pleno ambulare, vel currere etiam armatos cum ſarcinis ſuis, frequentiſſime convenit: ut quotidiani laboris uſus in pace, difficilis non videatur in bello. Sive ergo legio, ſive auxilia fuerint, exerceantur aſſidue. Nam quemadmodum bene exercitatus miles prœlium cupit, ita formidat indoctus. Poſtremo ſciendum eſt, in pugna uſum amplius prodeſſe, quam vires. Nam ſi doctrina eſſet armorum, nihil paganus diſtaret à milite.

Cap. XXIV.

Exempla adhortationum & exercitii militaris, de aliis artibus tracta.

Athleta, venator, auriga, propter exiguam mercedem, vel certe plebis favorem, quotidiana meditatione artes ſuas aut ſervare, aut augere conſueſcunt. Militem (cuius eſt manibus ſervanda reſpublica) ſtudioſius oportet ſcientiam dimicandi, uſumque rei bellicæ, iugibus exercitus cuſtodire: cui contingit non tantum glorioſa victoria, ſed etiam amplior præda: quemque ad opes ac dignitates ordo militiæ, & Imperatoris iudicum, conſuevit

suevit evehere. Artifices scenici ab exercitiis non recedunt pro laude vulgi. Miles sacramento lectus, ab exercitiis armorum, vel novellus, vel iam vetustus, cessare non debet, cui pugnandum est pro salute propria, & libertate communi: præsertim cum antiqua sit prudensque sententia: Omnes artes in meditatione consistere.

CAP. XXV.

Enumeratio ferramentorum, vel machinarum legionis.

LEGIO autem non tantum militum numero, sed etiam genere ferramentorum vincere consuevit. Primum omnium instruitur iaculis, quæ nullæ loricæ, nulla possunt scuta sufferre. Nam per singulas centurias singulas carrobalistas habere cõsuevit, quibus muli ad trahendum & singula contubernia ad armandum vel dirigendum, hoc est, undecim homines, deputantur. Nam hæ quanto maiores fuerint, tanto longius [ac fortius] tela iaculantur. Non solum autem castra defendunt, verum etiam in campo post aciem gravis armaturæ ponuntur. Ad quarum impetum, nec equites loricati, nec pedites scutati possunt obstare. In una autem legione quinquaginta quinque carrobalistæ esse solent. Item decem onagri, hoc est, singuli per singulas cohor-

cohortes in carpentis bobus [duobus] portantur armatis: ut si forte hostes ad oppugnandum venerint vallum, sagittis & saxis possint castra defendi. Scaphas quoque de singulis trabibus excavatas, cum longissimis funibus, & interdum etiam ferreis catenis, secum legio portat: quatenus contextis eisdem (sicut dicunt) monoxylis, supertectis etiam tabulatis, flumina, quæ sine pontibus vadari nequeunt, tam à peditibus, quam ab equitatu, sine periculo transcantur. Habet ferreos harpagones, quos lupos vocant, & falces ferreas confixas longissimis contis, item ad fossarum opera facienda bidentes, ligones, palos, rastra, alveos, cophinos, quibus portetur terra. Habet quoque dolabras, secures, ascias, serras, quibus materia ac pali dedolantur atque serrantur. Habet præterea artifices cum omnibus ferramentis, qui ad oppugnandas hostium civitates, testudines, musculos, arietes, vineas (ut appellant,) turres etiam ambulatorias faciant. Verum ne singula enumerando plura dicantur, universa quæ in quoque belli genere necessaria esse creduntur, secum legio debet ubique portare, ut, in quovis loco fixerit castra, armatam faciat civitatem.

FLAVII

FLAVII VEGETII RENATI DE RE MILITARI

LIBRI TERTII

Prologus.

ATHENIENSES & Lacædemonios ante Macedonas rerum potitos, prisci testantur annales. Verum apud Athenienses, non solum rei bellicæ, sed etiam diversarum artium viguit industria: Lacedæmoniis autem præcipua fuit cura bellorum. Primi namq; experimenta pugnarum de eventibus colligentes artem prœliorum scripsisse firmantur usque eo, ut rem militarem, quæ virtute sola, vel certe felicitate creditur contineri, ad disciplinam peritiæque studia revocarint, ac magistros armorum (quos τακτικὰς appellaverunt) iuventutem suam usum varietatemque pugnandi præceperint edoceri. O viros summa admiratione laudandos, qui eam præcipue artem edicere voluerunt, sine qua aliæ artes esse non

non possunt! Horum sequentes instituta Romani, Martii operis præcepta, & usu retinuerunt, & literis prodiderunt. Quæ per diversos autores librosque dispersa, Imperator invicte, mediocritatem meam adbreviare iussisti, ne vel fastidium nasceretur ex plurimis, vel plenitudo fidei deesset in parvis. Quantum [autem] in prœliis Lacedæmoniorum disciplina profuerit, (ut omittam cęteros) Xanthippi declaratur exemplo, qui Attilium Regulum, Romanumque exercitum sępe victorem, cùm Carthaginiensibus, non virtute, sed arte solus ferret auxilium, prostratis exercitibus, cepit ac domuit, unoque congressu triumphans, bellum omne confecit. Nec minus Hannibal petiturus Italiam Lacedæmonium doctorem quæsivit armorum: cuius monitis tot consules, tantasque legiones, inferior numero ac viribus, interemit. Ergo qui desiderat pacem, præparet bellum. Qui victoriam cupit, milites imbuat diligenter. Qui secundos optat eventus, dimicet arte, non casu. Nemo provocare, nemo audet offendere, quem intellegit superiorem esse pugnaturum.

CAP. I.

Qui modus debeat esse exercitus.

PRIMUS liber tironum delectum exercitiumque depromsit, sequens legionis institutionem disciplinamque edocuit militarem; hic [autem] tertius classicum sonat. Ideo enim illa præmissa sunt, ut hæc, in quibus peritia certaminum, & victoriæ summa consistit, disciplinæ ordine custodito, & intelligerentur celerius, & amplius adiuvarent. Exercitus dicitur tam legionum, quam etiam auxiliorum, nec non etiam equitum, ad gerendum bellum multitudo collecta. Huic modus à magistris quæritur armorum. Nam cum Xerxis, & Darii, & Mithridatis, ceterorumque regum, qui innumerabiles armaverant populos, exempla releguntur, evidenter apparet, nimium copiosos exercitus, magis propria multitudine, quam hostium virtute depressos. Nam pluribus casibus subiacet amplior multitudo. In itineribus pro mole sua semper est tardior; in longiore autem agmine, etiam à paucis superventum assolet pati. In locis autem asperis vel fluminibus transeundis, propter impedimentorum moras sæpe decipitur. Præterea ingenti labore numerosis animalibus equisque pabula colliguntur. Rei quoque frumen-

mentariæ difficultas, quæ in omni expeditione vitanda eſt, cito maiores fatigat exercitus. Nam quantumlibet ſtudioſe præparetur annona, tanto maturius deficit, quanto pluribus erogatur. Aqua denique ipſa nimiæ multitudini aliquando vix ſufficit. Quod ſi caſu acies verterit tergum, neceſſe eſt multos cadere de multis, & illos qui effugerint, ut ſemel territos, poſtea formidare conflictum. Veteres autem, qui remedia difficultatum experimentis didicerant, non tam numeroſos, quam eruditos [armis] exercitus habere voluerunt. Itaque in levioribus bellis unam legionem, mixtis auxiliis, hoc eſt, decem millia peditum, & duo millia equitum, crediderunt poſſe ſufficere. quam manũ prætores, velut minores duces, ad expeditionem ſæpe ducebant. Quod ſi magnæ hoſtium copiæ ducerentur, conſularis poteſtas cum viginti millibus peditum, & quatuor equitum, tanquam comes maior mittebatur. Quod ſi infinita multitudo ex gentibus ferociſſimis rebellaſſet, tunc nimia neceſſitate cogente, duo duces, & duo mittebantur exercitus, cum eiuſmodi præcepto: Provideant, ne quid Reſpublica detrimenti capiat: Coſſ. alter, vel alter, ambove. Denique cum in diverſis regionibus, contra diverſos hoſtes, à populo Romano annis prope omnibus pugnaretur,

ideo

ideo sufficiebant militum copiæ, quod utilius iudicabant, non tam grandes exercitus habere, quam armis instructos. Illa tamen ratio est servata, ne unquam amplior multitudo sociorum auxiliariumve esset in castris, [quam] civiũ Romanorum.

CAP. II.

Quemadmodum sanitas gubernetur exercitus.

NUNC (quod vel maxime providendum est) quemadmodum sanitas custodiatur exercitus, admonebo: hoc est, locis, aquis, tempore, medicina, exercitio. Locis, ne in pestilenti regione iuxta morbosas paludes, ne aridis, & sine opacitate arborum campis, aut collibus, ne sine tentoriis æstate milites commorentur: ne tardius egressi, & calore solis, & fatigatione itineris contrahant morbum, sed potius in æstate luce cœpto itinere ad destinata perveniant. Ne sæva hyeme iter per nives ac pruinas noctibus faciant, aut lignorum patiantur inopiam, aut minor illis vestium suppetat copia. Nec sanitati enim, nec expeditioni idoneus miles est, qui algere compellitur. Nec perniciosis vel paludosis aquis utatur exercitus. Nam malæ aquæ potus, veneno similis, pestilentiam bibentibus generat. Iam vero ut hoc casu ægri contubernales oppor-

opportunis cibis reficiantur, ac medicorum arte curentur, Principiorum Tribunorumque. & ipſius Comitis, qui maiorem ſuſtinet poteſtatem, iugis quæritur diligentia. Male enim cum his agitur, quibus neceſſitas & belli incumbit & morbi. Sed rei militaris periti, plus quotidiana armorum exercitia ad ſanitatem militum putaverunt prodeſſe, quam medicos. Itaque pedites ſine intermiſſione, imbribus, vel nivibus, ſub tecto, reliquis diebus exerceri in campo voluerunt. Similiter equites non ſolum in planis, ſed etiam in abruptis, & foſſarum hiatu difficilimis ſemitis, ſeque & equos ſuos aſſidue exercere iuſſerunt, ut nihil iis in neceſſitate prœlii accidere poſſet incognitum. Ex quo intelligitur, quanto ſtudioſius armorum artem docendus ſit ſemper exercitus, cum ei laboris conſuetudo & in caſtris ſanitatem, & in conflictu poſſit præſtare victoriam. Si autumnali æſtivoque tempore diutius in iiſdem locis militum multitudo conſiſtat, ex contagione aquarum, & odoris ipſius fœditate vitiatis hauſtibus, & aëre corrupto, pernicioſiſſimus naſcitur morbus, qui prohiberi non poteſt aliter, niſi frequenti mutatione caſtrorum.

Cap.

CAP. III.

Quanta cura providenda sint, atque servanda pabula, & frumenta.

ORDO postulat, ut de commeatu pabuli frumentique dicatur. Sæpius enim penuria, quam pugna consumit exercitum, & ferro sævior fames est. Deinde reliquis casibus potest in tempore subveniri: pabulatio & annona in necessitate remedium non habent, nisi ante condantur. In omni expeditione unum est & maximum telum, ut tibi sufficiat victus, hostes frangat inopia. Ante igitur quam inchoëtur bellum, de copiis expensisque solers debet esse tractatus, ut pabula, frumentum, cæteræque annonariæ species, quas à provincialibus consuetudo deposcit, maturius exigantur, & in opportunis ad rem gerendam, ac munitissimis locis, amplior semper modus quam sufficit, aggregetur. Quod si tributa deficiunt, prærogato auro comparanda sunt omnia. Neque enim divitiarum secura possessio est, nisi armorum defensione servetur. Frequenter autem necessitas geminatur, & obsidio sæpe fit longior quam putaris, cum adversarii etiam ipsi esurientes, circumsidere non desinant quos fame sperant vincendos. Præterea quicquid in peco-

pecore vel quacunque fruge vinoque hostis inferens bellum ad victum suum poterit occupare, non solum admonitis per edicta possessoribus, sed etiam coactis per electos perscrutatores, ad castella idonea & armatorum firmata præsidiis, vel ad tutissimas conferendum est civitates: urgendiq; provinciales, ut ante irruptionem seque & sua mœnibus condant. Reparatio etiam murorum, tormentorumque omnium, ante curanda est. Nam si semel hostis prævenerit ocupatos, metu universa turbantur. Et quæ ex aliis urbibus petenda sunt, interclusis itineribus denegantur. Sed fidelis horreorum custodia, & erogatio moderata, consuevit sufficere pro copia, maxime si ab initio procurentur. Cæterum sera parsimonia est, tum servare cum deficit. In arduis expeditionibus, per capita magis militum quam per dignitates ab antiquis præbebantur annonæ, ita ut post necessitatem iisdem à Republica redderentur. Hyeme lignorum & pabuli, æstate aquarum vitanda est difficultas. Frumenti vero, vini, aceti, nec non etiam salis, omni tempore necessitas declinanda: ita ut urbes, atque castella ab iis militibus, qui minus prompti inveniuntur in acie, armis, sagittis, fustibalis, fundis etiam, & saxis, onagris, balistisque defendantur. Præcipueque cavendum videtur, ne adversario-

rum

rum dolo atque periuriis decipiatur provincialium incauta ſimplicitas. Frequentius enim conventionum paciſque ſimulatio, credulis, quam arma nocuerunt. Qua ratione famem collecti patiuntur hoſtes, diſperſi vero crebris ſuperventibus facile vincuntur.

CAP. IV.

Quemadmodum oporteat providere, ne milites ſeditionem faciant.

INTERDUM movet tumultum ex diverſis locis collectus exercitus : & cum pugnare nolit, iraſci ſe ſimulat, cur non ducatur ad bellum: quod ii præcipue faciunt qui in ſedibus ocioſe delicateque vixerunt. Nam aſperitate inſoliti laboris offenſi, quem in expeditione neceſſe eſt ſuſtinere, præterea metuentes prœlium, qui armorum exercitia declinant, ad eiuſmodi præcipitantur audaciam. Cui vulneri multiplex medicina conſuevit opponi; ut dum adhuc ſeparati ſunt, & in ſedibus ſuis, tribunorum vel vicariorum, nec non etiam principum, ad omnem diſciplinam, arctiſſima ſeveritate teneantur, nihilque aliud, niſi devotionem moderationemque cuſtodiant. Campi curſionem (ut ipſi appellant) inſpectionemque armorum aſſidue

due faciant, nullis commeatibus vacent. Ad nomen, ad signa observare non desinant. Ad sagittas iaciendas, ad missilia dirigenda, ad iactandos lapides, vel funda, vel manu: ad armaturæ gestum, ad vectes [iactandos,] pro similitudine gladiorum, punctim cæsimque feriendo, multo die, usque ad sudorem sunt frequentissime detinendi. Cursu etiam & saltu ad transmittendas fossas nihilo minus imbuendi. Seu mare, seu fluvius vicinus est sedibus, æstivo tempore ad natandum cogendi sunt omnes. Præterea silvam cædere, iter per dumosa & abrupta facere, materiam dedolare, aperire fossam, occupare aliquem locum, & ne à contubernalibus detrudantur, [in] scutis invicem obviantibus niti. Ita exercitati, & eruditi in sedibus milites, sive illi legionarii, sive auxiliares, sive equites fuerint, cum ad expeditionem ex diversis convenerint locis, æmulatione virtutis, prœlium magis [necesse est] habeant optare, quam ocium. Nemo cogitat de tumultu, qui fiduciam de arte vel viribus gerit. Dux autem debet esse attentus, ut in omnibus legionibus, sive auxiliis, vel vexillationibus, à tribunis, vicariis, principibusque, si qui turbulenti vel seditiosi sunt milites, non pro invidia suggerentium, sed pro rerum veritate cognoscat, eosque prudentiori consilio segregatos à castris ad agendum aliquid, quod

ipſis prope videatur optabile, aut ad caſtella urbeſque deputet muniendas, atque ſervandas, tanta ſubtilitate, ut cum abiiciuntur, videantur electi. Nunquam enim ad contumaciam pari conſenſu multitudo prorumpit, ſed incitantur à paucis, qui vitiorum ſcelerumque impunitatem ſperant, peccare cum plurimis. Quod ſi fieri medicinam neceſſitas extrema perſuaſerit, rectius eſt, more maiorum, in auctores criminum vindicari: ut ad omnes metus, ad paucos pœna perveniat. Laudabiliores tamen duces ſunt, quorum exercitus ad modeſtiam labor & uſus inſtituit, quam illi, quorum milites ad obedientiam, ſuppliciorum formido compellit.

CAP. V.

Signorum militarium quot ſint genera.

MULTA quidem ſunt ediſcenda, atque obſervanda pugnantibus: ſi quidem nulla ſit negligentiæ venia, ubi de ſalute certatur. Sed inter reliqua nihil magis ad victoriam proficit, quam monitis obtemperare ſignorum. Nam cum voce ſola inter prœliorum tumultus regi multitudo non poſſit, & cum pro neceſſitate rerum plura ex tempore iubenda, atque facienda ſint; antiquus omnium gentium uſus invenit, quomodo quod ſolus dux utile iudi-

caſſet,

casset, per signa totus agnosceret & sequeretur exercitus. Tria itaque genera constat esse signorum, vocalia, semi-vocalia, muta. Quorum vocalia & semi-vocalia percipiuntur auribus: muta vero referuntur ad oculos. Vocalia dicuntur, quæ voce humana pronunciantur. sicut in vigiliis, vel in prœlio, pro signo dicitur: ut puta, Victoria. Palma. Virtus. Deus Nobiscum. Triumphus Imperatoris. & alia quæcunque voluerit dare is, qui in exercitu habet maximam potestatem. Sciendum tamen est, ista vocabula quotidie debere variari, ne ex usu hostes signum agnoscant, & exploratores inter nostros versentur impune. Semi-vocalia sunt, quæ per tubam, aut cornu, aut buccinam dantur. Tuba quæ directa est, appellatur. Buccina, quæ in semet ipsam æreo circulo flectitur. Cornu, quod ex uris agrestibus, argento nexum, temperato arte spiritu, quem canentis flatus emittit, auditur. Nam indubitatis per hæc sonis agnoscit exercitus, utrum stare, vel progredi, an certe regredi oporteat: utrum longe persequi fugientes, an receptui canere. Muta signa sunt aquilæ, dracones, vexilla, flammulæ, tufæ, pinnæ. Quocunque enim hęc ferri iusserit ductor, eo necesse est signũ suum comitantes milites pergant. Sunt & alia muta signa, quæ dux belli in equis, aut in-

indumentis, & in ipsis armis, ut dignoscatur hostis, præcipit custodiri. Præterea manu aliquid, vel flagello, more barbarico, vel certe mota qua utitur veste, significat. Quæ omnia in sedibus, in itineribus, in omni exercitatione castrensi universi milites & sequi, & intelligere consuescant. Continuus enim usus necessarius videtur in pace eius rei, quæ in prœlii confusione servanda sit. Item mutum, & commune signum est, quotiens proficiscente turba excitatus pulvis ad similitudinem nubium surgit, hostiumque prodit adventum: similiter si divisæ sint copiæ, per noctem flammis, per diem fumo significant sociis, quod aliter non potest nunciari. Aliquanti in castellorum aut urbium turribus appendunt trabes: quibus aliquando erectis, aliquando depositis indicant quæ geruntur.

CAP. VI.

Quanta sit servanda cautela, cum vicinis hostibus movetur exercitus.

QUI rem militarem studiosius didicerunt, asserunt, plura in itineribus, quã in ipsa acie pericula solere contingere. Nã in conflictu armati sunt omnes, & hostem cominus vident, & ad pugnandum animo veniunt præparati. In itinere autem minus armatus minusque attentus est miles, & super-

ſupervenientc impetu vel fraude repente turbatur. Ideoque omni cura, omnique diligentia, providere debet dux, ne proficiſcens patiatur incurſum, vel facile ac ſine damno repellat illatum. Primum itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur, pleniſſime debet habere perſcripta: ita ut locorum intervalla non ſolum paſſuum numero, ſed etiam viarum qualitates perdiſcat: compendia, diverticula, montes, flumina, ad fidem deſcripta conſideret: uſque eo, ut ſolertiores duces, itineraria provinciarum, in quibus neceſſitas geritur, non tantum adnotata, ſed etiam picta habuiſſe firmentur, ut non ſolum conſilio mentis, verum aſpectu oculorum viam profecturis eligerent. Ad hoc à prudentioribus & honoratis, ac locorum gnaris, ſeparatim debet univerſa perquirere, & veritatem colligere de pluribus. Præterea ſub periculo eligendarum viarum, duces idoneos ſcienteſque percipere, eoſque cuſtodiæ mancipare, addita pœnæ oſtentatione vel præmii. Erunt enim utiles, cum intelligent, nec fugiendi ſibi copiam ſupereſſe, & fidei præmium, perfidiæ parata ſupplicia. Providendum quoque, ut ſapientes exercitatique quærantur, ne duorum aut trium error diſcrimen pariat univerſis. Interdum autem imperita ruſticitas plura promittit, & credit ſe ſcire quæ neſcit. Sed

cautelæ caput eſt, ut per quæ loca, vel quibus itineribus ſit profecturus exercitus, ignoretur. Tutiſſimum namque in expeditionibus [creditur] facienda [ab hoſtibus] neſciri. Ob hoc veteres Minotauri ſignum in legionibus habuerunt, ut quemadmodum ille in intimo & ſecretiſſimo labyrintho abditus perhibetur, ita ducis conſilium ſemper occultum eſſet. Securum iter agitur, quod agendum hoſtes minime ſuſpicantur. Verum, quia exploraratores altrinſecus miſſi, profectionem ſuſpicionibus, vel oculis deprehendunt; & interdum transfugæ proditoreſque non deſunt; quemadmodum occurri ingruentibus debeat, intimetur. Dux cum agmine exercitus profecturus, fideliſſimos, argutiſſimoſque cum equis probatiſſimis mittat, qui loca per quæ iter faciendum eſt, in progreſſu, & à tergo, dextra lævaque, perluſtrent, ne aliquas adverſarii moliantur inſidias. Tutius autem operantur exploratores noctibus quam diebus. Nam quoadmodo ipſe ſui proditor invenitur, cuius ſpeculator fuerit [ab adverſariis] comprehenſus. Primi ergo equites iter arripiant, inde pedites: impedimenta, ſagmarii, calones, vehiculaque in medio collocentur, ita ut expedita pars peditum & equitum ſubſequatur. Nā ambulantibus, interdum quidem à fronte, ſed frequentius à tergo ſuperventus

ventus infertur. A lateribus quoque pari armatorum manu impedimenta claudenda sunt. Nam insidiatores transversos frequẽter incursant. Illud quoque præcipue servandum est, ut ea pars, ad quam hostis venturus creditur, oppositis lectissimis equitibus, & levi armatura, nec non etiam peditibus sagittariis, muniatur. Quod si undiq; circumfunduntur inimici, undique debent præparata esse subsidia. Ne vero repentinus tumultus amplius noceat, ante commonendi sunt milites, ut parati sint animo, ut arma in manibus habeant. In necessitate subita quæ terrent, provisa non solent esse formidini. Antiqui diligentissime præcavebant, ne à calonibus interdum vulneratis, interdum timentibus, & sagmariis clamore pavefactis, [pugnantes] milites turbarentur: ne dispersi longius aut cõglobati amplius, quam expedit, impedirent suos, hostibusque prodessent. Et ideo ad exemplum militum, etiam impedimenta sub quibusdam signis ordinanda duxerunt. Denique ex ipsis calonibus (quos galearios vocant) idoneos ac peritos usu legebant, quos non amplius quam ducentis sagmariis puerisque præficerent. Hisque vexilla dabant, ut scirent ad quæ signa deberent impedimenta colligere. Sed propugnatores ab impedimentis laxamento aliquo dividuntur, ne constipati lædantur

in prœlio. Ambulante exercitu ut locorum varietas advenerit, ita defensionis ratio varietur. Nam in campis patentibus equites magis ſolent impugnare, quam pedites. At vero in locis ſilveſtribus vel montuoſis, ſive paluſtribus, pedeſtres magis formidandæ ſunt copiæ. Illud quoque vitandum, ne per negligentiam aliis feſtinantibus, aliis tardius incedentibus, interrumpatur acies, aut certe tenuetur. Continuo enim hoſtes inter prolata pervadunt. Interponendi ergo ſunt exercitatiſſimi campi doctores, vicarii, vel tribuni, qui alacriores tardent, & pigrius incedentes accelerare compellant. Nam qui multum præceſſerint, superventu facto, non tam redire, quam effugere cupiunt. Qui vero extremi ſunt, deſerti à ſuis, vi hoſtium & propria deſperatione ſuperantur. Sciendum etiam, quod adverſarii, in his locis quæ ſibi oportuna intelligunt, ſubſeſſas occultius collocant, vel aperto Marte impetum faciunt. Sed ne ſecreta noceant, ducis præſtat induſtria; quem omnia prius convenit explorare. Deprehenſa vero ſubſeſſa, ſi circumveniatur utiliter, plus periculi ſuſtinet, quam parabat inferre. Aperta autem vis ſi præparetur in montibus, altiora loca præmiſſis ſunt præſidiis occupanda, ut cum hoſtis advenerit, reperiatur inferior, nec audeat obviare, cum tam à fronte, quam ſupra caput ſuum cernat armatos.

matos. Quod si angustæ sint viæ, sed tamen tutæ, melius est præcedere cum securibus ac dolabris milites, & cum labore vias aperire, quam in optimo itinere periculum sustinere. Præterea nosse debemus hostium consuetudinem: utrum nocte, an incipiente die, an hora reficiendi, lassis supervenire consueverint: & devitare quod illos facturos putamus ex more. Iam vero utrum peditibus, an equitibus, utrum contatis, an sagittariis amplius valeant; utrum numero hominum, an armorum munitione præcellant, scire non convenit: & ordinare quod nobis utile, illis doceatur adversum. Tractare quoque, per diem, an per noctem iter expediat inchoari: quanta locorum intervalla sint, ad quæ cupimus pervenire: ne æstate aquæ penuria obsit euntibus; ne hyeme difficiles aut inviæ occurrant paludes, maioresque torrentes: & impedito itinere circumveniatur exercitus, priusquam ad destinata perveniat. Vt enim nostra commoditas est, sapienter ista vitare: ita si adversariorum imperitia vel dissimulatio occasionem nobis dederit, non oportet omitti, sed explorare solicite proditores, ac transfugas invitare: ut quid hostis moliatur, in præsenti, vel in futurum possimus agnoscere: paratisque equitibus, ac levi armatura, ambulantes eosdem [clam,] vel pabula victumque quærentes,

tes, improvisio terrore decipere.

CAP. VII.

Quemadmodum flumina, quæ maiora sunt, transeantur.

IN transitu fluviorum gravis molestia negligentibus frequenter emergit. Nam si aqua violentior fuerit, aut alveus latior, impedimenta, pueros, & ipsos interdum ignaviores solet mergere bellatores. Ergo explorato vado, duæ acies equitum, electis animalibus ordinantur, intervallis competentibus separatæ, ut per medium pedites & impedimenta transeant. Nam acies superior, aquarum impetum frangit: inferior, qui rapti subversique fuerint, colligit atque transponit. At cum altior fluctus nec equitem nec peditem patitur, si per plana decurrat, ductis multifariam spargitur fossis, divisusque facile transitur. Navigeri vero amnes, hastilibus fixis, ac superpositis tabulatis pervii fiunt: vel certe tumultuario opere colligatis inanibus cuppis, additisque trabibus, transitum præbent. Expediti vero equites fasces de cannis aridis vel ulva facere consueverunt, super quos loricas & arma, ne udentur, imponunt. ipsi equique natando transeunt, colligatosque secum fasces pertrahunt sociis. Sed cõmodius repertum est, ut monoxylos, hoc est, paulo

paulo latiores ſcaphulas, ex ſingulis trabibus excavatas, pro genere ligni & ſubtilitate leviſſima, carpentis ſecum portet exercitus, tabulatis pariter & clavis ferreis præparatis. Ita abſque mora conſtructus pons, & funibus (qui propterea habendi ſunt) vinctus, lapidei arcus ſoliditatem præſtat in tempore. Sed inſtantes adverſarii ad tranſitus fluminum, inſidias vel ſuperventus facere conſueverunt. Ob quam neceſſitatem in utraque ripa collocantur armata præſidia, ne alveo interveniente, diviſi opprimantur ab hoſtibus. Cautius tamen eſt, ſudes ex utraque parte præfigere, ac ſine detrimento, ſi qua vis illata fuerit, ſuſtinere. Quod ſi pons non tantum ad tranſitum, ſed etiam ad recurſum & commeatus neceſſarius fuerit; tunc in utroque capite, percuſſis latioribus foſſis, aggereque conſtructo, defenſores milites debet accipere, à quibus tam diu teneatur, quam diu locorum neceſſitas poſtulat.

Cap. VIII.

Quemadmodum caſtra debent ordinari.

CONSEQUENS videtur, itineris obſervatione deſcripta, ad caſtrorum (in quibus manendum eſt) venire rationem. Non enim [belli tempore] ad ſtativa vel manſionẽ civitas murata ſemper occurrit:

& incautum est, plenumque discriminis, exercitum passim sine aliqua munitione considere: cum militibus ad capiendum cibum occupatis, ad munera facienda dispersis, facile nectantur insidiæ. Postremo noctis obscuritas, necessitas somni, pascentium equorum dispersio, occasionem superventibus præstat. In metandis castris non sufficit locum bonum legere, nisi talis sit, ut alter eo non possit melior inveniri: ne utilior prætermissus à nobis, & ab adversariis occupatus, apportet incommodum. Cavendum quoque, ne per æstatem, aut morbosa in proximo, aut salubris aqua sit longius: Hyeme, ne pabulatio desit: aut lignum: ne subitis tempestatibus campus, in quo manendum est, soleat inundari: ne sit in abruptis ac deviis, ne circumsedentibus adversariis difficilis præstetur egressus: ne ex superioribus locis, missa ab hostibus in eum tela perveniant. Quibus caute studioseque provisis, pro necessitate loci, vel quadrata, vel rotunda, vel trigona, vel oblonga castra constitues. Nec utilitati præjudicat forma. Tamen pulchriora creduntur, quibus, ultra latitudinis spacium, tertia pars longitudinis additur. Ita autem ab agrimensoribus podismum mensuræ colligi oportet: ut ad quantitatem concludatur exercitus. Nam propugnatores angusta constipant, & ultra quam convenit, latiora dif-

diffundunt. Tribus autem modis diffiniunt castra muniri posse. Primum in unius noctis transitum, & itineris occupatione leviore, cum sublati cespites ordinantur, & aggerem faciunt, supra quem valli, hoc est, sudes, vel tribuli lignei per ordinem digeruntur. Cespes autem circumciditur ferramentis, qui herbarum radicibus continet terram: fit altus semis pedem, latus pedem, longus pedem semis. Quod si terra solutior fuerit, ut ad similitudinem lateris, cespes non possit abscindi, tunc opere tumultuario fossa perducitur, lata pedes quinque, alta tres: cuius intrinsecus agger excrescit, ut sine metu securus requiescat exercitus. Stativa autem castra æstate vel hyeme, hoste vicino, maiore cura ac labore firmantur. Nam singulæ centuriæ, dividentibus campi doctoribus [& principiis,] accipiunt pedaturas, & scutis ac sarcinis suis in orbem circa propria signa dispositis, cincti gladio, fossam aperiunt, latam aut novem, aut undecim, aut tredecim pedibus: vel, si maior adversariorum vis metuitur, pedibus decem & septem. Imparem enim numerum observari moris est. Tum sepibus ductis, vel interpositis stipitibus, ramisque arborum, ne terra facile dilabatur, agger erigitur. Super quem ad similutidinem muri, & pinnæ, & propugnacula componuntur. Opus hoc centurio-

turiones decempedis metiuntur, ne minus foderit, aut erraverit alicuius ignavia. Id etiam tribuni circumeunt, nec ante discedunt, [qui strenui sunt,] quam fuerint universa perfecta. Ne tamen aliquis superventus laborantibus fiat, omnes equites & pars peditum, quæ non operatur, privilegio dignitatis ante fossam in procinctu armata consistit, ut ingruentes repellat inimicos. Prima igitur signa locis suis intra castra ponuntur, quia nihil est venerabilius eorum maiestate militibus. Deinde duci prætorium, eiusque comitibus præparatur, ac tribunis tabernacula collocantur, quibus per contubernales deputatos ad munia, aqua, lignum, & pabula ministrantur. Tunc pro gradu legionibus & auxiliis, equitibus, & peditibus, loca in quibus papiliones tendant, deputantur in castris: ac de singulis centuriis quaterni equites & quaterni pedites, excubitum noctibus faciunt. Et quia impossibile videbatur in speculis per totam noctem vigilantes singulos permanere, ideo in quatuor partes ad clepsydram sunt divisæ vigiliæ, ut non amplius quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. A tubicine omnes vigiliæ committuntur. Et finitis horis à cornicine revocantur. Idoneos tamen tribuni & probatissimos eligunt, qui vigilias circumeant, & renuncient, si qua emerse-

merserit culpa; quos circuitores appellabant. Nunc militiæ factus est gradus, & circitores vocantur. Sciendum tamen est, equites extra vallum nocturnas excubias facere debere. Per diem autem castris positis, alii mane, alii post meridiem, propter fatigationem hominum equorumque, agrarias faciunt. Inter præcipua convenit ducem providere, sive in castris, sive in civitate consistat, ut animalium pascua, subvectio frumenti, ceterarumque specierum, aquatio, lignatio, pabulatio secura ab hostium reddatur incursu. Quod aliter non potest evenire, nisi per loca idonea, qua nostrorum ambulat commeatus, præsidia disponantur, sive illæ civitates sint, sive castella murata. Quod si non reperitur antiqua munitio, oportunis locis circundata maioribus fossis tumultuaria castella firmantur. Nam à castris diminuto vocabulo sunt nuncupata castella. Intra quæ in agrariis aliquanti pedites equitesque degentes, tutum iter commeantibus præstant. Difficile enim hostis ad ea loca audet accedere, in quibus & à fronte & à tergo novit adversarios commorari.

CAP. IX.

Quæ & quanta consideranda sint, ut intelligatur, utrum superventibus & insidiis, an publico debeat Marte confligi.

QUISQUIS hos artis bellicæ commentarios, ex probatissimis autoribus breviatos, legere dignabitur, quamprimum legem prœlii, depugnandique cupit audire præcepta: sed conflictus publicus duarum vel trium horarum certamine diffinitur: postquam partis eius, quæ superata fuerit, spes omnis intercidit. Ideo omnia ante cogitanda sunt, ante tentanda, ante facienda, quam ad ultimum veniatur abruptum. Boni enim duces non aperto Marte prœlium, in quo est commune periculum, sed ex occulto semper attentant, ut integris suis, quantos possint hostes interimant certe vel terreant: in qua parte, quæ necessaria admodum sunt, ab antiquis reperta perscribam. Præcipua res, & utilitas ducis est, ut adhibitis ex universo exercitu scientibus belli, & sapientibus viris, de suis & hostium copiis sæpius tractet, omni, quæ plurimum nocet, adulatione summota; utrum maiorem numerum pugnatorum ipse, an hostes habeant; utrum ipsius, an adversariorum homines

magis

magis armati ſint, & muniti. Qui magis exercitati, qui ſint in neceſſitatibus fortiores. Quærendum eſt etiam, utra pars equites, utra pedites habeat meliores. Sciendumque, in peditibus vel maxime conſiſtere robur exercitus: & inter ipſos equites, quis contatis, quis ſagittariis antecedat. Quis plures loricas induat, quis utiliores equos adduxerit. Poſtremo loca ipſa, in quibus pugnandum eſt, utrum inimicis, an nobis videantur accommoda. Nam ſi equitatu gaudemus, campos debemus optare; ſi pedite, loca eligere anguſta, foſſis, paludibus, vel arboribus impedita, & aliquoties montuoſa: cui magis victus abundet, aut deſit: nam fames (ut dicitur) intrinſecus pugnat, & vincit ſæpius, quam ferrum. Maxime autem tractandum eſt, utrum expediat neceſſitatem protrahi, an celerius dimicari: interdum enim ſperat adverſarius expeditionem cito poſſe finiri: & ſi dilata fuerit in longum, aut penuria maceratur, aut deſiderio ſuorum revocatur ad propria: aut nihil magnum faciens, per deſperationem abire compellitur. Tunc fracti labore & tædio plurimi deſerunt, aliquanti produnt, aliquanti ſe tradunt. Quia adverſis rebus rarior fides eſt, & nudari incipit, qui copioſus advenerat. Ad rem pertinet, qualis ipſe adverſarius, vel eius comites [optimateſque] ſint, noſſe: utrum

utrum temerarii, an canti; audaces, an timidi; ſcientes artem bellicam, an ex uſu temere pugnantes; quæ gentes cum his fortes, quæve ignavæ pugnaverint; noſtra auxilia cuius fidei, quarumque ſint virium, quos animos illius copiæ, quos habeat noſter exercitus, quæ pars ſibi magis victoriam repromittat. Eiuſmodi enim cogitationibus virtus augetur, aut frangitur. Deſperantibus autem creſcit audacia adhortatione ducis, & ſi nihil ipſe timere videatur, creſcit animus; ſi ex inſidiis vel occaſione aliquid fortiter feceris, ſi hoſtibus adverſæ res cœperint evenire; ſi vel infirmiores aut minus armatos ex inimicis potueris ſuperare. Cavendum autem eſt, ne dubitantem aut formidantem exercitum ad pugnam publicam aliquando producas. Intereſt, tirone, an veteres milites habeas; utrum ante breve tempus in expeditionibus fuerint, an per annos aliquos in pace durarint. Nam pro tironibus accipiendi ſunt, qui pugnare longo tempore deſierunt. Sed cum legiones, auxilia, vel equites, ex diverſis advenerint locis, dux optimus, & ſeparatim ſingulos numeros per tribunos electos, quorum ſcitur induſtria, omni genere exercere debet armorum: & poſt in unum collectos, quaſi depugnaturos conflictu publico, exercebit ipſe. Sæpius tentabit quid artis poſſint habere,

habere, quid virium; quemadmodum sibi ipsi consentiant, utrum ad tubarum monita, ad signorum indicia, ad præcepta, vel nutum suum, diligenter obtemperent. Si errant in aliquibus, exerceantur, atque doceantur, quam diu possint esse perfecti. Si vero in campi cursione, in sagittando, in iaculando, in ordinanda acie ad plenum fuerint eruditi, ne sic quidem temere, sed occasione captata, ad publicam ducendi sunt pugnam. Sed ante minoribus prœliis imbuendi. Dux itaque vigilans, sobrius, prudens, tanquam de civili caussa inter partes iudicaturus, adhibito consilio, de suis & adversarii copiis iudicet. Et si multis rebus superior invenitur, oportunum sibi ne differat inire conflictum. Si vero adversarium intellegit potiorem, certamen publicum vitet. Nam pauciores numero & inferiores viribus, superventus & insidias facientes, sub bonis ducibus reportaverunt sæpe victoriam.

Cap. X.

Quid oporteat fieri, si quis desuetum à pugna exercitum habeat vel tironem.

Omnes artes, omniaque opera quotidiano usu & iugi exercitatione proficiunt. Quod si in parvis verum est, quanto magis decet in maximis custodiri? Quis autem

autem dubitat, artem bellicā rebus omnibus esse potiorem, per quam libertas retinetur, & dignitas propagatur, provinciæ conservantur, & imperium? Hanc quondam relictis doctrinis omnibus Lacedæmonii, & post coluere Romani. Hanc solam hodieque Barbari putant esse servandam. cetera aut in hac arte consistere, aut per hanc assequi se posse confidunt. Hæc dimicaturis est necessaria, per quam vitam retineant, & victoriam consequantur. Dux ergo, cui tantæ potestatis insignia tribuuntur; cuius fidei, atque virtuti possessorum fortunæ, tutelæ urbium, salus militum, Reipublicæ creditur gloria; non tantum pro universo exercitu, sed etiam pro singulis contubernalibus debet esse solicitus. Si quid enim illis eveniat in bello, & ipsius culpa, & publica videtur iniuria. Ergo si tironem, vel diu armis desuetum exercitum ducit, singularum legionum sive auxiliorum, necnon etiam vexillationum vires, animos, consuetudinem, diligenter exploret. Sciat etiam (potest fieri) nominatim, quis comes, quis tribunus, quis domesticus, quis contubernalis, quantum possit in bello: autoritatemque maximam severitate sumat, omnes culpas militares legibus vindicet, nulli errantium credatur ignoscere: in diversis locis, in diversis occasionibus omnium experimenta præcipiat.

His

His (ut oportet) curatis, cum dispersi ad prædandum securi oberrant hostes, tunc probatos equites, sive pedites cum tironibus aut inferioribus mittat, ut ex occasione fusis inimicis, & illis peritia, & reliquis crescat audacia. Ad transitus fluviorum, ad præcipitia montium, ad silvarum angustias, ad paludum & viarum difficultates, superventus nullo sciente disponat, atque iter suum ita temperet, ut aut cibum capientes, aut dormientes, aut vacantes certe, securos, inermes, discalceatos, distractis equis, nihil suspicantes, ipse paratus invadat, quatenus in huiusmodi certaminibus sui fiduciam colligant. Nam qui ante longum tempus, aut omnino nunquam videre homines vulnerari, vel occidi, cum primum aspexerint, perhorrescunt: & pavore confusi, de fuga magis quam de conflictu incipiunt cogitare. Præterea si excurrant adversarii, longo itinere fatigatos aggrediatur, & ultimos vel certe insperatos superveniat. Eos etiam, qui longe à suis aut pabuli aut prædæ gratia commorantur, subito occupet cum dilectis. Illa enim ante tentanda sunt, quæ si male cesserint, minus noceant; si bene, plurimum prosint. Inter hostes discordiarum serere caussas, sapientis est ducis. Nulla enim, quamvis minima natio, potest ab adversariis perdeleri, nisi propriis simultatibus se ipsa consumpserit.

Nam

Nam civile odium ad inimicorum perniciem præceps est, ad utilitatem suæ defensionis incautum. Unum illud in hoc opere prædicendum est, ut nemo desperet fieri posse, quæ facta sunt. Dicat aliquis: Multi anni sunt, quibus nullus fossa, vel aggere, valloque mansurum circumdat exercitum. Respondebitur: Si fuisset ista cautela, nihil nocturni aut diurni superventus hostium nocere potuissent. Persæ imitantes Romanos, ductis fossis castra constituunt: & quia arenosa sunt prope omnia, saccos, quos inanes portant, ex pulverulenta (quæ effoditur) terra complent, eorumque cumulo aggerem faciunt. Omnes Barbari, carris suis in orbem connexis, ad similitudinem castrorum, securas à superventibus exigunt noctes. Veremur ne discere nequeamus, quæ à nobis alii didicerunt? Hæc ex libris discenda, quæ usu antea servabantur. sed omissa diu nemo quæsivit; quia vigentibus pacis officiis, procul aberat bellorum necessitas. Sed ne impossibile videatur, disciplinam, cuius usus intercidit, reparari, doceamur exemplis. Apud veteres res militaris in oblivionem sæpius venit, sed prius à libris repetita est, postea ducum autoritate firmata. Scipio Aphricanus sub aliis Imperatoribus Hispanienses exercitus frequenter victos accepit: hos disciplinæ regula custodita, omni opere, fossisque facien-

cien-

ciendis ita diligenter exercuit, ut diceret, fodientes luto inquinari debere, qui madere hostium sanguine noluissent. Ipsos denique Numantinos, capta civitate, sic concremavit, ut nullus evaderet. Metellus in Aphrica, Albino imperante, subiugatum accepit exercitum, quem ita emendavit veteribus institutis, [& disciplina maiorum,] ut postea eos, à quibus sub iugum missi fuerant, superarent. Cimbri [quoque] Cæpionis, & Manlii [& Syllani] legiones inter Gallias deleverunt; quarum reliquias cum C. Marius suscepisset, ita erudivit scientia & arte pugnandi, ut innumerabilem multitudinem non solum Cimbrorum, sed etiam Teutonum & Ambronum publico Marte deleret. Facilius autem est ad virtutem novos instituere, quam revocare perterritos.

Cap. XI.

Quæ ipso die procuranda sint, quo publica committitur pugna.

Præmissis levioribus artibus belli, ad publici conflictus incertum, & ad fatalem diem nationibus ac populis, ratio disciplinæ militaris invitat. Nam in eventu aperti Martis victoriæ plenitudo consistit. Hoc ergo tempus est, quo tanto magis duces debent esse soliciti, quanto maior spera-

ſperatur diligentibus gloria, & maius periculum comitatur ignavos: in quo momento peritiæ uſus, pugnandi doctrina, conſilium dominatur. Veteribus ſeculis mos fuit, parco cibo curatos milites ad certamen educere, ut citatiores ſumpta eſca redderet, & longiore conflictu non fatigarentur inedia. Præterea obſervandum eſt præſentibus hoſtibus, ſive ex caſtris, ſive ex civitate producas ad prœlium, ne, dum per anguſta portarum particulatim proceedit exercitus, à collectis & præparatis debilitetur inimicis. Ideoque providendum eſt, ut ante omnes milites egrediantur portas, & aciem conſtruant ante, quam hoſtes adveniant. Quod ſi intra civitatem manentibus, parati advenerint, aut differatur egreſſus, aut certe diſſimuletur: ut cum adverſarii inſultare cœperint his, quos non putant exituros; aut cum ad prædam, vel redeundum, converterint animum, & ordines ſolverint; tunc illis ſtupentibus lectiſſimi prorumpant, & conferti aggrediantur ignaros. Obſervatur autem, ne longo ſpacio fatigatum militem, ne laſſos poſt curſum equos ad publicum prœlium cogas: multum virium labore itineris pugnaturus amittit. Quid faciet, qui ad aciem anhelus adventat? Hoc & veteres declinarunt, & ſuperiori vel noſtra ætate, cum Romani duces per imperitiam non caviſſent, (ne quid

quid amplius dicam) exercitus perdiderunt. Impar enim conditio est, lassum cum requieto, sudantem cum alari, currentem cum eo qui steterit, subire conflictum.

Cap. XII.

Investigandum, quid sentiant milites pugnaturi.

Ipsa die, qua certaturi sunt milites, quid sentiant, diligenter explora. Nam fiducia vel formido ex vultu, verbis, incessu, motibusque cernitur. Nec confidas satis, si tiro prœlium cupit: inexperto enim dulcis est pugna. Et noveris te oportere differre, si exercitati bellatores metuunt dimicare. Monitis tamen, & oratione ducis, exercitui virtus crescit, & animus: præcipue si futuri certaminis talem acceperint rationem, quasi sint facile ad victoriam perventuri. Tunc inimicorum ignavia, vel error ostendendus est: vel si ante à nobis superati sunt, commemorandum. Dicenda etiam, quibus militum mentes in odium adversariorum, ira, & indignatione moveantur. Animis pene omnium hominum hoc naturaliter evenit, ut trepident, cum ad conflictum venerint. Sine dubio autem formidolosiores sunt, quorum mentes ipse confundit aspectus. Sed hoc remedio formido lenitur, si antequam dimices,

frequenter exercitum tuum locis tutioribus ordines, unde & videre hostem, & agnoscere consuescant. Interdum audeant aliquid ex occasione, aut fugent, aut interimant inimicos. [Inimicorum] mores, adversariorum arma, equos recognoscant. Nam quæ ex usu sunt, non timentur.

CAP. XIII.

Quemadmodum idoneus locus eligatur ad pugnam.

BONUM ducem convenit nosse magnam partem victoriæ; ipsum locum, in quo dimicandum est, possidere. Elabora ergo, ut conserturus manum, primum auxilium captes ex loco, qui tanto utilior iudicatur, quanto superior fuerit occupatus. In subiectos enim vehemētius tela descendunt, & maiore impetu obnitentes pars altior pellit. Qui adverso nititur clivo, duplex subit & cum loco & cum hoste certamen. Sed illa distantia est, quod si de peditibus tuis victoriam speras contra equites hostium, loca aspera, inæqualia, montuosa debes eligere. Si vero de equitibus tuis contra adversarii pedites victoriam quæris, sequi debes paulo equidem editiora loca; sed plana, atque patentia; neque silvis, neque paludibus impedita.

CAP. XIV.

Quemadmodum acies debeat ordinari, ut in conflictu reddatur invicta.

ORDINATURUS aciem tria debet ante proſpicere; Solem, pulverem, ventum. Nam Sol ante faciem eripit viſum: ventus contrarius tua inflectit ac deprimit, hoſtium adiuvat tela. Pulvis à fronte congeſtus oculos implet & claudit. Hæc momento eo, quo acies ordinantur, etiam imperiti vitare ſolent: ſed duci provido cavendum eſt in futurum, ne poſt paululum accedente die noceat Solis mutata converſio; ne ventus adverſus hora ſolita eo pugnante naſcatur. Ita ergo conſtituantur ordines, ut hæc poſt occipitium noſtrum ſint, & (ſi fieri poteſt) adverſariorum impetant faciem. Acies dicitur exercitus inſtructus: frons, quæ adverſus hoſtem ſpectat. Hæc in pugna publica, ſi ſapienter diſponitur, plurimum iuvat: ſi imperite, quamvis optimi bellatores ſint, mala ordinatione franguntur. Inſtructionis lex eſt, ut in primo ordine exercitati & veteres milites collocētur, quos antea principes vocabant. In ſecundo ordine circumdati cataphractis ſagittarii, necnon optimi milites cum ſpiculis vel lanceis ordinentur, quos prius haſtatos vocabant. Singuli autem armati

 in

in directum ternos pedes inter se occupare consueverunt, hoc est, in mille passibus mille sexcenti sexaginta sex pedites ordinantur in longum: ut nec acies interluceat, & spacium sit arma tractandi. Inter ordinem autem & ordinem à tergo in latum sex pedes distare voluerunt, ut haberent pugnantes spacium accedendi atque recedendi: vehementius enim cum saltu cursuque tela mittuntur. In his duobus ordinibus, & ætate maturi, & usu confidentes, & muniti etiam gravioribus armis collocantur. Hi enim ad vicem muri, nec cedere, nec sequi alium cogendi sunt, ne ordines turbent: sed venientes adversarios excipere, & stando pugnandoque repellere vel fugare. Tertius ordo disponitur de armaturis velocissimis, de sagittariis iuvenibus, de bonis iaculatoribus, quos antea ferentarios nominabant. Quartus item ordo constituitur de scutatis expeditissimis, de sagittariis iunioribus, de his qui acriter verutis vel Martiobarbulis (quas plumbatas nominant) dimicant, qui dicebantur levis armatura. Sciendum ergo est, stantibus duobus primis ordinibus, tertium, & quartum ordinem, ad provocandum, cum missilibus, & sagittis, primo loco semper exire. Qui si hostes in fugam vertere potuerint, ipsi cum equitibus persequuntur. Sin vero ab hostibus pulsi fuerint, redeunt ad primam & secun-

ſecundam aciem, & inter ipſas recipiunt ſe ad loca ſua. Prima autem & ſecunda acies, cum ad ſpathas, & ad pila (ut dicitur) ventum fuerit, totum ſuſtinet bellum. In quinta acie ponebantur interdum carrobaliſtæ, manubaliſtarii, fundibulatores, funditores. Fundibulatores ſunt, qui fuſtibalis lapides iaciunt. Fuſtibalus fuſtis eſt longus pedibus quatuor, cui per medium ligatur funda de corio: & utraque manu impulſus, prope ad inſtar onagri dirigit ſaxa. Funditores ſunt, qui fundis [ex] lino vel ſetis factis (has enim dicunt eſſe meliores) contorto circa caput brachio dirigunt ſaxa. Quibus ſcuta deerant, ſive lapidibus manu iactis, ſive miſſilibus in hoc ordine dimicabant, [quos accenſos, tanquam iuniores & poſtea additos nominabant.] Sextus ordo poſt omnes à firmiſſimis, & ſcutatis, & omni genere armorum munitis bellatoribus tenebatur; quos antiqui triarios appellabant. Hi, ut requieti & integri acrius invaderent hoſtes, poſt ultimas acies ſedere conſueverant. Si quid enim primis ordinibus accidiſſet, de horum viribus reparationis ſpes tota pendebat.

CAP. XV.

Ratio podiſmi, quantum ſpacium in acie inter ſingulos homines in longum, vel inter ſingulos ordines in latum debeat cuſtodiri.

EXPLANATO autem qualiter debeant acies inſtrui, nunc podiſmum, menſuramque ipſius ordinationis exponam. In mille paſſibus campi, una acies mille ſexcentos ſexaginta ſex ſuſcipit pedites: propterea quia ſinguli pugnatores ternos occupant pedes. Quod ſi ſex acies in mille paſſibus campi volueris ordinare, novem millia nongenti nonaginta ſex pedites ſunt neceſſarii. Si autem in ternos ordines hunc numerum volueris tendere, duo millia paſſuum comprehendes. Sed melius eſt plures acies facere, quam militem ſpargere. Senos autem pedes à tergo inter ſingulas acies in latum diximus interpatere debere, & ipſi bellatores ſtantes ſingulos obtinent pedes. Ideoque ſi ſex acies ordinaveris, quadraginta duos pedes in latum, & mille paſſus in longum, decem millium hominum tenebit exercitus. [Si autem in ternos ordinare volueris; 21 pedes in latum, & 2000 paſſuum in longum, 10000 tenebit exercitus.] Ad hanc rationem ſive 20000, ſive 30000 peditum fuerint

fuerint iuxta mensuram podismi, sine aliqua dubitatione difficultatis poterunt ordinari; nec dux fallitur, cum sciat qui locus quantos capere possit armatos. Denique si angustior locus sit, vel multitudo sufficiat, inde etiam novem vel amplius acies ordinari [convenit.] Magis enim expedit, ut conferti pugnent, quam longius separati. Nam si nimium fuerit acies tenuata, cito ab adversariis facta impressione perrumpitur, & nullum postea potest esse remedium. Qui autem numeri in dextro cornu, qui in sinistro, qui in medio debeant ordinari, vel iuxta dignitates eorum servatur [ordo] ex more, vel certe pro qualitate hostium commutatur.

Cap. XVI.

De equitibus ordinandis.

Constructa acie peditum, equites ponuntur in cornibus, ita ut loricati omnes, & contati, iuncti sint peditibus. Sagittarii autem, vel qui loricas non habent, longius evagentur. A fortioribus namque equitibus, peditum protegenda sunt latera: & à velocioribus, atque expeditis, hostium cornua superfundenda, atque turbanda [sunt.] Scire dux debet, contra quos drungos, hoc est, globos hostium, quos

 equi-

equites oporteat poni. Nam nescio qua occulta ratione, immo pene divina, alii contra alios dimicant melius: & qui fortiores vicerant, ab inferioribus sæpe vincuntur. Quod si equites impares fuerint, more veterum velocissimi cum scutis levibus pedites, ad hoc ipsum exercitati, iisdem miscendi sunt, quos expeditos velites, [quasi volitantes] nominabant. Quo facto quamvis fortissimi hostium venerint equites, tamen adversus mixtum agmen pares esse non possunt. Unum hoc remedium veteres omnes duces invenerunt, ut assuefacerent iuvenes currentes egregie, & inter binos equites, singulos ex his pedites collocarent, cum levioribus scutis, gladiis, atque missilibus.

CAP. XVII.

De subsidiis, quæ post aciem collocantur.

SED optima ratio est, & ad victoriam plurimum confert, ut lectissimos de peditibus & equitibus, cum vicariis, comitibus, tribunisque vacantibus, habeat dux post aciem [in subsidiis] præparatos: alios circa cornua, alios circa medium: ut sicubi hostis vehementius insistit, ne rumpatur acies, provolent subito, & suppleant loca: additaque virtute, inimicorum audaciam frangant. Hoc primi Lacones invenerunt: imitati

imitati ſunt Carthaginienſes; Romani poſtea ubique ſervaverunt. Hac diſpoſitione nulla melior invenitur. Nam directa acies hoc ſolum agere debet, ſi poteſt, ut hoſtem repellat, aut fundat. Si cuneus ſit agendus, aut forfex, ſuperfluos habere debes poſt aciem, de quibus cuneum aut forficem facias. Si ducenda ſit ſerra, item ex abundantibus ducetur: nam ſi de loco ſuo ordinatum militem transferre cœperis, univerſa turbabis. Si globus hoſtium ſeparatus, aut alam tuam, aut partem aliquam urgere cœperit, niſi ſuperfluos habeas, quos contra globum poſſis opponere, ſive pedites, ſive equites de acie tuleris, dum alia vis defendere, alia periculoſius denudabis. Quod ſi bellatorum tibi copia non abundat, melius eſt aciem habere breviorem, dummodo in ſubſidiis colloces plurimos. Nam circa medias partes campi, ex peditibus bene armatis debes habere lectiſſimos, de quibus cuneum facias, & ſtatim aciem hoſtium rumpas. Circa cornua autem, de contatis, loricatiſque equitibus ad hoc reſervatis, & levi armatura peditum, alas hoſtium circumvenire te convenit.

CAP. XVIII.

In quo loco primus dux ſtare debeat, in quo ſecundus, in quo tertius.

DUx qui præcipuam ſuſtinet poteſtatem inter equites, & pedites, in parte dextra ſtare conſuevit. Hic enim locus eſt, in quo tota acies gubernatur, ex quo rectus eſt, in quo tota acies gubernatur, ex quo rectus eſt liberque procurſus. Ideo autem inter utroſque conſiſtit, ut & conſilio regere, & autoritate tam equites quam pedites ad pugnam poſſit hortari. Hic de equitibus ſupernumerariis, mixtis peditibus expeditis, adverſariorum ſiniſtrum cornu, quod contra ipſum ſtat, circuire, & à tergo ſemper urgere debet. Secundus dux in media acie ponitur peditum, qui eam ſuſtentet & firmet. Hic fortiſſimos pedites & bene armatos de illis ſuperfluis ſecum habere debet: de quibus aut ipſe cuneum faciat, & aciem hoſtium rumpat: aut ſi adverſarii cuneum fecerint, ipſe forficem faciat, ut cuneo illi poſſit occurrere. In ſiniſtra parte exercitus, tertius eſſe dux debet, ſatis bellicoſus & providus, quia ſiniſtra pars difficilior eſt, & velut manca in acie conſiſtit. Ideo bonos equites ſupernumerarios & velociſſimos pedites habere debet, de quibus ſiniſtrum

ſtrum cornu ſemper extendat, ne circumveniatur ab hoſtibus. Clamor autem (quem barritum vocant) prius non debet attolli, quam acies utraque ſe iunxerit. Imperitorũ enim, vel ignavorum eſt, vociferari de longe; cum hoſtes magis terreantur, ſi cum telorũ ictu clamoris horror acceſſerit. Semper autem ſtudere debes, ut prior inſtruas aciem, quia ex arbitrio tuo potes facere, quod tibi utile iudicas, cum nullus obſiſtit: deinde & tuis auges confidentiam, & adverſariis fiduciam minuis: quia fortiores videntur, qui provocare nõ dubitant. Inimici autem incipiunt formidare, qui vident contra ſe acies ordinari. Huic additur maximũ commodum, quia tu inſtructus paratuſque ordinantem & trepidum adverſarium præoccupas. Pars enim victoriæ eſt, inimicum turbare antequam dimices.

Cap. XIX.

Quibus remediis virtuti vel dolis hoſtium reſiſtatur in acie.

[Exceptis ſuperventibus vel incurſionibus repentinis ex occaſione, quã nunquam dux exercitatus amittit.] Nam in itineribus, iam fatigatis; in fluminum tranſgreſſione, diviſis; in paludibus, occupatis; in iugis montium, laborantibus; in campis, ſparſis, atque ſecuris; in manſione,

dormientibus, oportunum prœlium semper infertur: cum aliis negotiis occupatus hostis, prius interimatur, quam præparare se possit. Quod si cauti sunt adversarii, & insidiarum nulla sit copia, tunc adversus præsentes, scientes, videntes, æqua conditione pugnatur. Tamen ars belli, non minus in hoc aperto conflictu, quam in occultis fraudibus adiuvat eruditos. Cavendum vel maxime, ne ab ala, cornuque sinistro, (quod sæpius evenit) aut certe dextro, (quod raro contingit) circumveniantur tui à multitudine hostium, aut à vagantibus globis, quos vocant drungos. Quod si acciderit, unum remedium est, ut alam cornuque replices, & rotundes: quatenus conversi tui, sociorum terga defendant. Sed & in angulo ipsius extremitatis fortissimi collocentur, quia ibi impetus amplior fieri consuevit. Item adversus cuneum hostium, certis resistitur modis. Cuneus dicitur multitudo peditum, quę iuncta [cum] acie primo angustior, deinde latior procedit, & adversariorum ordines rumpit: quia à pluribus in unum locum tela mittuntur. Quam rem milites nominant caput porcinum. Contra quod ordinatio ponitur, quam forficem vocant. Nam ex lectissimis militibus confertis in V litteram, ordo componitur: & illum cuneum

exci-

excipit, atque ex utraque parte concludit: quo facto, aciem non poteſt irrumpere. Item ſerra dicitur, quæ à ſtrenuis directa, ante frontem opponitur hoſtibus, ut turbata acies reparetur. Globus autem dicitur, qui à ſua acie ſeparatus, vago ſuperventu incurſat inimicos, contra quem alter populoſior vel fortior immittitur globus. Obſervandum quoque, ne ſub tempore, quo iam committitur pugna, velis ordines commutare, aut de locis ſuis aliquos numeros ad alia transferre. Statim enim naſcitur tumultus, atque confuſio; & imparatis conturbatiſque facilius hoſtis incumbit.

Cap. XX.

Quot generibus pugna publica committatur, & quomodo etiam, qui inferior numero & viribus eſt, valeat victoriam obtinere.

De pugnationum ſeptem ſunt genera vel modi, cum infeſta ex utraque parte ſigna confligunt. Una depugnatio eſt fronte longa, quadrato exercitu, ſicut etiam nunc & prope ſemper ſolet prœlium fieri: ſed hoc genus depugnationis periti armorum non optimum iudicant, quia cum in prolixo ſpacio tenditur acies, non æqualis ſemper campus occurrit,

currit, & cum in eius parte ſinus, aut curvatura fit, in eo loco acies frequenter inrumpitur. Præterea ſi multitudine adverſarius antecedit, à lateribus aut dextram aut ſiniſtram alam circumvenit. in quo periculum magnum eſt, niſi ſupernumerarios habeas, qui procurrant, hoſtemque ſuſtineant. Hoc genere ſolus debet confligere, qui & plures, & fortes habuerit bellatores, ut ex utroque cornu hoſtem circumveniat, & quaſi in ſinum ſui concludat exercitus. Secunda depugnatio eſt obliqua, quæ plurimis melior: in qua ſi paucos ſtrenuos loco idoneo ordinaveris, etiam ſi multitudine hoſtium & virtute turberis, tamen poteris reportare victoriam. Huius talis eſt modus: Cum inſtructæ acies ad congreſſum veniunt, tunc tu ſiniſtram alam tuam à dextra adverſarii longius ſeparabis, ne vel miſſilia ad eam, vel ſagittæ perveniant: dextram autem alam tuam ſiniſtræ alæ illius iunge, & ibi primum inchoa prœlium: ita ut cum equitibus optimis, & probatiſſimis peditibus, ſiniſtram partem illius, ad quam te iunxeris, aggrediaris atque circumeas, & detrudendo atque ſupercurrendo ad hoſtium terga pervenias. Quod ſi ſemel adverſarios exinde pellere cœperis, accedentibus tuis indubitatam victoriam conſequeris, & pars exercitus tui, quam ab hoſte ſubmoveris, ſecura durabit.

Ad

Ad similitudinem autem A literæ, vel libellæ fabrilis, acies in hoc dimicandi genere constituitur. Quod si prior adversarius hoc fecerit, illos quos post aciem supernumerarios diximus debere poni, tam equites, quam pedites, ad sinistrum tuum colliges cornu, & sic adversario resistes magnis viribus, ne arte pellaris. Tertia depugnatio est similis secundæ: sed in hoc deterior, quod à sinistro cornu tuo cum illius incipis dextro confligere. Nam quasi mancus impetus est eorum, & aperti cum difficultate aggrediuntur hostes, qui in sinistro dimicant cornu. Quod apertius [ut sit] explanabo. Si quando alam sinistram longe habueris meliorem, cum ea fortissimos equites peditesque coniunge, & in congressu ipsam primum applica ad alam hostium dextram, & quantum potest, adversarii dextram partem pellere & circumire festina. Tu autem aliam exercitus partem, in qua deteriores bellatores habere te nosti, à sinistra illius longissime separa, ne vel gladiis invadatur, vel ad eam tela perveniant. In hoc [genere] cavendum est, ne inimicorum cuneis transversa tua acies elidatur. Hoc autem modo, uno casu utiliter pugnabitur, si adversarius infirmius dextrum cornu habuerit, & tu longe fortius sinistrum. Quarta depugnatio talis est: Cum ordinaveris aciem ante quadringentos

vel

vel quingentos passus, quam ad hostem pervenias, non sperante eo, subito ambas alas tuas incitare te convenit: ut ex utroque cornu improvisos hostes vertas in fugam, & celerius victoriam consequaris. Sed hoc genus certaminis, licet cito superet, si exercitatos fortissimosque produxerit, tamen periculosum est: quia mediam aciem suam, qui sic dimicat, nudare compellitur, & in duas partes exercitum separare. Et si primo impetu victus non fuerit inimicus, habet [postea] occasionem, qua invadat & divisa cornua, & mediam aciem destitutam. Quinta depugnatio est quartæ similis: sed hoc unum amplius habet, quod levem armaturam, & sagittarios, ante mediam aciem ponit; ut illis resistentibus, non possit irrumpi. Nam sic de dextro cornu suo, illius sinistrum: & de sinistro cornu suo, illius dextrum aggreditur. Quod si fugare potuerit, statim vincit: sin minus, media acies illius non laborat: quia à levi armatura sagittariisque defenditur. Sexta depugnatio optima est, prope similis secundæ: qua utuntur, qui de numero suorum, & de virtute, desperant. Et si bene ordinaverint, quamvis cum paucioribus, sæpe victoriam consequuntur. Nam cum instructa acies ad hostes accedit; dextram alam tuam sinistræ alæ hostium iunge, & ibi per equites probatissi-

batiſſimos, & velociſſimos pedites, incipe prœlium. Reliquam autem partem exercitus tui, longiſſime à dextra parte adverſariorum remove, & in directum porrige, quaſi veru. Nam cum partem ſiniſtram illius, & à lateribus, & à tergo cœperis cædere, ſine dubio vertes in fugam. Adverſarius autem nec de dextra parte ſua, nec de media acie poteſt ſuis laborantibus ſubvenire, quia acies tua extenditur, & totam ſe porrigit ad ſimilitudinem I literæ, longiſſimeque recedit ab hoſtibus. [Quo genere in itineribus ſæpe confligitur.] Septima depugnatio eſt, quæ loci beneficio adiuvat dimicantem. In hac quoque & cum paucioribus, & cum minus fortibus poteris adverſarium ſuſtinere, hoc eſt, ſi montem, aut mare, aut flumen, aut lacum, aut civitatem, aut paludes, aut abrupta in una parte habeas, ex qua hoſtis non poſſit accedere, & reliquum exercitum tuum directa acie ordines. Sed in illa [ala] quæ munitionem non habet, omnes equites & ferentarios ponas. Tunc ſecurius, pro tuo arbitrio, cum hoſte confliges; quia ab una parte loci natura te munit, ab alia duplex prope ponitur equitatus. Illud tamen obſervandum eſt, quo nihil melius invenitur, ut ſive ſolo dextro cornu pugnare volueris, ibi fortiſſimos ponas: ſive ſiniſtro, ibi ſtrenuiſſimos colloces: ſive in medio

cuneos

cuneos facere volueris, per quos acies hostium rumpas, in cuneo exercitatissimos ordines bellatores. Victoria enim per paucos fieri consuevit. Tantum est, ut electi à duce sapientissimo, in his locis, in quibus ratio & utilitas postulat, ordinentur.

CAP. XXI.

Viam abscedendi hostibus dandam, ut deleantur facilius fugientes.

PLERIQUE rei militaris ignari, pleniorem victoriam credunt, si adversarios, aut locorum angustiis, aut armatorũ multitudine circumdederint, ut aditum non inveniant abscedendi. Sed clausis ex desperatione crescit audacia, & cum spei nihil est, sumit arma formido. Libenter cupit commori, qui sine dubio scit se moriturum. Ideoque Scipionis laudata sententia est, qui dixit, viam hostibus, qua fugiant, muniendam. Nam cum abscedendi aditu patefacto, mentes omnium ad præbenda terga consenserint, multi more pecudum trucidantur. Nec insequentium ullum periculum est, cum victi (quibus defendi poterant) arma converterint [in fugam.] Hoc genere quanto maior fuerit exercitus, tanto facilius multitudo prosternitur. Neque enim ibi requirendus est numerus, ubi animus

mus semel territus, non tam tela hostium cupit declinare, quam vultum. Cæterum clausi, licet exigui numero & infirmi viribus, hoc ipso tamen sunt hostibus pares, quia desperantes sciunt aliud ibi licere non posse. Nam

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Cap. XXII.

Quemadmodum ab hostibus recedatur, si consilium pugnæ displiceat.

Digestis omnibus, quæ ratio militaris experimentis & arte servavit, unum superest docere, quemadmodum recedatur ab hostibus. Nam disciplinæ bellicæ, & exemplorum periti, nusquam maius periculum imminere testantur. Qui enim ante congressum recedit ex acie, & suis fiduciam minuit, & inimicis addit audaciam. Verum quia hoc sæpius necesse est evenire, quibus modis tuto possit fieri, declarandum est. Primum ut tui nesciant, ideo te recedere, quia declinas inire conflictum, sed credant arte aliqua ideo se revocari, ut ad opportuniorem locum invitetur hostis, ac facilius superetur: aut certe insequentibus adversariis secretiores collocentur insidiæ. Nam necesse est, ad fugā parati sint, qui ducem suum sentiunt desperare.

Illud

Illud quoque vitandum eſt, ne hoſtes te recedere ſentiant, & ſtatim inruant. Propterea plerique ante pedites, equites poſuerunt, ut diſcurrentes adverſarios videre non ſinerent, quando pedites abſcedebant. Item articulatim incipientes à primis, ſingulas acies ſubducebant, retroque revocabant, in gradu ſuo manentibus reliquis: quos ſenſim poſtea ceſſimque ad illos iungebant, quos primum ſubduxerant. Aliquanti exploratis itineribus, noctu cum exercitu recedebant: ut hoſtes die orto, cum intellexiſſent, non poſſent comprehendere præcedentes. Præterea levis armatura præmittebatur ad colles, ſub quos ſubito tuto revocaretur exercitus: & ſi hoſtes inſequi voluiſſent, à levi armatura, quæ ante occupaverat locum, additis equitibus, fundebantur. Nihil enim periculoſius exiſtimant, quam ſi inconſulte inſequentes, ab his qui in ſubſeſſâ fuerint, vel qui ante ſe paraverint, obſerventur. Hoc tempus eſt, quo oportune collocantur inſidiæ, quia adverſus fugientes maior audacia & minor cura eſt. Neceſſario autem amplior ſecuritas gravius ſolet habere diſcrimen. Imparatis, cibum capientibus, in itinere laſſis, equos ſuos paſcentibus, ac nihil tale ſuſpicantibus, ſuperventus aſſolent fieri. Quod & nobis vitandum eſt, & hoſti in eiuſmodi occaſio-

occasionibus pernicies inferenda. Hoc enim casu oppressis, nec virtus potest, nec multitudo prodesse: quia qui in acie, publica vincitur pugna, licet & ibi ars plurimum prosit, tamen ad defensionem suam potest accusare fortunam. Qui vero superventus, & subsessas [insidias] passus est, culpam suam non potest excusare: quia hæc & vitare potuit, & per speculatores idoneos ante cognoscere. Cum receditur, talis fraus ita fieri consuevit. Recto itinere pauci equites consequuntur, valida manus occulte per alia mittitur loca: ubi ad agmen inimicorum pervenerunt equites, tentant leviter, atque discedunt. Illi credunt, quicquid insidiarum fuerit, præteriisse, & sine cura resolvuntur in neglegentiam. Tunc illa manus, quæ secreto itinere destinata fuerat, superveniens opprimit ignorantes. Multi cum ab hoste discedunt, si per silvas ituri sunt, præmittunt, qui angusta vel abrupta occupent loca, ne ibidem patiantur insidias. Et rursus post se præcisis arboribus vias claudunt, quas concædes vocant, ut adversariis facultatem adimant persequendi: & pene utrique parti in itinere ad subsessas communis occasio est. Nam qui præcedit, opportunis vallibus, vel silvosis montibus, [quasi] post se relinquit insidias, in quas cum inciderit inimicus, recurrit ipse,

& adiuvat ſuos. Qui vero ſequitur, adverſis ſemitis longe ante deſtinat expeditos, ut præcedentem adverſarium arceat tranſitu, deceptumque à fronte & à tergo concludat. Dormientibus noctu adverſariis, & qui præceſſit, poteſt regredi, & qui ſequitur, quantumvis interſit, poteſt ſupervenire per fraudem. In transfretatione fluviorum, qui præcedit, illam partem tentat opprimere, quæ prima tranſierit, dum reliqui alveo ſeparantur: qui autem ſequitur itinere feſtinato, illos qui nondum potuerunt tranſire, conturbat.

CAP. XXIII.

De camelis, & cataphractis equitibus.

CAMELOS aliquantæ nationes apud veteres in aciem produxerunt, ut Vrſiliani in Aphrica, Macetes hodieque producunt. Sed hoc genus animalium [arenis, &] tolerandæ ſiti aptum, confuſas etiam, in pulvere, vento vias, abſque errore dirigere memoratur. Cæterum præter novitatem, inefficax bello eſt. Cataphracti equites propter munimina quæ gerunt, à vulneribus quidem tuti, ſed propter impedimentum, & pondus armorum, capi [eos] facile eſt, quoniam frequenter obnixi contra diſperſos pedites, quam contra equites. In certa-

certamine meliores tamen, aut ante legiones positi, aut cum legionariis mixti. quando cominus (hoc est, manu ad manum) pugnatur, acies hostium sæpe rumpunt.

Cap. XXIV.

Quomodo quadrigis falcatis, vel elephantis in acie possit obsisti.

Quadrigas falcatas in bello Rex Antiochus & Mithridates habuerunt. Quæ ut primo magnum intulere terrorem, ita postmodum fuere derisui. Nam difficile currus falcatus planum semper invenit campum, & levi impedimento retinetur: unoque afflicto aut vulnerato equo decipitur. Sed maxime hac Romanorum militum arte perierunt. Vbi ad pugnam ventum est, repente toto campo Romani tribulos abiecerunt, in quos currentes quadrigæ cum incidissent, deletæ sunt. Tribulus autem est quatuor palis confixum propugnaculum, quod quomodo abieceris, tribus radiis stat, & erecto quarto infestum est. Elephanti in prœliis magnitudine corporum, barritus horrore, formæ ipsius novitate, homines equosque conturbant. Hos contra Romanum exercitum primus in Lucania Rex Pyrrhus eduxit. Postea

Han-

Hannibal in Aphrica, Rex Antiochus in Oriente, Iugurtha in Numidia copiosos habuerunt, adversus quos diversa excogitata sunt genera armorum. Nam & centurio in Lucania gladio manum (quam promuscidem vocant) uni abscidit, & bini cataphracti equi iungebantur ad currum, quibus insidentes clibanarii, sarissas, hoc est, longissimos contos in elephantos dirigebant. Nam muniti ferro, nec à sagittariis, quos vehebant beluæ, lædebantur, & earum imperum equorum celeritate vitabant. Alii contra elephantos cataphractos milites immiserunt: ita ut in brachiis eorum, & in cassidibus, vel humeris, aculei ingentes ponerentur è ferro, ne [manu sua] elephas bellatorem contra se venientem posset apprehendere. Præcipue tamen velites antiqui adversum elephantos ordinaverunt. Velites autem erant iuvenes, levi armatura, corpore alacri, qui ex equis missilia optime dirigebant. Hi equis prætercurrentibus ad latiores lanceas, vel maiora spicula, belluas occidebant: sed crescente audacia, postea collecti, plures milites pariter pila, hoc est, missilia, in elephantos congerebant, eosque vulneribus elidebant. Illud additum est, ut funditores cum fustibalis & fundis, rotundis lapidibus destinatis, Indos (per quos regebantur elephanti) cum ipsis turribus affligerent atque

atque mactarent; quo nihil tutius invenitur. Prætereа venientibus beluis, qua irrupiſſent aciem, ſpacium milites dabant. Quæ cum in agmen medium perveniſſent, circumfuſis undique armatorum globis, cum magiſtris abſque vulneribus capiebantur illæſæ. Carrobaliſtas aliquanto maiores (hæ enim longius & vehementius ſpicula dirigunt) ſuperpoſitas curribus, cum binis equis aut mulis poſt aciem ordinari convenit, ut cum ſub iactum teli acceſſerint beſtiæ, ſagittis balliſtariorum transfigantur. Latius tamen contra eas & firmius præfigitur ferrum, ut in magnis corporibus maiora ſint vulnera. Adverſum elephantos plura exempla, & machinamenta, retulimus, ut ſi quando neceſſitas poſtulaverit, ſciatur quæ ſint tam immanibus beluis opponenda.

Cap. XXV.

Quid fieri debeat, ſi vel pars, vel totus exercitus fugerit.

Sciendum vero eſt, ſi pars exercitus vicerit, & pars fugerit, minime deſperandum, cum in eiuſmodi neceſſitate, ducis conſtantia totam ſibi poſſit vendicare victoriã. Innumerabilibus hoc accidit bellis, & pro ſuperioribus ſunt habiti, qui

minime desperarunt. Nam in simili conditione fortior creditur, quem adversa non frangunt. Prior ergo de cæsis hostibus spolia capiat, & (quod ipsi dicunt) colligat campum, prior clamore ac buccinis exultare videatur. Hac fiducia perterrebit inimicos, & suis fiduciam geminabit, quasi victor ex omni parte discesserit. Quod si aliquo casu omnis in acie fundatur exercitus, perniciosæ cladis tamen reparationis fortuna multis non defuit, & medicina quærenda est. Dux ergo providus sub ea cautela publico debet Marte confligere, ut si quid pro varietate bellorum, vel conditionis humanæ secus acciderit, absque gravi detrimento liberet victos. Nam si vicini colles fuerint, si post terga munitio, si cæteris abscedentibus fortissimi quique restiterint, se suosque servabunt. Frequenter iam fusa acies, dispersos, ac passim sequentes, reparatis viribus interemit. [Nam] nunquam exultantibus maius solet esse discrimen, quã cum subito ferocia in formidinem commutatur. Sed quicunque eventus fuerit, colligendi superstites bello, erigendi adhortationibus congruis, & armorũ instauratione refovendi. Tunc novi dilectus, nova quæruntur auxilia: & (quod amplius prodest) captatis occasionibus in ipsos victores per occultas insidias impetus faciendus est, ac sic audacia reparanda. Nec opportunitas

desit,

desit, cum pro felicitate superbius & incautius mentes efferantur humanæ. Si quis hunc casum ultimum putat, cogitet, eventus omnium prœliorum, inter initia contra illos magis fuisse, quibus victoria debebatur.

Cap. XXVI.

Regulæ bellorum generales.

IN omnibus prœliis, expeditionis cōditio talis est, ut quod tibi prodest, adversario noceat: quod illum iuvat, tibi semper officiat. Nunquam igitur ad illius arbitrium aliquid facere aut dissimulare debemus, sed id solum agere, quod nobis utile iudicamus. Contra te enim esse incipis, si imiteris quod fecit ille pro se: & rursus quicquid pro tua parte tentaris, contra illum erit, si voluerit imitari.

In bello, qui plus in agrariis vigilaverit, plus in exercendo milite laboraverit, minus periculum sustinebit.

Nunquam miles in aciem producendus est, cuius antea experimenta non ceperis.

Aut inopia, aut superventibus, aut terrore melius est hostem domare, quam prœlio: in quo amplius solet fortuna potestatis habere, quam virtus.

Nulla consilia meliora sunt, quam illa,

quæ ignoraverit adverſarius antequam facias.

Occaſio in bello amplius ſolet iuvare, quam virtus.

In ſollicitandis ſuſcipiendiſque hoſtibus, ſi cum fide veniant, magna fiducia eſt: quia adverſarium amplius transfugæ frangunt, quam peremti.

Melius eſt poſt aciem plura ſervare præſidia, quam latius militem ſpargere.

Difficile vincitur, qui vere poteſt de ſuis & de adverſarii copiis iudicare.

Amplius iuvat virtus, quam multitudo.

Amplius ſæpe locus prodeſt quam virtus.

Paucos viros fortes natura procreat, bona inſtitutione plures reddit induſtria.

Exercitus labore proficit, ocio conſeneſcit.

Nunquam ad certamen publicum produxeris militem, niſi [cum] eum videris ſperare victoriam.

Subita conterrent hoſtes, uſitata vileſcunt.

Qui diſperſis ſuis inconſulte ſequitur, quam ipſe acceperat, adverſario vult dare victoriam.

Qui frumentum, neceſſariumque commeatum, non præparat, vincitur ſine ferro.

Qui

Qui multitudine, & virtute, præcedit, quadrata dimicet fronte; qui primus est modus.

Qui imparem se iudicat, dextro cornu suo sinistrum cornu pellat inimici; qui est secundus modus.

Qui sinistram alam fortissimam habere se noverit, dextram alam hostis invadat; qui est tertius modus.

Qui habet exercitatissimos milites, in utroque cornu pariter prœlium debet incipere; qui est quartus modus.

Qui levem armaturam optimam regit, utramque alam hostis invadat, ferentariis ante [mediam] aciem constitutis; qui est quintus modus.

Qui nec numero militum, nec virtute confidit, si depugnaturus est, de dextra sua sinistram alam hostium pulset, reliquis suis porrectis in similitudinem veru; qui sextus est modus.

Qui pauciores, infirmioresque, habere se novit, septimo modo ex uno latere, aut montem, aut civitatem, aut mare, aut fluvium, aut aliquod debet habere subsidium.

Qui confidit equitatu, aptiora loca quærat equitibus; & rem magis per equites gerat.

Qui confidit pedestribus copiis, aptiora loca peditibus quærat; & rem ma-

gis per pedites gerat.

Cum explorator hoſtium latenter oberrat in caſtris, omnes ad tentoria ſua per diem redire iubeantur, & ſtatim deprehenditur explorator.

Cum conſilium tuum cognoveris adverſariis proditum, diſpoſitionem mutare te convenit.

Quid fieri debeat, tractato cum multis: quid vero facturus ſis, cum pauciſſimis, ac fideliſſimis; vel potius ipſe tecum.

Milites pœna & timor in ſedibus corrigunt; in expeditionibus, ſpes & præmia faciunt meliores.

Boni duces publico certamine nunquam niſi ex occaſione, aut nimia neceſſitate confligunt.

Magna diſpoſitio eſt, hoſtem fame magis urguere, quam ferro.

De equitatu ſunt multa præcepta: ſed cum hæc pars militiæ, uſu exercitii, armorum genere, equorum nobilitate profecerit, ex libris nihil arbitror colligendum, cum præſens doctrina ſufficiat.

Quo genere depugnaturus ſis, neſciant hoſtes: ne aliquibus remediis reſiſtere moliantur.

EPI-

EPILOGVS.

Digesta sunt, Imperator Invicte, quæ nobilissimi auctores, diversis probata temporibus, per experimentorum fidem, memoriæ prodiderunt, ut ad sagittandi peritiam, quam in serenitate tua Persa miratur: ad equitandi scientiam vel decorem, quæ Hunnorum Alanorumque natio velit imitari, si possit: ad currendi velocitatem, quam Saracenus Indusque non æquat: ad armaturæ exercitationem, cuius campi doctores vel pro parte exempla intellexisse gaudent: nunc regula prœliandi, imo vincendi artificium iungatur; quatenus virtute pariter ac dispositione mirabili, Reipublicæ tuæ & Imperatoris officium exhibeas & militis.

gis per pedites gerat.

Cum explorator hostium latenter oberrat in castris, omnes ad tentoria sua per diem redire iubeantur, & statim deprehenditur explorator.

Cum consilium tuum cognoveris adversariis proditum, dispositionem mutare te convenit.

Quid fieri debeat, tractato cum multis: quid vero facturus sis, cum paucissimis, ac fidelissimis; vel potius ipse tecum.

Milites pœna & timor in sedibus corrigunt; in expeditionibus, spes & præmia faciunt meliores.

Boni duces publico certamine nunquam nisi ex occasione, aut nimia necessitate confligunt.

Magna dispositio est, hostem fame magis urguere, quam ferro.

De equitatu sunt multa præcepta: sed cum hæc pars militiæ, usu exercitii, armorum genere, equorum nobilitate profecerit, ex libris nihil arbitror colligendum, cum præsens doctrina sufficiat.

Quo genere depugnaturus sis, nesciant hostes: ne aliquibus remediis resistere moliantur.

EPILOGVS.

DIGESTA sunt, Imperator Invicte, quæ nobilissimi auctores, diversis probata temporibus, per experimentorum fidem, memoriæ prodiderunt, ut ad sagittandi peritiam, quam in serenitate tua Persa miratur: ad equitandi scientiam vel decorem, quæ Hunnorum Alanorumque natio velit imitari, si possit: ad currendi velocitatem, quam Saracenus Indusque non æquat: ad armaturæ exercitationem, cuius campi doctores vel pro parte exempla intellexisse gaudent: nunc regula prœliandi, imo vincendi artificium iungatur; quatenus virtute pariter ac dispositione mirabili, Reipublicæ tuæ & Imperatoris officium exhibeas & militis.

FLAVII VEGETII RENATI DE RE MILITARI LIBRI QUARTI

Prologus.

AGRESTEM, incultamque hominum in initio sæculi vitam, à communione brutorum animalium, vel ferarum, urbium constitutio prima discrevit. In his nomen reipublicæ peperit communis utilitas. Ideo potentissimæ nationes, ac Principes consecrati, nullam maiorem gloriam putaverunt, quam aut fundare novas civitates, aut ab aliis conditas in nomen suum, sub quadam amplificatione, transferre. In quo opere clementia serenitatis tuæ obtinet palmam. Ab aliis enim vel paucæ, vel singulæ, à pietate tua innumerabiles urbes ita iugi labore perfectæ sunt, ut non tam humana manu conditæ, quam divino nutu videantur paratæ. Cunctos Imperatores felicitate, moderatione, castimonia, indul-

gentiæ

gentiæ exemplo, ſtudiorum amore præcellis. Regni animique tui bona cernimus: & tenemus, quæ anticipare & ſuperior optavit ætas, & extendi in perpetuum ventura deſiderat. Quibus rebus tantum univerſo orbi præſtitum gratulamur [bonum,] quantum vel humana mens petere, vel gratia potuit divina conferre. Sed diſpoſitionibus veſtræ clementiæ quantum profecerit murorum elaborata conſtructio, Roma documentum eſt, quæ ſalutem civium Capitolinæ arcis defenſione ſervavit, ut glorioſius poſtea totius orbis poſſideret imperium. Ad complementum ergo operis maieſtatis veſtræ præceptione ſuſcepti, rationes quibus vel noſtræ civitates defendendæ ſint, vel hoſtium ſubruendæ, ex diverſis auctoribus in ordinem digeram: nec laboris pigebit, cum omnibus profutura condantur.

Cap. I.

Civitates aut opere, aut natura, aut utroque debere muniri.

Vrbes atque caſtella, aut natura muniuntur, aut manu, aut utroque, quod firmius ducitur. Natura, aut loco edito vel abrupto, circumfuſo mari ſive paludibus, vel fluminibus. Manu; foſſis, ac muris. In illo naturali beneficio, tutiſſimum

eligentis consilium; in plano quæritur fundantis industria. Videmus antiquissimas civitates ita in campis patentibus constitutas, ut deficiente auxilio locorum, arte tamen & opere redderentur invictæ.

CAP. II.

Non directos, sed angulosos muros faciendos.

AMBITUM muri directum veteres duci noluerunt, ne ad ictus arietum esset dispositus: sed sinuosis anfractibus, iactis fundamentis, clausere urbes; crebrioresque turres in ipsis angulis ediderunt propterea, quia si quis ad murum tali ordinatione constructum, vel scalas, vel machinas voluerit admovere, non solum à fronte, sed etiam à lateribus, & prope à tergo, veluti in sinum circumclusus opprimitur.

CAP. III.

Quemadmodum muris terra iungatur egesta.

MURUS autem, ut nunquam possit elidi, hac ratione perficitur. Intervallo vicenum pedum interposito, duo intrinsecus parietes fabricantur. Deinde ter-

terra, quæ de fossis fuerit egesta, inter illos mittitur, vectibusque densatur: ita ut à muro primus paries parum inferior, secundus longe minor ducatur: ut de plano civitatis ad similitudinem graduum quasi clivo, molliusque ad propugnacula possit ascendi. Quia nec murus ullis potest arietibus rumpi, quem terra confirmat; & quovis casu destructis lapidibus, ea quæ inter parietes densata fuerit, ad muri vicem ingruentibus moles obsistit.

Cap. IV.

De cataractis, & portis, ne exurantur ab ignibus.

Cavetur præterea, ne portæ subiectis ignibus exurantur. Propter quod sunt coriis & ferro tegendæ. Sed amplius prodest, quod invenit antiquitas, ut ante portam addatur propugnaculum, in cuius ingressu ponitur cataracta, quę annulis ferreis ac funibus pendet, ut si hostes intraverint, demissa eadem extinguantur inclusi. Ita tamen supra portam murus est ordinandus, ut accipiat foramina, per quę de superiore parte effusa aqua, subiectum restinguat incendium.

CAP. V.

De fossis faciendis.

FOSSÆ autem ante urbes latissimæ [altissimæque] faciendæ sunt, ut nec facile possint coæquari repleriqúe ab obsidentibus, & cum aquæ cœperint inundari, ab adversario cuniculum continuari minime patiantur. Nam duplici modo opus subterraneum peragi, earum altitudine, & inundatione, prohibetur.

CAP. VI.

Ne sagittis hostium homines lædantur in muro.

FORMIDATUR, ne multitudo sagittariorum, de propugnaculis exterritis defensoribus, appositisque scalis, occupet murum. Adversum quod cataphractas atque scuta in civitatibus debent habere quam plurimi. Deinde propugnacula duplicia, saga ciliciaque tenduntur, quæ impetum excipiunt sagittarum. Nec enim facile transeunt spicula, quod cedit ac fluctuat. Inventum quoque remedium est, ut de ligno crates facerent, quas metellas vocaverunt, lapidibusque complerent: ea arte inter bina propugnacula constitutas, ut si per scalas ascendisset hostis, & partem ali-

quam

quam ipsius contigisset, supra caput suum vergerent saxa.

Cap. VII.

Quibus modis providendum sit, ne famem patiantur obsessi.

Multa defensionum oppugnationumque sunt genera, quæ locis competentibus inseremus. Nunc sciendum est, obsidendi duas esse species. Unam, cum adversarius opportunis locis præsidiis ordinatis [continuis insultibus impugnat obsessos. Alteram, cum] vel aqua prohibet inclusos, vel deditionem sperat à fame, quando omnes prohibuerit commeatus. Hoc enim consilio, ipse ociosus, ac tutus, fatigat inimicum. Ad quos casus, possessores, quamvis levi suspicione pulsati, omnem alimoniam victus intra muros debent studiosissime collocare, ut ipsis exuberet substantia, adversarios inopia cogat abscedere. Non solum autem porcinum, sed & omne animalium genus, quod inclusum servari non potest, deputari oportet ad lardum, ut adminiculo carnis frumenta sufficiant. Aves autem cohortales, & sine impensa, in civitatibus nutriuntur, & propter ægrotantes sunt necessariæ. Pabula equis sunt præcipue congerenda, & quæ apportari nequiverint, exurenda. Vini, aceti, cete-

ceterarumque frugum vel pomorum congerendæ ſunt copiæ, nihilque, quod uſui proficiat, hoſtibus relinquendum. Nam ut hortorum cura in viridariis domorum, vel areis exerceatur, utilitatis & voluptatis ratio perſuadet. Parum autem proficit plurimum collegiſſe, niſi ab exordio dimenſione ſalubri per idoneos [procuratores] erogatio temperetur. Nunquam periclitati ſunt fame, qui frugalitatem inter copiam ſervare cœperunt. Imbellis quoque ætas, ac ſexus, propter neceſſitatem victus, [portis] frequenter excluſa eſt: ne penuria opprimeret armatos, à quibus mœnia ſervabantur.

CAP. VIII.

Quæ ſpecies præparandæ ſint pro defenſione murorum.

BITUMEN, ſulphur, picem liquidam, oleum, quod incendiarium vocant, ad exurendas hoſtium machinas, convenit præparare: ad arma facienda, ferrum utriuſque temperaturæ, & carbones, ſervantur in conditis: ligna quoque haſtilibus ſagittiſque neceſſaria reponuntur. Saxa rotunda de fluviis, quia pro ſoliditate graviora ſunt, & aptiora mittentibus, diligentiſſime colliguntur; ex quibus muri replentur, & turres. Minima fundis, ſive fuſtibalis, vel mani-

manibus iacienda. Maiora per onagros diriguntur. [Maxima vero pondere, formaque volubili,in propugnaculis digeruntur,] ut dimiſſa per præceps,non ſolum obruant ſubeuntes, ſed etiam machinamenta confringant. Rotæ quoque de lignis viridibus ingentiſſimæ fabricantur,vel intercisi ex validiſſimis arboribus cylindri (quas taleas vocant)ut ſint volubiles lævigantur; quæ per pronum labentia ſubito impetu bellatores ſternunt,equoſque ſolent deterrere. Trabes quoque & tabulata, vel diverſæ magnitudinis clavos ferreos,eſſe oportet in promptu. Nam oppugantium machinis per alias machinas conſuevit obſiſti, præcipue cum ſubitis operibus addenda ſit muris vel propugnaculis altitudo, ne adverſariorum mobiles turres ſupereminеant,& capiant civitatem.

Cap. IX.

Quid faciendum, ſi nervorum defuerit copia.

Nervorum quoque copiam ſummo ſtudio expedit colligi : quia onagri, vel baliſtæ, ceteraq; tormenta, niſi funibus nervinis intenta, nihil proſunt. Equorum tamen ſetæ de caudis ac iubis ad baliſtas utiles afferuntur. Indubitatum vero eſt, crines feminarum in eiuſmodi tormentis

non

non minorem habere virtutem, Romanæ ſcilicet neceſſitatis experimento. Nam in obſidione Capitolii, corruptis iugi ac longa fatigatione tormentis, cum nervorum copia defeciſſet, matronæ abſciſſos crines viris ſuis obtulere pugnantibus, reparatiſque machinis, adverſariorum impetum repulerunt. Maluerunt enim pudiciſſimæ feminæ, deformato ad tempus capite, libere vivere cum maritis; quam hoſtibus integro decore ſervire. Cornua quoque, vel cruda coria, proficit colligi ad cataphractas [tegendas,] aliaque machinamenta, ſive munimina.

CAP. X.

Quid faciendum, ne aquæ inopiam patiantur obſeſſi.

MAGNA urbis utilitas eſt, cum perennes fontes murus includit. Quod ſi natura non præſtat, cujuſlibet altitudinis effodiendi ſunt putei, aquarumque hauſtus funibus extrahendi. Sed interdum ſicciora ſunt loca, quæ montibus ſunt ſaxiſque munita, in quibus ſuperpoſita caſtella; extra murum inferiores reperiunt fontium venas, ac de propugnaculis, vel turribus deſtinatis, protegunt telis, ut aquatoribus liber præſtetur acceſſus. Quod ſi ultra iactum teli, in clivo

vo tamen civitatis, subiecta sit vena, castellum parvulum (quem burgum vocant) inter civitatem & fontem, convenit fabricari, ibique balistas, sagittariosque constitui, ut aqua defendatur ab hostibus. Præterea in omnibus publicis ædificiis, multisque privatis, cisternæ sunt diligentissime substruendæ, ut receptacula aquis pluvialibus, quæ de tectis effluunt, præstent. Difficile enim vincit sitis eos, qui quamvis exigua aqua, ad potum tantum, in obsidione sunt usi.

Cap. XI.

Si sal defuerit, quid faciendum.

Si maritima sit civitas, & sal defuerit, liquor ex mari sumtus, per alveos atque patula vasa diffunditur, qui à calore Solis duratur in salem. Quod si hostis ab unda prohibeat, (nam hoc sæpe accidit) arenas, quas exagitatum ventis mare superfuderat, aliquando colligunt, & dulci aqua eluunt, quæ Sole siccata nihilominus mutatur in salem.

Cap.

CAP. XII.

Quid faciendum, cum primo impetu venitur ad muros.

VIOLENTA autẽ impugnatio quando castellis vel civitatibus præparatur, mutuo utrinque periculo, sed maiore oppugnantium sanguine, exercentur luctuosa certamina. Illi enim qui muros invadere cupiunt, terrifico apparatu expositis copiis, in spem deditionis formidinem geminant, tubarum strepitu hominumque permixto. Tunc, quia timor magis frangit insuetos, primo impetu stupentibus oppidanis, si discriminum experimenta non norunt, [dum] admotis scalis invaditur civitas, [resistere debẽt omni virtute.] Quod si à fidentibus, sive militaribus viris repellatur prima congressio, statim clausis crescit audacia, & iam non terrore, sed viribus & arte confligitur.

CAP. XIII.

Enumeratio machinarum, quibus muri oppugnantur.

ADMOVENTUR etiam testudines, arietes, falces, vineæ, plutei, musculi, turres: de quibus singulis qualiter fabricentur,

centur, quo etiam pacto prœlientur, vel repellantur, edisseram.

Cap. XIV.

De ariete, falce, testudine.

De materia, ac tabulatis, testudo contexitur, quæ ne exuratur incendio, coriis, vel ciliciis, centonibusque vestitur. Hæc intrinsecus accipit trabem, quæ aut adunco præfigitur ferro, & falx vocatur, ab eo quod incurva est, ut de muro extrahat lapides: aut certe ipsius caput vestitur ferro, & appellatur aries: vel quod habet durissimam frontem, quæ subruat muros: vel quod more arietum retrocedit, ut cum impetu vehementius feriat. Testudo autem à similitudine veræ testudinis vocabulum sumsit: quia sicut illa modo reducit, modo profert caput; ita machinamentum interdum reducit trabem; interdum exerit, ut fortius cædat.

Cap. XV.

De vineis, pluteis, & aggere.

Vineas dixerunt veteres, quas nunc militari barbaricoque usu causias vocant. E lignis levioribus machina colligatur, alta pedibus octo, lata pedibus septem, longa pedibus sexdecim. Huius tectum muni-

munitione duplici, tabulatis, cratibusque contexitur. Latera quoque vimine sepiuntur, ne saxorum telorumque impetu penetrentur. Extrinsecus autem, ne immisso concremetur incendio, crudis ac recentibus coriis, vel centonibus, operitur. Istæ, cum plures factæ fuerint, iunguntur in ordinem, sub quibus subsidentes tuti ad subruenda murorum penetrant fundamenta. Plutei dicuntur, qui ad similitudinem absidis contexuntur è vimine, & ciliciis vel coriis proteguntur, ternisque rotulis, quorum una in medio, duæ in capitibus apponuntur, in quamcunque partem volueris admoventur more carpenti: quos obsidentes applicant muris; eorumque munitione protecti, sagittis, sive fundis, vel missilibus, defensores omnes de propugnaculis civitatis exturbant, ut scalis ascendendi facilior præstetur occasio. Agger autem ex terra lignisque extollitur contra murum, de quo tela iactantur.

CAP. XVI.

De musculis.

MUSCULOS dicunt minores machinas, quibus protecti bellatores, si lutum obfuerit, civitatis fossatum, etiam apportatis lapidibus, lignis, ac terra, non solum complent, sed etiam solidant, ut turres ambula-

ambulatoriæ ſine impedimento iungantur ad murum. Vocantur autem à marinis beluis muſculi. Nam quemadmodum illi, cum minores ſint, tamen balænis auxilium adminiculumque iugiter exhibent: ita iſtæ machinæ breviores, deputatæ turribus magnis, adventui illarum parant viam, itineraque præmuniunt.

Cap. XVII.

De turribus ambulatoriis.

Turres autem dicuntur machinamenta, ad ædificiorum ſpeciem, ex trabibus tubulatiſque compacta: &, ne tantum opus hoſtili concremetur incendio, diligentiſſime [ex] crudis coriis, vel centonibus, communita; quibus pro modo altitudinis additur latitudo. Nam interdum tricenos pedes per quadrum, interdum quadragenos vel quinquagenos latæ ſunt. Proceritas autem ipſarum tanta fit, ut non ſolum muros, ſed etiam turres lapideas alritudine ſuperent. His plures rotæ mechanica arte ſubduntur, quarum lapſu volubili magnitudo tam ampla movetur. Præſens autem periculum civitatis eſt, ſi ad murum fuerit turris admota. Plures enim accipit ſcalas, & diverſo genere conatur inrumpere. Nam in inferioribus habet arietem, cuius impetu deſtruit muros: circa mediam

mediam vero partem accipit pontem, factum de duabus trabibus, ſeptumque de vimine, quem ſubito prolatum inter turrim murumque conſtituunt, & per eum egredientes de machina bellatores in civitatem tranſeunt, & occupant muros. In ſuperioribus autem turris illius partibus contati & ſagittarii collocantur, qui defenſores urbis [ex alto] contis, miſſilibus, ſaxiſque proſternant. Quo facto civitas capitur ſine mora. Quid enim auxilii ſupereſt, cū hi qui de murorum altitudine ſperabant, repente ſupra ſe aſpiciant altiorem hoſtium murū?

CAP. XVIII.

Quemadmodum ambulatoria turris poſſit incendi.

Huic tam manifeſto diſcrimini multis occurritur modis. Primum, ſi confidentia vel virtus eſt militaris, eruptione facta, globus egreditur armatorum, & vi hoſtibus pulſis machinamentum illud ingens, direptis coriis, ignis exurit. Quod ſi oppidani exire non audeant, ad maiores baliſtas, malleolos vel falaricas cum incendio deſtinant, ut perruptis coriis, vel centonibus, intrinſecus flamma condatur. Malleoli velut ſagittæ ſunt, & ubi adhæſerint (quia ardentes ſunt) univerſa conflagrant. Falarica autem, ad modum haſtæ, valido

valido præfigitur ferro: inter tubum, & hastile, sulphure, resina, bitumine, stupisque convolvitur, infuso oleo, quod incendiarium vocant, quæ balistæ impetu destinata, perrupto munimine, ardens figitur ligno, turritamque machinam frequenter incendit. Depositi quoque homines funibus, cum hostes dormiunt, in laternis portant lucernas, &, incensis machinis, rursus levantur in murum.

Cap. XIX.

Quemadmodum altitudo muris addatur.

PRÆTEREA partem muri, ad quam machina conatur accedere, cæmento atque lapidibus, vel luto, sive lateribus, postremo tabulatis, exstruendo faciunt altiorem, ne defensores mœnium desuper urbi ventura possit opprimere. Constat autem, inefficax machinamentum reddi, si inveniatur inferius. Verum obsidentes eiusmodi dolum adhibere consueverunt. Primo talem exstruunt turrem, quæ propugnaculis civitatis videatur inferior. Deinde secreto aliam de tabulatis intrinsecus turriculam faciunt, & cum muris fuerit machina sociata, subito funibus trochleisque de medio turricula illa producitur, de qua egredientes armati (quia altior invenitur) statim

ſtatim capiunt civitatem.

CAP. XX.

Quo pacto ſuffodiatur terra, ut machina nocere non poſſit.

INTERDUM longiſſimas, ferrataſque trabes opponunt machinæ venienti, eamque à muri vicinitate propellunt. Sed cum Rhodiorum civitas oppugnaretur ab hoſtibus, & turris ambulatoria murorum altitudinem, ac turrium omnium, ſuperaret, mechanici ingenio inventum eſt tale remedium. Per noctem ſub fundamento muri cuniculum fodit, & illum locum, ad quem die poſtero turris fuerat promovenda, nullo hoſtium ſentiente, egeſta terra cavavit intrinſecus: & cum rotis ſuis moles fuiſſet impulſa, atque ad locum qui ſubtus cavatus fuerat, perveniſſet, tanto ponderi ſolo cedente, ſubſedit, nec iungi muris, aut moveri ulterius potuit. Ita & civitas liberata eſt, & machina derelicta.

CAP. XXI.

De ſcalis, ſambuca, exoſtra, & tollenone.

ADMOTIS turribus, funditores lapidibus, ſagittarii iaculis, manubaliſtarii vel arcubaliſtarii ſagittis, iaculatores plumbatis ac miſſilibus, è muris ſubmovent

vent hostes. Hoc facto, scalis appositis occupant civitatem. Sed qui scalis nituntur, frequenter periculum sustinent: exemplo Capanei, à quo primum [hæc] scalarum oppugnatio perhibetur inventa: qui tanta vi occisus est à Thebanis, ut extinctus fulmine diceretur. Et ideo sambuca, exostra, & tollenone obsidentes in murum hostium penetrant. Sambuca dicitur à similitudine citharæ. Nam quemadmodum in cithara chordæ sunt, ita in trabe, quæ iuxta turrim ponitur, funes sunt, qui pontem de superiore parte trochleis laxant, ut ascendat ad murum: statimque de turri exeunt bellatores, & per eum transeuntes mœnia urbis invadunt. Exostra dicitur pons, quem superius exposuimus, qui de turri in murum repente protenditur. Tolleno dicitur, quoties una trabes in terram præalte defigitur, cui in summo vertice alia transversa trabes longior diinensa medietate connectitur, eo libramento, ut si unum caput depresseris, aliud erigatur. In uno ergo capite cratibus sive tabulatis contexitur machina, in qua pauci collacantur armati. Tunc per funes uno attracto depressoque, alio capite elevati imponuntur in murum.

CAP. XXII.

De balistis, onagris, scorpionibus, arcubalistis, fustibalis, fundis, per quæ tormenta defenditur murus.

ADVERSUM hæc obsessos defendere consueverunt balistæ, onagri, scorpiones, arcubalistæ, fustibali, sagittarii, fundæ. Balista funibus, nervis, [chordisque] tenditur: quæ quanto prolixiora brachiola habuerit, hoc est, quanto maior fuerit, tanto spicula longius emittit: quæ si iuxta artem mechanicam temperetur, & ab exercitatis hominibus, qui mensuram eius ante collegerint, dirigatur, penetrat quodcunque percusserit. Onager autem dirigit lapides; sed pro nervorum crassitudine, & magnitudine, saxorum pondera iaculatur. Nam quanto amplior fuerit, tanto maiora saxa fulminis more contorquet. His duobus generibus nulla tormentorum species vehementior invenitur. Scorpiones dicebant, quos nunc manubalistas vocant: ideo sic nuncupati, quod parvis subtilibusque spiculis inferant mortem. Fustibalos, arcubalistas, & fundas describere superfluum puto, quæ præsens usus agnoscit: saxis tamen gravioribus per onagrum destinatis, non solum equi eliduntur, & homines, sed

ſed etiam hoſtium machinamenta franguntur.

Cap. XXIII.

Adverſum arietes proſunt culcitæ, laquei, lupi, & columnæ graviores.

ADversum arietes etiam vel falces, ſunt plura remedia. Aliquanti centones & culcitas fuſtibus calcant, & illis opponunt locis, qua cædit aries, ut impetus machinæ materia molliore fractus, non deſtruat murum. Alii laqueis captos arietes, per multitudinem hominum de muro in obliquum trahunt, & cum ipſis teſtudinibus evertunt. Plures in modum forficis dentatum funibus illigant ferrum, quem lupum vocant, apprehenſumque arietem aut avertunt, aut ita ſuſpendunt, ut impetū non habeat feriendi. Interdum baſes, columnæ marmoreæ, vibrato impetu iaciuntur è muris, arieteſque confringunt. Quod ſi tanta vis fuerit, ut murus arietibus perforetur, & (quod ſæpe accidit) decidat, ſalutis una ſpes ſupereſt, ut deſtructis domibus alius intrinſecus murus addatur, hoſteſque inter binos parietes (ſi penetrare tentaverint) perimantur.

CAP. XXIV.

De cuniculis, per quos aut murus defoditur, aut civitas penetratur.

ALIUD genus oppugnationis est subterraneum, atque secretum, quod cuniculum vocant: à leporibus, qui cavernas sub terris fodiunt, ibique conduntur. Adhibita ergo multitudine ad speciem metallorum, in quibus auri argentique venas Bessorum rimatur industria, magno labore terra defoditur, cavatoque specu in exitium civitatis inferna quæritur via. Quæ fraus duplicibus operatur insidiis. Aut enim penetrant urbem, & noctu non sentientibus oppidanis egrediuntur per cuniculum, reseratisque portis suorum agmen ducunt, hostesque in ipsis domibus perimunt ignorantes: aut certe cum ad murorum fundamenta pervenerint, suffodiunt eorum maximam partem, & appositis siccioribus lignis, ruinam muri tumultuario opere suspendunt. Sarmenta insuper iungunt, aliaque fomenta flammarum. Tunc pręparatis bellatoribus subter ignis immittur, combustisque columnis ligneis, atque tabulatis, muro subito corruente, [inruptione] aditus reseratur.

CAP.

CAP. XXV.

Quid facere debeant oppidani, si hostis inruperit civitatem.

INNUMERABILIBUS declaratur exemplis, sæpe cæsos ad internecionem hostes, qui pervaserant civitatem. Quod sine dubio evenit, si oppidani muros ac turres retinuerint, vel altiora occupaverint loca. Tunc enim de fenestris, ac tectis, omnis ætas, ac sexus, inrumpentes obruunt saxis, aliisque generibus telorum. Quod ne sustineant obsidentes, portas civitatis aperire consueverunt, ut resistere desinant, fugiendi potestate concessa. Necessitas enim quędam virtutis est desperatio. In hoc casu unum oppidanis auxilium est, sive per diē, sive per noctem hostis intraverit, ut muros, turresque teneant, ac loca superiora conscendant, hostesque per vicos & plateas undique obruant dimicantes.

CAP. XXVI.

Quæ sit adhibenda cautela, ne hostes furtim occupent murum.

FREQUENTER dolum excogitant obsidentes, ac simulata desperatione longius abeunt. Sed ubi postmodum, murorum vigiliis derelictis, requieverit incauta

ſecuritas, tenebrarum ac noctis occaſione captata, cum ſcalis clanculum veniunt, muroſque conſcendunt. Propter quod maior eſt adhibenda cuſtodia, cum hoſtis abſceſſerit, & in ipſis muris ac turribus tuguriola collocanda, in quibus vigiles, hybernis menſibus ab imbribus, vel frigore; æſtivis defendantur à Sole. Illud quoque uſus invenit, ut acerrimos ac ſagaciſſimos canes in turribus nutriant, qui adventum hoſtium odore præſentiant, latratuque teſtentur. Anſeres quoque non minore ſolertia nocturnos ſuperventus clamoribus indicant. Nam ingreſſi Capitolinam arcem Galli, Romanum nomen eruerant, niſi clamore anſeris excitatus Manlius reſtitiſſet. Mira diligentia ſive fortuna viros, qui univerſum orbem erant miſſuri ſub iugum, avis una ſervavit.

CAP. XXVII.

Quomodo oppidanis inferantur inſidiæ.

NON ſolum in obſidionibus, ſed in univerſo genere bellorum, ſupra omnia ducitur, hoſtium conſuetudinem explorare diligenter, ac noſſe. Opportunitas enim inſidiarum aliter non poteſt inveniri, niſi ſcias, quibus horis adverſarius à laboris intentione diſcedat, quibus reddatur incautior: interdum medio die, interdum ad veſperum,

ſperum, ſæpe nocte, aliquando eo tempore quo ſumitur cibus, [cum utriuſque partis milites ad requiem aut ad curanda corpora diſperguntur.] Quod in civitate cum cœperit fieri, obſidentes aſtu ſe à prœlio ſubtrahunt, ut adverſariorum neglegentiæ licentiam tribuant. Quæ ipſa impunitate cum creverit, repente admotis machinis, vel appoſitis ſcalis, occupant civitatem. Et ideo in muris ſaxa, ceteraque tormenta ponuntur in promptu, ut cognitis inſidiis accurrentes, ad manum habeant quod ſupra capita hoſtium evolvant atque iaculentur.

Cap. XXVIII.

Quid faciant obſidentes, ne ab oppidanis patiantur inſidias.

Cum neglegentia intervenerit, paribus inſidiis ſubiacent obſidentes. Nam ſive cibo ſive ſomno fuerint occupati, ſive ocio aut aliqua neceſſitate diſperſi: tunc oppidani repente prorumpunt; ignorantes perimunt; arietes, machinas, ipſoſque aggeres ignibus concremant; omniaque in perniciem ſuam fabricata opera ſubvertunt. Propter quod obſidentes ultra iactum teli foſſam faciunt, eamque non ſolum vallo, & ſudibus, ſed etiam turriculis inſtruunt, ut erumpentibus ex civitate poſſint

obsistere; quod opus loriculam vocant; & sæpe cum obsidio describitur, invenitur in Historiis, loricula urbem esse circumdatam.

CAP. XXIX.

Quo genere tormentorum civitates defendantur.

SED ex alto destinata missilia, sive plumbatæ, sive lanceæ, veruta, vel spicula in subiectos vehementius cadunt. Sagittæ quoque arcubus missæ, & saxa manibus, fundis, sive fustibalis directa, quanto de excelsiori loco exeunt, tanto longius penetrant. Balistæ vero, & onagri, si à peritis diligentissime temperentur, universa præcidunt, à quibus nec virtus illa, nec munimina possunt defendere bellatores. Nam more fulminis quicquid percusserint, aut dissolvere, aut inrumpere consueverunt.

CAP. XXX.

Quemadmodum mensura colligatur ad scalas vel machinas faciendas.

AD capiendos muros scalæ vel machinæ plurimum valent, si ea magnitudine compactæ fuerint, ut altitudinem exsuperent civitatis. Mensura autem colligitur duplici modo: aut enim linum tenue expeditum

ditum uno capite nectitur in sagitta, quæ cum ad muri fastigia directa pervenerit ex mensura lini, murorum altitudo deprehenditur: aut certe cum sol obliquus umbram turrium murorumque iaculatur in terram, tunc ignorantibus adversariis, umbræ illius spacium mensuratur. itemque decempeda figitur, & umbra ipsius similiter mensuratur. Quo collecto [numero,] nemo dubitat ex umbra decempedæ inveniri altitudinem civitatis, cum sciatur, quanta altitudo quantum umbræ emittat in longum.

EPILOGVS.

Quæ ad oppugnandas vel defendendas urbes auctores bellicarum artium prodiderunt, vel quæ recentior necessitatum usus invenit, pro publica, ut arbitror, utilitate digessi: illud iterum iterumq; commonens, ut solertissime caveatur, ne quando aut potus inopia emergat, aut cibi; quibus malis nulla arte succurritur: ideoque intra muros tanto plura condenda sunt, quanto scitur, clausuræ tempus in obsidentium potestate consistere.

FLAVII VEGETII RENATI DE RE MILITARI

LIBRI QUINTI

Prologus.

PRÆCEPTO maiestatis tuæ, Imperator Invicte, terrestris prœlii rationibus absolutis, navalis belli residua, ut opinor, est portio: de cuius artibus ideo pauciora dicenda sunt; quia iamdudum pacato mari, cum barbaris nationibus agitur terrestre certamen.

CAP. I.

Romanos classem habuisse semper præparatam.

ROMANUS autem populus pro decore & utilitate magnitudinis suæ, non propter necessitatē tumultus alicuius classem parabat ex tempore: sed, ne quando necessitatem sustineret, semper habuit præparatam. Nemo enim bello lacessere aut

facere audet iniuriam ei regno vel populo, quem expeditum & promptum ad resistendum vindicandumque cognoscit. Apud Misenum ergo, & Ravennam, singulæ legiones cum classibus stabant, ne longius à tutela Vrbis abscederent: & cum ratio postulasset, sine mora, sine circuitu, ad omnes mundi partes navigio pervenirent. Nam Misenatium classis, Galliam, Hispanias, Mauritaniam, Aphricam, Aegyptum, Sardiniam, atque Siciliam habebat in proximo. Classis autem Ravennatium, Epiron, Macedoniam, Achaiam, Propontidē, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum peterē directa navigatione consueverat: quia in rebus bellicis celeritas amplius solet prodesse, quam virtus.

Cap. II.

Nomina iudicum, qui præerant classibus.

Liburnis autem, quæ in Campania stabant, præfectus classis Misenatium præerat. Eæ vero, quæ Ionio in mari locatæ fuerant, ad præfectum classis Ravennatium pertinebant: sub quibus erant [deni] tribuni, per cohortes singulas constituti. Singulæ autem Liburnæ singulos navarchos, id est, quasi navicularios habebant, qui exceptis ceteris nautarum offi-

ciis, gubernatoribus, atque remigibus, & militibus exercendis, quotidianam curam & iugem exhibebant industriam.

CAP. III.

Vnde appellentur Liburnæ.

DIVERSÆ autem provinciæ quibusdam temporibus mari plurimum potuerunt, & ideo diversa eis genera navium fuerunt. Sed Augusto dimicante Actiaco prœlio, cum Liburnorum auxiliis præcipue victus fuisset Antonius, experimento tanti certaminis patuit, [esse] Liburnorum naves cæteris aptiores. Ergo similitudine, & nomine usurpato, ad earundem instar classem Romani principes texuerunt. Liburnia namque Dalmatiæ pars est, Iadertinæ subiacens civitati, cuius exemplo nunc naves bellicæ fabricantur, & appellantur Liburnæ.

CAP. IV.

Qua diligentia fabricentur Liburnæ.

SED cum in domibus struendis arenæ vel lapidum qualitas requiratur, tanto magis in fabricandis navibus diligenter cuncta quærenda sunt, quanto maius periculum est, navem vitiosam esse, quam domum.

domum. Ex cypresso ergo, & pinu domestica, sive silvestri [larice,] & abiete, præcipue Liburna contexitur, utilius æreis clavis, quam ferreis configenda. Quamlibet enim gravior aliquanto videatur expensa; tamen, quia amplius durat, lucrum probatur afferre. Nam ferreos clavos tempore, & humore, celeriter rubigo consumit; ærei autem etiam in fluctibus propriam substantiam servant.

Cap. V.

Qua observatione sit cædenda materies.

Observandum præcipue, ut à quintadecima luna, usque ad vigesimam tertiam, arbores præcidantur, ex quibus Liburnæ contexendæ sunt. His enim tantum octo diebus cæsa materies immunis servatur à carie: reliquis autem diebus præcisa, etiam eodem anno interna vermium labe exesa in pulverē vertitur: quod, ars ipsa, & omnium architectorum quotidianus usus edocuit, & contemplatione ipsius religionis agnoscimus, quā pro æternitate his tantum diebus placuit celebrari.

Cap.

CAP. VI.

Quo mense cadendæ sint trabes.

CÆDUNTUR autem trabes utiliter post solstitium æstivum, id est, per menses, Iulium, Augustum, & per autumnale æquinoctium, [id est,] usq; ad Kalendas Ianuarias. His namque mensibus arescente humore ficciora, & ideo fortiora sunt ligna. Illud etiam cavendum, ne continuo, ut deiectæ fuerint trabes, secentur; vel statim, ut sectæ fuerint, mittantur in navem: siquidem & adhuc solidæ arbores, & iam divisæ per tabulas, duplices, ad maiorem siccitatem, mereantur inducias. Nam quæ virides compinguntur, cum nativum humorem exsudaverint, contrahuntur, & rimas faciunt latiores; quo nihil est periculosius navigantibus.

CAP. VII.

De modo Liburnarum.

QUOD ad magnitudinem pertinet, minimæ Liburnæ remorum habent singulos ordines; paulo maiores, binos; idoneæ mensuræ, ternos, vel quaternos, interdum quinos sortiuntur remigum gradus. Nec hoc cuiquam enorme videatur, cum in Actiaco prœlio longe maiora referantur con-

concurrisse navigia, ut senorum etiam, vel ultra, ordinum fuerint. Scaphæ tamen maioribus Liburnis exploratoriæ sociantur, quæ vicenos prope remiges in singulis partibus habeant: quas Britanni pictas vocant. Per has & superventus fieri, & commeatus adversariorum navium aliquando intercipi assolet, & speculandi studio adventus earum vel consilium deprehendi. [Ne tamen exploratoriæ naves candore prodantur, colore veneto (qui marinis est fluctibus similis) vela tinguntur, & funes; cera etiam, qua ungere solent naves, inficitur. Nautæ quoque vel milites venetam vestem induunt, ut non solum per noctem, sed etiam per diem facilius lateant explorantes.]

Cap. VIII.

Nomina ventorum & numerus.

Quicunque exercitum armatis classibus vehit, turbinum signa debet ante prænoscere. Procellis namque & fluctibus Liburnæ gravius, quam vi hostium sæpe perierunt. in qua parte naturalis philosophiæ tota est adhibenda solertia, qua ventorum tempestatumque cœlesti ratione natura colligitur. Et pro acerbitate pelagi, sicut providos cautela tutatur, ita neglegentes extinguit incuria. Igitur vento-

rum numerum atque vocabula ars navigandi primum debet inſpicere. Veteres autem iuxta poſitionem cardinum, tantum quatuor ventos principales [à] ſingulis cœli partibus flare credebant, ſed experimento poſterior ætas duodecim comprehendit. Horum vocabula, ad ſubmovendam dubitationem, non ſolum Græca, ſed etiam Latina protulimus, ita ut ventis principalibus declaratis, eos qui ipſis dextra lævaque iuncti ſunt, indicemus. A verno itaque ſolſtitio, id eſt, ab orientali cardine, ſumimus exordium, ex quo ventus oritur ἀπηλιώτης, id eſt, ſubſolanus. Huic à dextra iungitur καικίας: A ſiniſtra εὖρος, ſive vulturnus. Meridianum autem cardinem poſſidet νότος, id eſt, auſter. Huic à dextra iungitur λευκονότος, id eſt, albus notus: A ſiniſtra λιβονότος, id eſt, corus. Occidentalem vero cardinem tenet ζέφυρος. Huic à dextra iungitur λίψ, ſive Aphricus: A ſiniſtra, ἰάπυξ, ſive favonius. Septentrionalem vero cardinem ſortitus eſt ἀπαρκτίας, ſive ſeptentrio. Cui adhæret à dextra θρασκίας, ſive circius: A ſiniſtra βορέας, id eſt, aquilo. Hi ſæpe ſinguli, interdum duo, magnis autem tempeſtatibus etiam tres pariter flare conſueverunt. Horum impetu maria, quæ ſua ſponte tranquilla ſunt, & quieta, undis æſtuantibus ſæviunt. Horum flatu pro natura temporum vel locorũ ex procellis ſerenitas redditur, & rurſus

ſus in procellas ſerena mutantur. Nam ſecundo ſpiramine optatos claſſis invenit portus, adverſo ſtare vel regredi, aut diſcrimen ſuſtinere compellitur. Et ideo difficile naufragium pertulit, qui ventorum rationem diligenter inſpexit.

Cap. IX.

Quibus menſibus tutius navigetur.

Sequitur menſium dierumque tractatus. Neque enim integro anno vis atque acerbitas maris patitur navigantes; ſed quidam menſes aptiſſimi, quidam dubii, reliqui claſſibus intractabiles ſunt lege naturæ. Phænitæ decurſu, id eſt, poſt ortem Pleiadum, à die ſexto Kalendarum Iuniarum, uſque ad Arcturi ortum, id eſt, in diem octavum decimum Kalendarum Octobrium, ut ſecura navigatio creditur, quia æſtatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur: ita poſt hoc tempus uſque in tertium Idus Novembris incerta navigatio eſt, & diſcrimini propior: propterea, quia poſt Idus Septembris oritur Arcturus vehementiſſimum ſidus. Et octavo Kalendas Octobris, æquinoctialis, evenit acerba tempeſtas. Circa Nonas vero Octobris Hœdi pulviales, quinto Idus eiuſdem Taurus. A Novẽbri autem menſe crebris tempeſtatibus navigia

navigia conturbat vergiliarum hyemalis occaſus. Ex die igitur tertio Iduum Novembris uſque in diem ſextum Iduum Martiarum maria clauduntur. Nam lux minima; noxque prolixa; nubium denſitas; aëris obſcuritas; ventorum, imbri vel nivibus geminata ſævitia, non ſolum claſſes à pelago, ſed etiam commeantes à terreſtri itinere deturbat. Poſt natalem vero (ut ita dicam) navigationis, qui ſolenni certamine publicoque ſpectaculo multarum gentium celebratur, plurimorum ſiderum, ipſiuſque temporis ratione, uſque in Idus Maias periculoſe maria tentantur: non quod negociatorum ceſſet induſtria, ſed quia maior adhibenda eſt cautela, quando exercitus navigat cum Liburnis, quam cum privatorum mercium feſtinat audacia.

CAP. X.

Quemadmodum tempeſtatum obſervanda ſint ſigna.

PRÆTEREA aliquorum ortus occaſuſque ſiderum, tempeſtates vehementiſſimas commovent. in quibus licet certi dies auctorum atteſtatione ſignentur, tamen quia diverſis caſibus aliquando mutantur, & quod confitendum eſt, cœleſtes cauſſas humana conditio ad plenum noſſe

nosse prohibetur, ideo nauticæ observationis curam trifariam dividunt. Aut enim circa diem statum, aut ante, vel postea, tempestates fieri compertum est. Vnde præcedentes προχείμασιν, nascentes die solemni ἐπιχείμασιν, subsequẽtes μεταχείμασιν, Græco vocabulo nuncupaverunt. Sed omnia enumerare nominatim longum est, cum auctores plurimi, non solum mensium, sed etiam dierum rationem diligenter expresserint: transitusque siderum, quos planetas vocant, cum, præscripto cursu dierum, arbitrio creatoris suscipiunt signa, vel deserunt, frequenter assolent serena turbare. Interluniorum autem dies tempestatibus plenos, & navigantibus quam maxime metuendos, non solum peritiæ ratio, sed etiam vulgi usus intellegit.

Cap. XI.

De prognosticis, quibus noscitur serenitas & turbatio aëris.

Multis quoque signis & de tranquillo procellæ, & de tempestatibus serena produntur, quæ velut in speculo Lunæ orbis ostendit. Rubicundus enim color ventos, cæruleus indicat pluvias. Ex utroque commixtus, nimbos, & furentes procellas. Lætus orbis, ac lucidus, serenitatem navigiis repromittit, quam gestat in vul-

vultu: præcipue si quarto ortu, neque obtusis cornibus, rutila; neque infuso fuerit humore fuscata. Sol quoque exoriens, vel diem condens, interest utrum æqualibus gaudeat radiis, an obiecta nube varietur; utrum solido splendore fulgidus, an ventis urgentibus igneus; neve pallidus, vel pluvia sit impendente maculosus. Aër vero, & mare ipsum, nubiumque magnitudino vel species, solicitos instruit nautas. Aliquanta ab avibus, aliquāta à piscibus significantur. quę Virgilius in Georgicis divino pene cōprehendit ingenio, & Varro in Navalibus libris diligenter excoluit. Hæc gubernatores se scire profitentur, sed eatenus quatenus eos imperitiæ usus instruit, quam altior doctrina firmavit.

CAP. XII.

De æstuariis, hoc est, de rheumate.

ELEMENTUM pelagi tertia pars mundi est, quod præter ventorum flatum suo quoque spiramine, motuque, vegetatur. Nam certis horis, diebus pariter ac noctibus, æstu quodam, quod rheuma vocant, ultro citroque procurrit: & more torrentium fluminum, nunc exundat in terras, nunc refluit in altitudinem suam. Hæc reciprocantis meatus ambiguitas, cursum navium secunda adiuvat, retardat adversa.

adversa. Quæ dimicaturo magna sunt cautione vitanda. Neque enim auxilio remorum rheumatis impetus vincitur, cui interdum cedit & ventus. Et quoniam in diversis regionibus, diverso Lunæ crescentis minuentisque statu, certis horis ista variantur: ideo prœlium navale gesturus, consuetudinem pelagi vel loci ante congressum debet agnoscere.

Cap. XIII.

De locorum notitia, sive de remigibus.

Nauticorum gubernatorumque solertia est, loca, in quibus navigatur, portusque, cognoscere: ut infesta prominentibus vel latentibus scopulis vadosa ac sicca vitentur. Tanto enim securitas maior est, quanto mare altius fuerit. In navarchis diligentia, in gubernatoribus peritia, in remigibus virtus eligitur: propterea, quia navalis pugna tranquillo committitur mari, Liburnarumque moles non ventorum flatibus, sed remorum pulsu adversarios percutit rostris, eorumque rursum impetus vitat. In quo opere lacerti remigum, & ars clavum regentis magistri, victoriam præstat.

Cap.

CAP. XIV.

De armis, telis, tormentisque navalibus.

MULTA quidem armorum genera prœlium terreſtre deſiderat; ſed navale certamen non ſolum plures armorum ſpecies, verum etiam machinas & tormenta flagitat, tanquam in muris dimicetur, & turribus. Quid enim crudelius congreſſione navali, ubi & aquis homines perimuntur, & flammis? Præcipua ergo eſſe debet tegminum cura, ut cataphracti, vel loricati, galeati etiam, & ocreis muniti ſint milites. De onere namque armorum nemo debet vel poteſt conqueri, qui ſtans pugnat in navibus. Scuta quoque validiora, propter ictus lapidum; & ampliora ſumuntur, propter falces, & harpagones, aliaque navalia genera telorum. Sagittis, miſſilibus, fundis, fuſtibalis, plumbatis, onagris, baliſtis, ſcorpionibus, iacula invicem diriguntur & ſaxa: & (quod eſt gravius) qui de virtute præſumunt, admotis Liburnis, iniectis pontibus, in adverſariorum tranſeunt naves, ibique gladiis manu ad manum (ut dicitur) cominus dimicant. In maioribus etiam Liburnis propugnacula turreſque conſtituunt, ut tanquam de muro, ita de excelſioribus tabulatis facilius vulnerent & perimant inimicos. Oleo incendiario, ſtup-

stuppa, sulphure, bitumine obvolutæ & ardentes sagittæ, per balistas in hosticarum navium alveos infiguntur; inunctasque cera, & pice, & resina, & tabulas, tot fomentis ignium repente succendunt. Alii ferro interrimuntur, & saxo, alii ardere coguntur in fluctibus. Inter tanta tamen mortium genera (qui acerbissimus casus est) absumenda piscibus insepulta sunt corpora.

Cap. XV.

Quemadmodum navali bello collocentur insidiæ. Et quid fiat cum aperto Marte bellum navale committitur. Armorum denique inibi necessariorum enumeratio. Quid asseres, falces, & bipennes.

Ad instar autem terrestris prœlii superventus fiunt ignorantibus nauticis, vel circa opportunas insularum angustias collacantur insidiæ. Idque agitur, ut imparati facilius deleantur, si longo remigio fatigati sunt hostium nautæ, si vento urgentur adverso, si pro rostris est rheuma, si nihil suspicantes dormiunt inimici, si statio quam tenent exitum non habet: si dimicandi optata venit occasio, fortunæ beneficio iungendæ sunt manus, & ex opportunitate prœlium conferendum. Quod si cautela hostium, evitatis insidiis, publico Marte

Marte confligat, tunc Liburnarum instruendæ ſunt acies, non directæ ut in campo, ſed incurvæ ad ſimilitudinem Lunæ, ita ut productis cornibus acies media ſinuetur: ut ſi adverſarii perrumpere tentaverint, ipſa ordinatione circumdati deprimantur. In cornibus autem præcipuum robur, & Liburnarum collocetur, & militum. Præterea utile eſt, ut alto & libero mari tua ſemper claſſis utatur, inimicorum vero pellatur ad littus: quia pugnandi impetum perdunt, qui detruduntur in terras. In huiuſmodi certamine tria armorum genera ſolent plurimum ad victoriam prodeſſe, aſſeres, falces, bipennes. Aſſer dicitur, cum trabes ſubtilis ac longa, ad ſimilitudinem antennæ, pendet in malo, utroque capite ferrato. Hunc, ſive à dextra ſive à ſiniſtra parte adverſariorum ſe iunxerint naves, pro vice arietis vi impellunt; qui bellatores hoſtium ſive nautas ſine dubio proſternit ac perimit, ipſamque navem ſæpius perforat. Falx autem dicitur acutiſſimum ferrum, curvatum ad ſimilitudinem falcis, quod contis longioribus inditum, collatorios funes, quibus antenna ſuſpenditur, repente præcidit, collapſiſque velis Liburnam pigriorem & inutilem reddit. Bipennis, eſt ſecuris habens ex utraque parte latiſſimum & acutiſſimum ferrum. Per has in

medio

medio ardore pugnandi peritissimi nautæ vel milites [cum minoribus scaphulis] secreto incidunt funes, quibus adversariorum ligata sunt gubernacula. Quo facto, statim capitur tanquam inermis & debilis navis. Quid enim salutis superest ei, qui amiserit clavum? De lusoriis, queis in Danubio quotidianis utuntur excubiis, reticendum puto, quia artis amplius in his frequentior usus invenit, quam vetus doctrina monstraverit.

FINIS.

FLAVII VEGETII

RENATI

INSTITVTORVM REI MILITARIS

INDEX.

LIBRO PRIMO.

XI. *Quem-*

LIBRO SECUNDO.

LIBRO TERTIO.

LIBRO QUARTO.

muro.

XXIV. De

LIBRO QUINTO.

 signa.

INDICIS.

FINIS.

SEXTI
IVLII FRONTINI,
VIRI CONSULARIS,
STRATEGEMATICΩN
SIVE
DE SOLERTIBUS DUCUM FACTIS
ET DICTIS
LIBRI QVATVOR.

SEXTI IVLII FRONTINI, IN TRES PRIORES STRATEGEMATICΩN LIBROS

Præfatio.

CUM ad adſtruendam rei militaris ſcientiam, unus ex numero ſtudioſorum eius acceſſerim, eique deſtinationi, quantum cura noſtra valuit, ſatisfeciſſe viſus ſim; deberi adhuc inſtitutæ arbitror operæ, ut ſolertia ducum facta, quæ à Græcis una στρατηγηματικῶν appellatione comprehenſa ſunt, expeditis amplectar commentariis. Ita enim conſilii quoque & providentiæ exemplis ſuccincti duces erunt, unde illis excogitandi gerendique ſimilia facultas nutriatur. Præterea continget, ne de eventu trepidet inventionis ſuæ, qui probatis eam experimentis comparabit. Illud neque ignoro, neque inficior etiam, rerum geſtarum ſcriptores indagine operis ſui hanc quoque partem eſſe complexos: & ab auctoribus, exemplorum quicquid inſigne aliquo modo fuit, traditum. Sed (ut opi-

opinor) occupatis velocitate consuli debet: longum est enim singula & sparsa per immensum corpus historiarum prosequi: & hi, qui notabilia excerpserunt, ipso velut acervo rerum, confuderunt legentem. Nostra sedulitas impendet operam, ut quemadmodum res poscet, ipsum quod exigitur, quasi ad interrogatum exhibeatur: circumspectis enim generibus, præparavi opportuna exemplorum veluti consilia. Quo magis autem discreta, ad rerum varietatem apte collocarentur, in tres libros ea diducimus.

IN PRIMO ERVNT EXEMPLA, QVÆ COMPETANT PROELIO NONDVM COMMISSO.

IN SECVNDO, QVÆ AD PROELIVM ET CONFECTAM PACATIONEM PERTINEANT.

TERTIVS, INFERENDÆ SOLVENDÆQVE OBSIDIONIS HABEBIT ΣΤΡΑΤΗΓΗΜΑΤΑ.

Quibus deinceps generibus suas species attribui. Huic labori non iniuste veniam paciscar, ne me pro incurioso reprehendat, qui præteritum aliquod à nobis repererit exemplum. Quis enim ad percensenda omnia monumenta, quæ utraque lingua tradita

tradita ſunt,ſufficiat? unde multa tranſire mihi ipſe permiſi; quod me non ſine cauſſa feciſſe ſcient, qui aliorum libros eadem promittentium legerint. Verum facile erit, ſub unaquaque ſpecie ſuggerere. Nam cum hoc opus, ſicut cætera, uſus potius aliorum, quam meæ commendationis cauſſa aggreſſus ſim, adiuvari me ab his, qui aliquid illi adſtruent, non argui, credam. Si qui erunt, quibus volumina hæc cordi ſint, meminerint, ut parent gratiam στρατηγηματικῶν & στρατηγημάτων, per quam poſſimus ſimilem naturam diſcernere. Nam tum omnia, quæ à duce provide, utiliter, conſtanter, magnifice fiunt, στρατηγηματικὰ habebuntur, ſi in ſpecie eorum ſunt στρατηγήματα. Eorum proprie vis in arte ſolertiaque poſita proficit, tam ubi cavendus, quam ubi opprimendus hoſtis ſit. Qua in re cum verborum quoque illuſtris exſtiterit effectus, ut factorum, ita dictorum exempla poſuimus. Et Species eorum, quæ inſtruant ducem in his quæ ante prœlium gerenda, ſunt:

CAP.

SEX-

SEXTI IVLII FRONTINII, VIRI CONSULARIS, STRATEGEMATICΩN LIBER PRIMUS.

Cap. I.

De occultandis consiliis.

Exemplum I.

M. Porcius Cato, devictas à se Hispaniæ civitates existimabat in tempore rebellaturas, fiducia murorum. Scripsit itaque singulis, ut diruerent munimenta, minatus bellum, nisi confestim obtemperassent: epistolasque universis civitatibus eodem die reddi iussit. Vnaquæque urbium sibi soli credidit imperatum. Contumaces conspiratio potuit facere, si omnibus idem denuntiari notum fuisset.

II. Himilco dux Pœnorum, ut in Siciliam inopinatus appelleret classem, non pronunciavit quo proficisceretur, sed tabellas, in quibus scriptum erat, quam partem peti vellet, universis gubernatoribus dedit signatas; præcepitque, ne quis legeret,

ret, nisi vi tempestatis à cursu prætoriæ navis abductus esset.

III. C. Lælius ad Syphacem profectus legatus, quosdam ex tribunis & centurionibus, per speciem servitutis ac ministerii exploratores secum duxit, ex quibus L. Statorium, quia sæpius in eisdem castris fuerat, quidam ex hostibus videbantur agnoscere. occultandæ conditionis eius caussa, baculo, ut servum, castigavit.

IV. Tarquinius Superbus pater principes Gabiorum interficiendos arbitratus, quia hoc nemini volebat commissum, nihil nuntio respondit, qui ad eum à filio erat missus: tamen virga, eminentia papaverum capita, cum forte in horto ambularet, decussit. Nuntius sine responsione reversus, renunciavit adolescenti Tarquinio, quid agentem patrem vidisset: ille intellexit idem esse eminentibus faciendum.

V. C. Cæsar, qui suspectam habebat Aegyptiorum fidem, per speciem securitatis, inspectione urbis, atque operum, ac simul licentioribus conviviis deditus, videri voluit captum sese gratia locorum, & ad mores Alexandrinos vitamque deficere: atque inter eam dissimulationem præparatis subsidiis, occupavit Aegyptum.

VI. Ventidius Parthico bello adversus Pacorum regem, non ignarus, Pharneum quen-

quendam, natione Cyrreſten, ex his, qui ſocii videbantur, omnia quæ apud ipſos agebantur, nuntiare Parthis, perfidiam Barbari ad utilitates ſuas convertit. Nam quæ maxime fieri cupiebat, ea vereri ſe ne acciderent: quæ timebat, ea ut evenirent optare ſe ſimulabat. Solicitus itaque, ne Parthi ante tranſirent Euphraten, quam ſibi ſupervenirent legiones, quas in Cappadocia trans Taurum habebat, ſtudioſe cum proditore egit, ut ſolenni perfidia Parthis ſuaderet, per Zeugma traiicerent exercitum, qua & breviſſimum iter eſt, & omiſſo alveo Euphrates decurrit. Namque ſi illac venirent, aſſeverabat ſe opportunitate collium uſurum, ad eludendos ſagittarios. Omnia autem vereri, ſi ſe in patentes campos proieciſſent. Inducti hac affirmatione Barbari, inferiore itinere, per circuitum adduxerunt exercitum: dumque fuſiores ripas, & ob hoc operoſiores pontes iungunt, inſtrumentaque moliuntur, quadraginta amplius dies impenderunt: quo ſpacio Ventidius ad contrahendas uſus eſt copias: eiſque triduo antequam Parthus adveniret receptis, acie commiſſa, vicit Parthos, & interfecit.

VII. Mithridates, circumvallante Pompeio, fugam in proximam diem moliens, huius conſilii obſcurandi cauſſa, latius & uſque ad applicitas hoſti valles, pabulatus, collo-

colloquia quoque cum pluribus, avertendę suspicionis caussa, in posterum constituit. Ignes etiam frequentiores per tota castra fieri iussit. Secunda deinde vigilia, præter ipsa castra hostium, agmen eduxit.

VIII. Imperator Cæsar Domitianus Augustus Germanicus, cum Germanos, qui in armis erant, vellet opprimere, nec ignoraret, maiore bellum molitione inituros, si adventum tanti ducis præsensissent, profectionem suam censu obtexuit Galliarum. Sub quibus inopinato bello affusus, contusa immanium ferocia nationum, provinciis consuluit.

IX. Claudius Nero, cum cuperet Hasdrubalem, copiasque eius antequam Hannibali fratri iungerentur, occidere, idcircoque festinaret se Livio Salinatori collegæ suo, cui bellum mandatum fuerat, (parum fidens viribus, quę sub ipso erant) adiungere, neque tamen discessum suum ab Hannibale, cui oppositus erat, sentiri vellet, decem millia fortissimorum militum delegit, præcepitque legatis, quos relinquebat, ut eædem stationes & vigiliæ æque agerentur, totidem ignes arderent, eademque facies castrorum servaretur, ne quid Hannibal suspicatus, auderet adversus paucitatem relictorum. Cum deinde in Vmbria, occultatis itineribus, collegæ se iunxisset, vetuit castra ampliari, ne quod signum adventus

ventus sui daret Pœno, detracturo pugnam, si Consulum iunctas vires intellexisset. Igitur inscium duplicatis aggressus copiis superavit, & velocius omni nuntio rediit ad Hannibalem. Ita ex duobus callidissimis ducibus Pœnorum, eodem consilio alterum celavit, alterum oppressit.

X. Themistocles Athenarum dux exhortans suos ad suscitandos festinanter muros, quos iussu Lacedæmoniorum deiecerant, legatis Lacedæmone missis, qui interpellarent, respondit, venturum se ad diluendam hanc existimationem, & pervenit Lacedæmonem: ibi simulato morbo aliquantum temporis extraxit, & postquam intellexit, suspectam esse tergiversationem suam, contendit, falsum ad eos rumorem perlatum; & rogavit, ut mitterent aliquos ex principibus, quibus crederent de munitione Athenarum. Suis deinde clam scripsit, ut eos, qui venissent, retinerent, donec refectis operibus, confiterentur Lacedæmoniis, munitas esse Athenas, nec aliter principes eorum redire posse, quam si ipse remissus foret: quod facile præstiterunt Lacedæmonii, ne unius interitum multorum morte pensarent.

XI. L. Furius exercitu producto in locum iniquum, cum constituisset occultare solicitudinem suam, ne reliqui trepidarent,

rent, paulatim ſe inflectens, tanquam circuitu maiore hoſtem aggreſſurus, converſo agmine, ignarum rei quæ agebatur exercitum, incolumem reduxit.

XII. Metellus Pius, in Hiſpania interrogatus, quid poſtera die facturus eſſet, Tunicam meam, ſi id eloqui poſſet, inquit, comburerem.

XIII. M. Licinius Craſſus, percontanti, quo tempore caſtra moturus eſſet, reſpondit; Vereris, ne tubam non exaudias?

CAP. II.

De explorandis conſiliis hoſtium.

EXEMPLUM I.

SCIPIO Aphricanus, capta occaſione mittendæ ad Syphacem legationis, cum Lęlio ſervorum habitu tribunos & centuriones lectiſſimos ire iuſſit, quibus curæ eſſet perſpicere regias vires: hi ut liberius caſtrorum poſitionem ſcrutarentur, equum de induſtria dimiſſum, tanquam fugientem perſectati, maximam partem munimentorum circuierunt: quæ cum nuntiaſſent, incendio confectum eſt bellum.

II. Q. Fabius Maximus bello Hetruſco, cum adhuc incognitæ forent Romanis ducibus ſagaciores explorandi viæ, fratrem Fabium

Fabium Cæsonem, peritum linguæ Hetruscæ, iussit Hetrusco habitu penetrare Ciminiam silvam, ante militi nostro intentatam: quod is adeo prudenter atque industrie fecit, ut transgressus silvam, Vmbros Camertes, cum animadvertisset non alienos nomini Romano, ad societatem compulerit.

III. Carthaginienses cum animadvertissent Alexandri ita magnas opes, ut Aphricæ quoque immineret, unum ex civibus virum acrem, nomine Hamilcarem Rhodinum, iusserunt simulato exilio ire ad regem, omnique studio in amicitiam eius pervenire: qua is potitus, consilia eius nota civibus suis faciebat.

IV. Iidem Carthaginienses miserunt, qui per speciem legatorum longo tempore Romæ morarentur, exciperentque consilia nostrorum.

V. M. Cato in Hispania, qui ad hostium consilia alia via pervenire non poterat, iussit trecentos milites simul impetum facere in stationem hostium, raptumque unum ex his in castra perferre incolumem: tortus ille, omnia suorum arcana confessus est.

VI. C. Marius Cos. bello Cimbrico & Teutonico, ad excutiendam Gallorum & Ligurum fidem, literas eis misit, quarum pars prior præcipiebat, ne interiores, quæ præsi-

præſignatæ erant, ante tempus certū aperirentur; eaſdē poſtea ante præſtitutum diem repetiit; & quia reſignatas repererat, intellexit, hoſtilia agitari.

Eſt etiam aliud explorandi genus, quo ipſi duces, nullo extrinſecus adiutorio, per ſe provident. Sicut

VII. Æmilius Paulus Cos. bello Hetruſco apud oppidum Coloniam demiſſurus exercitum in planiciem, contemplatus procul avium multitudinem citatiore volatu è ſilva conſurrexiſſe, intellexit, illic aliquid inſidiarum latere, quod & turbatæ aves, & ſimul plures evolaverant. Præmiſſis igitur exploratoribus, comperit, decem millia Boiorum, excipiendo ibi Romanorum agmini imminere: eaque alio, quam expectabatur, latere, miſſis legionibus, circumfudit.

VIII. Similiter Tiſamenes Oreſtis filius, cum audiſſet iugum ab hoſtibus natura munitum teneri, præmiſit ſciſcitaturos, quid rei foret: ac referentibus eis, non eſſe verum, quod opinaretur, ingreſſus iter, ut vidit ex ſuſpecto iugo magnam vim avium ſimul evolaſſe, neque omnino reſidere, arbitratus eſt latere illic agmen hoſtium: itaque circumducto exercitu eluſit inſidiatores.

IX. Aſdrubal frater Hannibalis iunctum Livii & Neronis exercitum, quanquam

hoc

hoc illi non duplicatis castris dissimularent, intellexit; quod ab itinere strigosiores notabat equos, & coloratiora hominum, ut ex via, corpora.

CAP. III.

De custodiendo statu belli.

EXEMPLUM I.

ALEXANDER Macedo, cum haberet vehementem exercitum, semper eum statum belli elegit, ut acie confligeret.

II. C. Cæsar bello civili cum exercitum veteranum haberet, hostium autem tironem esse sciret, acie semper decertare studuit.

III. Fabius Maximus adversus Hannibalem, successibus prœliorum insolentem, recedere ab ancipiti discrimine, & tueri tantummodo Italiam constituit, Cunctatorisque nomen, & per hoc summi Ducis, meruit.

IV. Byzantii adversus Philippum omne prœliandi discrimen vitantes, omissa etiam finium tutela, intra munitiones oppidi se receperunt: assecutique sunt, ut Philippus obsidionalis moræ impatiens recederet.

V. Hasdrubal Gisgonis filius, secundo

Punico bello in Hiſpaniam ductum exercitum, cum P. Scipio inſtaret, per urbes diviſit: itaque factum eſt, ut Scipio, ne oppugnatione plurium oppidorum diſtringeretur, in hyberna ſuos reduceret.

VI. Themiſtocles adventāte Xerxe, quia neque prœlio pedeſtri, neque finium tutelæ, neque obſidioni credebat ſufficere Athenienſes, auctor fuit eis, liberos & coniuges Trœzena & in alias urbes emittendi, relictoque oppido, ſtatum belli ad navale prœlium transferendi.

VII. Idem fecit in eadem civitate Pericles adverſum Lacedæmonios.

VIII. Scipio, manente in Italia Hannibale, tranſmiſſo in Aphricam exercitu, neceſſitatem Carthaginienſibus impoſuit revocandi Hannibalem; ſicque à domeſticis finibus hoſtile tranſtulit bellum.

IX. Athenienſes, cum Deceleam caſtellum ipſorum Lacedæmonii communiſſent, & frequentius vexarentur, claſſem, quæ Peloponneſum infeſtaret, miſerunt: conſecutique ſunt, ut exercitus Lacedæmoniorum, qui Deceleæ erat, revocaretur.

X. Imperator Cæſar Domitianus Auguſtus, cum Germani more ſuo è ſaltibus & obſcuris latebris ſubinde impugnarent noſtros, tutumque regreſſum in profunda ſilvarum haberent, militibus per centum

viginti millia passuum actis, non mutavit tantum statum belli, sed subiecit ditioni suæ hostes, quorum refugia nudaverat.

CAP. IV.

De transducendo exercitu per loca hosti infesta.

EXEMPLUM I.

ÆMYLIUS Paulus Cos. cum in Lucanos iuxta littus angusto itinere exercitum duceret, & Tarentini ei classe insidiati, agmen eius scorpionibus aggressi essent, captivis latera euntium prætexuit; quorum respectu hostes inhibuere tela.

II. Agesilaus Lacedæmonius, cum præda onustus ex Phrygia rediret, insequerenturque hostes, & ad Locorum opportunitatem lacesserent agmen eius, ordinem captivorum ab utroque latere exercitus sui applicuit: quibus dum parcitur ab hoste, spacium transeundi habuerunt Lacedæmonii.

III. Idem, tenentibus angustias Thebanis, per quas transire habebat, flexit iter, quasi Thebas contenderet: exterritis Thebanis digressisque ad tutanda mœnia, repetitum iter, quod destinaverat, emensus est, nullo obsistente.

IV. Nicoſtratus dux Ætolorum adverſus Epirotas, cum ei aditus in fines eorum anguſti fierent, per alterum locum irrupturum ſe oſtendens, omni illa ad prohibendum occurrente Epirotarum multitudine, reliquit ſuos paucos, qui ſpeciem remanentis exercitus præberent, & ipſe cum cætera manu, qua non exſpectabatur aditus, intravit.

V. Autophradates Perſes, cum in Piſidiam exercitum duceret, & anguſtias quaſdam Piſidæ occuparent, ſimulata vexatione traiiciendi, inſtituit reducere: quod cum Piſidæ credidiſſent, ille noctu validiſſimam manum ad eundem locum occupandum præmiſit, ac poſtero die totum traiecit exercitum.

VI. Philippus Macedonum rex, Græciam petens, cum Thermopylas occupatas audiret, & ad eum legati Ætolorum veniſſent acturi de pace, retentis eis, ipſe magnis itineribus ad anguſtias pertendit, ſecuriſque cuſtodibus, & legatorum reditus expectantibus, inopinatus Thermopylas traiecit.

VII. Iphicrates dux Athenienſium adverſus Anaxibium Lacedæmonium in Helleſponto circa Abydon, cum tranſducendum exercitum haberet per loca, quæ ſtationibus hoſtium tenebantur, alterum autem latus eius tranſitus abſciſſi montes preme-

premerent, alterum mare ablueret, aliquandiu moratus, cum incidisset frigidior solito dies, & ob hoc nemini suspectus, delegit firmissimos quosque: quibus oleo ac mero calefactis, præcepit ut ipsam oram maris legerent, abruptiora tranarent: atque ita custodes angustiarum inopinatus oppressit à tergo.

VIII. Cn. Pompeius cum flumen transire propter oppositum exercitum hostium non posset, assidue producere & reducere in castra instituit: deinde in eandem persuasionem hoste perducto, ne ullam viam ad progressum Romanorum teneret, repente impetu facto transitum rapuit.

IX. Alexander Macedo, prohibente rege Indorum Poro traiici exercitum per flumen Hydaspem, adversus aquam assidue procurrere iussit suos: & ubi eo more exercitationis assecutus est, ut Poro adversa ripa caveretur, per superiorem partem subito transmisit exercitum. Idemque Indi fluminis traiectu prohibitus ab hoste, diversis locis in flumine equites instituit immittere, & transitum minari: cumque expectatione barbaros teneret intentos, insulam paulo remotiorem, primum exiguo, deinde maiore præsidio occupavit, atque inde in ulteriorem ripam transmisit. Ad quam manum opprimendam, cum universi se hostes effudissent, ipse libero vado

 trans-

transgressus, omnes copias coniunxit.

X. Xenophon, ulteriorem ripam Armeniis tenentibus, duos iussit quæri aditus: & cum à citeriore repulsus esset, transiit ad superiorem. Inde quoque prohibitus hostium occursu, repetiit vadum inferius, iussa ibidem militum parte subsistere, ex qua, cum Armenii ad inferioris vadi tutelam rediissent, per superius transgrederetur. Armenii credentes decursuros omnes, decepti sunt à remanentibus. Hi cum resistente nullo vadum superassent, transeuntium suorum fuere propugnatores.

XI. P. Claudius Cos. primo bello Punico, cum à Rhegio Messanam traiicere militem nequiret, custodientibus fretum Pœnis, sparsit rumorem, quasi bellum iniussu populi inceptum gerere non posset, classemq; Italiá versus se agere simulavit: digressis deinde Pœnis, qui profectioni eius habuerant fidem, circumactas naves appulit Siciliæ.

XII. Lacedæmoniorum duces, cum Syracusas navigare destinassent, & Pœnorum dispositam penitus classem timerent, decem Punicas naves, quas captivas habebant, veluti victrices, primas iusserunt agi, à latere iunctis ac puppe religatis aliis: qua specie deceptis Pœnis transierunt.

XIII. Philippus, cum angustias maris, quæ Cyaneæ appellantur, transnavigare pro-

propter Atheniensium classem, quæ opportunitatem loci custodiebat, non posset, scripsit Antipatro, Thraciam rebellare, præsidiis, quæ ibi reliquerat, interceptis, ut sequeretur omissis omnibus: quæ epistolæ ut interciperentur ab hoste, curavit. Athenienses arcana Macedonum excepisse visi, classem abduxerunt. Philippus nullo prohibente angustias freti liberavit. Idem, quia Cherronesum, quæ iuris Atheniensium erat, occupare prohiberetur, tenentibus transitum non Byzantiorum tantum, sed Rhodiorum quoque, & Chiorûm navibus; conciliavit animos eorum, reddendo naves, quas ceperat, quasi sequestres futuros ordinandæ pacis inter se atque Byzantios, qui caussa belli erant: tractaque per magnum tempus postulatione, cum de industria subinde aliquid in conditionibus retexeret, classem per id tempus præparavit: eaque in angustias freti imparato hoste subito evasit.

XIV. Chabrias Atheniensis, cum adire portum Samiorũ, obstante navali hostium præsidio, non posset, paucas è suis navibus præter portum missas, iussit transire, arbitratus, qui in statione erant, persecuturos: hisque per hoc consiliũ evocatis, nullo obstante portũ cum reliqua adeptus est classe.

CAP. V.

De evadendo ex locis difficillimis.

EXEMPLUM I.

Q. SERTORIUS, in Hiſpania, cum à tergo inſtante hoſte flumen traiicere haberet, vallum in ripa eius in modum cavæ Lunæ duxit, & oneratum materiis incendit, atque ita, excluſis hoſtibus, fluvium libere tranſgreſſus eſt.

II. Similiter Pelopidas Thebanus, bello Theſſalico, tranſitum quæſivit: namque caſtris ampliorem locum ſupra ripam complexus, vallum cervulis & alio materiæ genere conſtructum incendit: dumque ignibus ſubmoverentur hoſtes, ipſe fluvium ſuperavit.

III. Q. Lutatius Catulus, cum à Cimbris pulſus unam ſpem ſalutis haberet, ſi flumen liberaſſet, cuius ripam hoſtes tenebant: in proximo monte copias oſtendit, tanquam ibi caſtra poſiturus: ac præcepit ſuis, ne ſarcinas ſolverent, aut onera deponerent, ne quis ab ordinibus aut ſignis diſcederet: & quo magis perſuaſionem hoſtium confirmaret, pauca tabernacula in conſpectu erigi iuſſit, ignesque fieri, & quoſdam vallum ſtruere, quoſdam in lignationem, ut conſpiceretur, exire: quod Cimbri

bri vere agi existimantes, & ipsi castris delegerunt locum: dispersique in proximos agros ad comparanda ea, quę necessaria sunt mansuris, occasionẽ dederunt Catulo non solum flumen traiicendi, sed etiam castra eorum infestandi.

IV. Crœsus, cum Halym vado transire non posset, neque navium aut pontis faciendi copiam haberet, fossa superiori parte post castra deducta alveum fluminis à tergo exercitus sui reddidit.

V. Cn. Pompeius, Brundisii, cum excedere Italia & transferre bellum proposuisset, instante à tergo Cæsare, conscensurus classem, quasdam obstruxit vias, alias parietibus intersepsit, alias intercidit fossis, easque sudibus erectis præclusas operuit cratibus, humo aggesta; quosdam aditus, qui ad portum ferebant, trabibus transmissis & in densum ordinem structis, ingenti mole tutatus. Quibus perpetratis, ad speciem retinendæ urbis raros pro mœnibus sagittarios reliquit, cæteras copias sine tumultu ad naves reduxit: navigantem eum mox sagittarii quoque per itinera nota digressi, parvis navigiis consecuti sunt.

VI. C. Duillius Cos. in portu Syracusano, quem temere intraverat, obiecta ad ingressum catena clausus, universos in puppim retulit milites, atque ita resupina navigia magna remigantium vi concitavit:

levatæ proræ super catenam processerunt; qua parte superata, transgressi rursus milites proras presserunt, in quas versum pondus, decursum super catenam dedit navibus.

VII. Lysander Lacedæmonius, cum in portu Atheniensium cum tota classe obsideretur, obrutus hostium navibus, ab ea parte qua faucibus angustissimis influit mare, milites suos clam in littus egredi iussit, & subiectis rotis ad proximum naves portum Monœcium traiecit.

VIII. Herculeius legatus Sertorii, cum in Hispania inter duos montes abruptos longum & angustum iter ingressus, paucas duceret cohortes, comperissetque ingentem manum hostiũ advenire, fossam transversam inter montes pressit, vallumque materia exstructum incendit, atque ita intercluso hoste evasit.

IX. C. Cæsar, bello civili, cum adversus Afranium copias educeret, & recipiendi se sine periculo facultatem non haberet, sicut constiterat, prima & secunda acie furtim à tergo ad opus applicata, quindecim pedum fossam fecit, intra quam sub occasum Solis armati se milites eius receperunt.

X. Pericles Atheniensis, à Peloponensibus in eum locum compulsus, qui undique abruptis cinctus, duos tantum exitus habebat, ab altera parte fossam ingentis latitudinis

dinis duxit, velut hostis excludendi caussa: ab altera militem agere cœpit, tanquam per eum erupturus. Ii qui obsidebant, cum per fossam, quam ipse fecerat, exercitum Periclis non crederent evasurum, universi à limite obstiterunt. Pericles pontibus, quos præparaverat, fossæ iniectis, suos, qua non resistebatur, emisit.

XI. Lysimachus, ex his unus in quos opes Alexandri transierunt, cum editum collem casttis destinasset, imprudentia autem suorum in inferiorem deductus, vereretur ex superiore hostium incursum, triplices fossas intra vallum obiecit: deinde similibus fossis circa omnia tentoria ductis, tota castra confodit: & intercepto hostium aditu, simul humo quoque, & in frondibus, quas fossis superiecerat, facto impetu, in superiora evasit.

XII. Cn. Fonteius Crassus, in Hispania, cum tribus millibus hominum prædatum profectus; locoque iniquo circumventus ab Hasdrubale, ad primos tantum ordines relato consilio, incipiente nocte, quo tempore minime exspectabatur, per stationes hostium prorupit.

XIII. L. Furius, exercitu perducto in locum iniquum, cum constituisset occultare solicitudinem suam nec reliqui trepidarent, paulatim inflexit iter, tanquam circuitu maiore hostem aggressurus; converso-

ſoque agmine, ignarum rei, quæ agebatur, exercitum incolumem reduxit.

XIV. P. Decius Tr. bello Samnitico, Cornelio Coſſo Cos. iniquis locis deprehenſo ab hoſtibus, ſuaſit ut ad occupandum collem, qui erat in propinquo, modicam manum mitteret; ſeque ducem iis, qui mittebantur, obtulit: avocatus in diverſa hoſtis dimiſit Conſulem; Decium autem cinxit, obſeditque. Illas quoque anguſtias, noctu eruptione facta, cum eluctatus eſſet, Decius incolumis cum militibus Conſuli acceſſit.

XV. Idem fecit ſub Attilio Calatino Cos. is cuius varie traditur nomen. Alii Laberium, nonnulli Q. Cæditium, plurimi Calpurnium Flammam vocitatum ſcripſerunt. Hic cum dimiſſum exercitum in eam vallem videret, cuius latera omnia ſuperiora hoſtis inſederat, depopoſcit & accepit à Conſule trecentos milites; quos adhortatus, ut virtute ſua exercitum ſervarent, in mediam vallem decurrit: & ad opprimendos eos undique deſcendit hoſtis; longoque & aſpero prœlio retentus, occaſionem Conſuli ad extrahendum exercitum dedit.

XVI. Minutius Cos. in Liguria, dimiſſo in anguſtias exercitu, cum iam omnibus obverſaretur Caudinæ cladis exemplum, Numidas auxiliares, tam propter ipſo-

ipſorum quam propter equorum deformitatem deſpiciendos, iuſſit adequitare faucibus quæ tenebantur. Primo intenti hoſtes ne laceſſerentur, ſtationem obiecerunt: deinde induſtria Numidæ ad augendum ſui contemtum, labi equis, & per ludibrium ſpectaculo eſſe affectaverunt. ad novitatem rei laxatis ordinibus, barbari in ſpectaculum uſque reſoluti ſunt. Quod ubi animadverterunt Numidæ, paulatim ſuccedentes, additis calcaribus per intermiſſas hoſtium ſtationes eruperunt: qui deinde cum proximos irruerent agros, neceſſe Liguribus fuit avocari ad defendenda ſua, incluſoſque Romanos emittere.

XVII. L. Sylla, bello ſociali, apud Eſerniam inter anguſtias deprehenſus, ad exercitum hoſtium, cui Duillius præerat, colloquio petito, de conditionibus pacis agitabat ſine effectu: hoſtem tamen propter inducias negligentia reſolutum animadvertens, nocte profectus, relicto buccinatore, qui vigilias ad fidem remanentium divideret, &, quarta vigilia commiſſa, eum ſequeretur, incolumes ſuos cum omnibus impedimentis tormentiſque in tuta perduxit.

XVIII. Idem, adverſus Archelaum præfectum Mithridatis in Cappadocia, iniquitate locorum & multitudine hoſtium preſſus, fecit pacis mentionem: interpoſitoque

sitoque tempore etiam induciarum; per hæc avocata intentione, adversarium evasit.

XIX. Hasdrubal frater Hannibalis, cum saltum evadere non posset, faucibus eius obsessis, egit cum Claudio Nerone; recepitque, dimissum se Hispania excessurum; cavillatus deinde conditionibus dies aliquot extraxit; quibus omnibus non omisit, per angustos tramites, & ob id neglectos, dimittere per partes exercitum: ipse deinde cum reliquis expeditis facile effugit.

XX. Spartacus fossam, qua erat à M. Crasso circumdatus, cæsis captivorum pecorumque corporibus noctu replevit, & supergressus est.

XXI. Idem, cum in Vesuvio obsessus, ea parte qua mons asperrimus erat, ideoque incustoditus, ex vimine silvestri catenas conseruit, quibus demissus non solum evasit, verum etiam ex alio latere Clodium ita terruit, ut aliquot cohortes gladiatoribus quatuor & septuaginta cesserint.

XXII. Idem cum à L. Varino Procos. præclusus esset, palis per modica intervalla fixis ante portam, erecta cadavera, adornata veste atque armis, alligavit, ut procul intuentibus stationis species esset: ignibus per tota castra factis, imagine vana

na

na deluſo hoſte, copias ſilentio noctis eduxit.

XXIII. Braſidas dux Lacedæmoniorum, circa Amphipolim ab Athenienſium multitudine numero impar deprehenſus, claudendum ſe præſtitit, ut per longum coronæ ambitum extenuaret hoſtilem frequentiam; quaque rariſſimi obſtabant, erupit.

XXIV. Iphicrates in Thracia cum depreſſo loco caſtra poſuiſſet, exploraſſet autem, ab hoſte proximum teneri collem, ex quo unus ad opprimendum ipſos deſcenſus erat, nocte paucis intra caſtra relictis, imperavit, ut multos ignes facerent, eductoque exercitu & diſpoſito circa latera prædictæ viæ, paſſus eſt tranſire barbaros: locorumque iniquitate, in qua ipſe fuerat, in illos converſa, parte exercitus terga eorum cecidit, parte caſtra fecit.

XXV. Darius, ut falleret Scythas diſceſſu, canes atque aſinos in caſtris reliquit: quos cum latrantes rudenteſque hoſtis audiret, remanere Darium credidit.

XXVI. Eundem errorem obiecturi noſtris Ligures, per diverſa loca bubalos laqueis ad arbores alligaverunt, qui deducti frequentiori mugitu ſpeciem remanentium præbebant hoſtium.

XXVII. Hanno ab hoſtibus clauſus,

locum

locum irruptioni maxime aptum, aggestis levibus materiis, incendit; tum hoste ad cæteros exitus custodiendos avocato, milites per ipsam flammam eduxit, admonitos, ora scutis, crura veste contegere.

XXVIII. Hannibal, ut iniquitatem locorum, & inopiam, instante Fabio Maximo effugeret, noctu boves, quibus ad cornua fasciculos alligaverat sarmentorum, subiecto igne, dimisit; cumque ipso motu adolescente flamma turbaretur pecus, magna discursatione montes, in quos actum erat, collustravit: Romani qui ad speculandum concurrerant, primo prodigium opinati sunt; deinde cum certa Fabio renunciassent, ille de insidiarum metu suos castris continuit; barbari obsistente nullo profecti sunt.

CAP. VI.

De insidiis in itinere factis.

EXEMPLUM I.

FULVIUS Nobilior, cum ex Samnio in Lucanos exercitum duceret, & cognovisset à perfugis, hostes novissimum agmen eius aggressuros, fortissimam legionem primo ire, ultimo sequi iussit impedimenta: ita factum pro occasione amplexi hostes,

ſtes, diripere ſarcinas cœperunt. Fulvius legionis, de qua ſupra dictum eſt, quinque cohortes in dextram partem viæ direxit, quinque ad ſiniſtram: atque ita prædationi intentos hoſtes, explicato per utraque latera milite, clauſit, ceciditque.

II. Idem, hoſtibus tergum eius in itinere prementibus, dum flumine interveniente, non ita magno ut tranſitum prohiberet, moraretur tamen rapiditate, alteram legionem in occulto citra flumen collocavit, ut hoſtes paucitate contemta audacius ſequerentur: quod ubi factum eſt, legio, quæ ad hoc diſpoſita erat, ex inſidiis hoſtem aggreſſa vaſtavit.

III. Iphicrates in Thraciam cum propter conditionem locorum longũ agmen deduceret, & nunciatum ei eſſet, hoſtes ſummum id aggreſſuros, cohortes in utraque latera ſecedere & conſiſtere iuſſit, cæteros ſuffugere & iter maturare. Tranſeunte autem toto agmine lectiſſimos quoſque retinuit: & ita paſſim circa prædam occupatos hoſtes, iam etiam fatigatos, ipſe requietis & ordinatis ſuis aggreſſus, fudit, exuitque præda.

IV. Boii in ſilva Litana, qua tranſiturus erat noſter exercitus, ſucciderant arbores, ita ut ex parte exigua ſuſtentatæ ſtarent, donec impellerentur: delituerant deinde ad extremas ipſi, ubi, ingreſſo ſilvam hoſte,

hoste, proximas ulteriores impulerunt: eo modo propagta pariter supra Romanos ruina, magnam manum eliserunt.

CAP. VII.

Quemadmodum ea, quibus deficimur, videantur non deesse, aut usus eorum expleatur.

EXEMPLUM I.

L. CÆCILIUS Metellus, quia usu navium, quibus elephantos transportaret, deficiebatur, iunxit dolia, constravitque tabulamentis, ac super ea positos per Siculum fretum transmisit.

II. Hannibal, cum ad præalti fluminis transitum elephantos non posset pellere, neque navium, aut materiarum, quibus rates consternerentur, copiam haberet, iussit ferocissimum elephantum sub aure vulnerari, & eum qui vulnerasset, transnato statim flumine, procurrere: elephantus exasperatus, ad persequendum doloris sui auctorem, tranavit amnem, & reliquis idem audendi fecit exemplum.

III. Carthaginiensium duces instructuri classem, quia sparto deficiebantur, crinibus tonsarum mulierum ad funes efficiendos usi sunt.

IV. Idē Massilienses & Rhodii fecerunt.

V. M.

V. M. Antonius à Mutina profugus, cortices pro ſcutis militibus ſuis dedit.

VI. Spartaco, copiiſque eius, ſcuta ex vimine fuerunt, quæ coriis tegebantur.

VII. Non alienus (ut arbitror) hic locus eſt, referendi factum Alexandri Macedonis illud nobile, qui per deſerta Aphricæ itinera, graviſſima ſiti cum exercitu affectus, oblatam ſibi à milite in galea aquam, ſpectantibus univerſis, effudit, utilior exemplo temperantiæ, quam ſi communicare potuiſſet.

CAP. VIII.

De diſtringendis hoſtibus.

EXEMPLUM I.

CORIOLANUS, cum ignominiam damnationis ſuæ bello ulciſceretur, populationem patriciorum agrorum inhibuit, deuſtis vaſtatiſque plebeiorum: ut diſcordiam moveret, qua conſenſus Romanorum diſtringeretur.

II. Hannibal Fabium, cui neque virtute, neque artibus bellandi par erat, ut infamia diſtringeret, agris eius abſtinuit, cæteros populatus. Contra ille, ne ſuſpecta civibus fides eſſet, magnitudine animi effecit, publicatis poſſeſſionibus ſuis.

III. Q. Fa-

III. Q. Fabius Maximus quinto Cos., cum Gallorum, Umbrorum, Hetruſcorũ, Samnitiumque adverſus populum Romanum exercitus coiſſent, contra quos & ipſe trans Apenninum montem caſtra communiebat, ſcripſit Fulvio & Poſtumio, qui in præſidio urbi erant, copias ad Sitium moverent: quibus aſſecutis, ad ſua defendenda Hetruſci Umbrique deſcenderunt: relictos Samnites Galloſque Fabius & collega Decius aggreſſi vicerunt.

IV. M. Curius adverſus Sabinos, qui ingenti exercitu conſcripto, relictis finibus ſuis noſtros occupaverant, occultis itineribus manum miſit, quæ deſolatos agros eorum vicoſque per diverſa incendit. Sabini ad arcendam domeſticam vaſtitatem, receſſerunt. Curio contigit & vacuos infeſtare hoſtium fines, & exercitum ſine prœlio avertere, ſparſumque cædere.

V. T. Didius paucitati ſuorum diffidens, cum in adventum earum legionum, quas exſpectabat, trahere bellum, & occurrere eis hoſtem comperiſſet, concione advocata aptari iuſſit milites ad pugnam, ac de induſtria negligentius cuſtodiri captivos: ex quibus pauci, qui profugere, nunciaverunt ſuis pugnam imminere. At illi, ne ſuſpicione prœlii deducerent vires, omiſerunt occurrere eis, quibus inſidiabantur: legiones tutiſſime, nullo excipiente, ad

Didium pervenerunt.

VI. Bello Punico quædam civitates, quæ à Romanis deficere ad Pœnos destinaverant, cum obsides dedissent, quos recipere antequam descíscerent studebant, simulaverunt seditionem inter finitimos ortam, quam Romanorum legati dirimere deberent, missosque eos velut contraria pignora retinuerunt, nec ante reddiderunt quam ipsi recuperarent suos.

VII. Legati Romanorum cum missi essent ad Antiochum regem, qui secum Hannibalem victis iam Carthaginiensibus habebat, consiliumque eius adversus Romanos instruebat, crebris cum Hannibale colloquiis effecerunt, ut is regi fieret suspectus, cui gratissimus alioquin erat, & utilis propter calliditatem & peritiam bellandi.

VIII. Q. Metellus adversus Iugurtham bellum gerens, missos ad se legatos eius corrupit, ut sibi proderent regem. Cum etiam alii venissent, idem fecit. Eodem consilio usus est & adversus tertios. Sed de captivitate Iugurthæ res parum processit; vivum enim tradi sibi volebat. plurimum tamen consecutus est: nam cum interceptæ fuissent epistolę eius ad regios amicos scriptæ, in omnes eos rex animadvertit, spoliatusque consiliis, amicos postea parare non potuit.

VIII. C. Cæſar, cum per exceptum quendam aquatorem comperiſſet, Afranium Petreiumque caſtra noctu moturos, ut citra vexationem ſuorum, hoſtilia impediret conſilia, in initio ſtatim noctis vaſa conclamare milites, & præter adverſariorum caſtra agi mulos cum fremitu, & ſonum iuſſit continuare; quos retentos volebat arbitrari, caſtra Cæſarem movere.

IX. Scipio Aphricanus ad excipienda auxilia cum commeatibus, Hannibali Venticium Termum dimiſit; ipſe ſubventurus.

X. Dionyſius Syracuſanorum tyrannus, cum Aphri ingenti multitudine traiecturi eſſent in Siciliam, ad eum oppugnandum, caſtella pluribus locis communiit, cuſtodibuſque præcepit, ut ea advenienti hoſti dederent, dimiſſique Syracuſas occulte redirent. Aphris neceſſe fuit, capta caſtella præſidio ibi tenere; quos Dionyſius redactos ad quam voluerat paucitatem, pene iam par numero aggreſſus vicit, cum ſuos contraxiſſet, & adverſarios ſparſiſſet.

XI. Ageſilaus Lacedæmonius, cum inferret bellum Tyſapherni, Cariam ſe petere ſimulavit: quaſi aptius locis montuoſis adverſus hoſtem equitatu prævalentem pugnaturus. Per hanc conſilii oſtentationem advo-

advocato in Cariam Tysapherne, ipse Lydiam, ubi caput hostium regni erat, irrupit; oppressisque qui illic agebant, pecunia regia potitus est.

CAP. IX.

De seditione militum compescenda.

EXEMPLUM I.

A. MANLIUS COS. cum comperisset, coniurasse milites in hybernis Campaniæ, ut iugulatis hospitibus, ipsi res eorum invaderent, rumorem sparsit, eodem loco hybernaturos: atque ita coniuratorum consilio turbato, Campaniam periculo liberavit, & ex occasione nocentes punivit.

II. L. Sylla, cum legiones civium Romanorum perniciosa seditione furerent, consilio restituit sanitatem efferatis. Propere enim annunciari iussit, hostem adesse, & ad arma vocantium clamorem tolli, signa canere: discussa seditio est, universis adversus hostem consentientibus.

III. Cn. Pompeius, trucidato ab exercitu Mediolani senatu; ne tumultum moveret, si solos evocasset nocentes, mixtos eis, qui extra delictum erant, venire iussit: ita & noxii minore cum metu, quia non segregati, ideoque non ex caussa culpæ, videban-

debantur accersiti, comparuerunt; & illi, quibus integra erat conscientia, custodiendis quoque nocentibus, attenderunt, ne illorum fuga inquinarentur.

IV. C. Cæsar, cum quædam legiones eius, seditionem movissent, adeo ut in perniciem quoque ducis viderentur consurrecturæ, dissimulato metu, processit ad milites, postulantibusque missionem, ultro minaci vultu dedit: exauctoratos pœnitentia coëgit satisfacere Imperatori, obsequentioresque in reliquum operas edere.

CAP. X.

Quemadmodum intempestiva postulatio pugnæ inhibeatur.

EXEMPLUM I.

Q. SERTORIUS, quod experimento didicerat, imparem se universo Romanorum exercitui, ut barbaros quoque inconsulte pugnam exposcentes doceret, adductis in conspectum duobus equis, altero prævalido, altero admodum exili, duos admovit iuvenes similiter affectos, robustum, & gracilem: ac robustiori imperavit, equo exili universam caudam abrumpere: gracili autem, valentiorem per singulos pilos vellere: cumque gracilis fecisset

quod

quod imperatum erat, validissimus cum infirmi equi cauda sine effectu luctaretur: iam, inquit Sertorius, naturam Romanarum cohortium per hoc vobis exemplum ostendi, milites: insuperabiles sunt universas aggredientibus; easdem lacerabit & carpet, qui per partes attentaverit.

II. Idem, cum videret suos pugnæ signum inconsulte flagitantes, crederetque rupturos imperium nisi congrederentur, permisit turmæ equitum ad lacessendos hostes ire; laborantique submisit alias: & sic recepit omnes: tutisque & sine noxa ostendit, quis exitus flagitatam pugnam mansisset: obsequentissimisque inde eis usus est.

III. Agesilaus Lacedæmonius, cum adversus Thebanos castra super ripam posuisset, multoque maiorem hostium manum esse intelligeret, & ideo suos arcere à cupiditate decernendi vellet, dixit, responso Deum se ex collibus pugnare iussum: & ita exiguo præsidio ad ripam posito, accessit in colles. Quod Thebani pro metu interpretati transierunt flumen, & cum facile depulissent præsidium, cæteros insecuti avidius, iniquitate locorum à paucioribus victi sunt.

IV. Scorylo Dux Dacorum, cum sciret dissociatum armis civilibus populum Ro-

manum, neque tamen tentandum arbitraretur, quia externo bello posset concordia in cives coalescere, duos canes in conspectu popularium commisit, hisque accerrime inter ipsos pugnantibus, lupum ostendit; quem protinus canes, omissa inter se ira, aggressi sunt: quo exemplo prohibuit barbaros ab impetu Romanis profuturo.

CAP. XI.

Quemadmodum incitandus sit ad prœlium exercitus.

EXEMPLUM I.

M. FABIUS & Cn. Manlius COSS. adversus Hetruscos, propter seditiones detrectante prœlium exercitu, ultro simularunt cunctationem, donec milites probris hostium coacti, pugnam deposcerent, iurarentque se ex ea victores redituros.

II. Fulvius Nobilior, cum adversus Samnitium numerosum exercitum, & successibus tumidum, parvis copiis necesse haberet decertare, simulavit unam legionem hostium à se corruptam ad proditionem: imperavitque (ad eius rei fidem) tribunis, & primis ordinibus & centurionibus, quantum quisque numeratæ pecuniæ aut

aut auri argentique haberet, conferret, ut præsentari merces proditoribus posset: se autem his qui contulissent pollicitus est, consummata victoria, ampla insuper præmia daturum. Quæ sua persuasio Romanis alacritatem attulit & fiduciam: unde etiam præclara victoria, commisso statim bello, peracta est.

III. C. Cæsar adversus Germanos & regem Ariovistum pugnaturus, confusis suorum animis, pro concione dixit, nullius se eo die opera, nisi decimæ legionis, usurum: quo consecutus est, ut decimani tanquam præcipuæ fortitudinis testimonio cogerentur; & cęteri pudore, ne penes alios gloria virtutis esset.

IV. Q. Fabius Maximus, qui egregie sciebat, & Romanos eius esse libertatis, quæ contumelia exasperaretur, & à Pœnis nihil iustum aut moderatum exspectabat, misit legatos Carthaginem, de conditionibus pacis: quas cum illi iniquitatis & insolentiæ plenas retulissent, exercitus Romanorum ad pugnandum concitatus est.

V. Agesilaus Lacedæmoniorum dux, cum prope ab Orchomeno socia civitate castra haberet, competissetque plerosque ex militibus pretiosissima rerum deponere intra munimenta; præcepit oppidanis, ne quid ad exercitum suum pertinens

reciperetur, quo ardentius dimicaret miles, qui sciret sibi pro omnibus suis pugnandum.

VI. Epaminondas dux Thebanorum, adversus Lacedæmonios dimicaturus, ut non solum viribus milites sui, verum etiam affectibus adiuvarentur, pronunciavit in concione, destinatum Lacedæmoniis, si victoria potirentur, omnes virilis sexus interficere, uxoribus autem eorum & liberis in servitutem adductis, Thebas diruere. qua denuntiatione concitati, primo impetu Thebani Lacedæmonios expugnaverunt.

VII. Leotychidas dux Lacedæmoniorum, pugnaturus eodem die, quo classe vicerant socii, quamvis ignarus actæ rei, vulgavit, nunciatam sibi victoriam partium; quo constantiores ad pugnam milites haberet.

VIII. A. Postumius, prœlio, quo cum Latinis conflixit, oblata specie duorum in equis iuvenum, animos suorum erexit, Pollucem & Castorem adesse dicens, ac sic prœlium restituit.

IX. Archidamus Lacedæmonius adversus Arcadas bellum gerens, aram in castris statuit, & circa eam duci equos noctu clam imperavit: quorum vestigia mane, tanquam Castor & Pollux perequitassent, ostendens, adfuturos eosdem ipsis prœlian-

liantibus persuasit.

X. Pericles dux Atheniensium initurus prœlium, cum animadvertisset lucum, ex quo utraque acies conspici poterat, densissimæ opacitatis, vastum alioqui & Diti patri sacrum; ingentis illic staturæ hominem, altissimis cothurnis, & veste purpurea, ac coma venerabilem, in curru candidorum equorum sublimem constituit, qui dato signo pugnæ, proveheretur, & voce Periclem nomine appellans, cohortaretur eum, diceretque Deos Atheniensibus adesse; quo pene ante coniectum teli hostes terga verterunt.

XI. L. Sylla, quo paratiorem militem ad pugnandum haberet, prædici sibi à Diis futura simulavit. Postremo etiam in conspectu exercitus, priusquam in aciem descenderet, signum modicæ amplitudinis, quod Delphis sustulerat, orabat, petebatque, ut promissam victoriam maturaret.

XII. C. Marius sagam quandam ex Scythia habuit, à qua se dimicationum eventus prædiscere simulabat.

XIII. Q. Sertorius, cum barbaro & rationis indocili milite uteretur, cervam candidam insignis formæ per Lusitaniam ducebat, & ab ea, quæ agenda aut vitanda essent, prænoscere se asseverabat, ut barbari ad omnia tanquam divini-

tus imperata obedirent.

[Hoc genere Strategematicon non ea tantum parte utendum est, qua imperitos existimabimus esse apud quos his utemur, sed multo magis ea, quæ talia erunt, excogitabuntur, ut ab his monstrata credantur.]

XIV. Alexander Macedo sacrificaturus, inscripsit medicamento aruspicis manum, quam ille extis erat suppositurus: literæ significabant victoriam Alexandro dari: quas cum iecur calidum rapuisset, & à rege militi esset ostensum, auxit animum, tanquam Deo spondente victoriam.

XV. Idem, fecit Innides aruspex; prœlium Eumene cum Gallis commissuro.

XVI. Epaminondas Thebanus, adversus Lacedæmonios fiduciam suorum religione adiuvandam ratus, arma quæ ornamentis affixa in templis erant, nocte subtraxit, persuasitque militibus, Deos iter suum sequi, ut prœliantibus ipsis adessent.

XVII. Agesilaus Lacedæmonius, cum quosdam Persarum cepisset, quorum habitus multum terroris præfert quoties veste tegitur, nudatos militibus suis, ut alba corpora & umbratica contemnerent, ostendit.

XVIII. Ge-

XVIII. Gelo Syracuſarum tyrannus, bello adverſus Pœnos ſuſcepto, cum multos cepiſſet, infirmiſſimum quemque, præcipue ex auxiliaribus, qui nigerrimi erant, nudatum in conſpectu ſuorum produxit, ut perſuaderet contemnendos.

XIX. Cyrus rex Perſarum, ut concitaret animos popularium, tota die in excidenda quadam ſilva eos fatigavit, deinde poſtridie præſtitit eis liberaliſſimas epulas, & interrogavit, utro magis gauderent: cum ei præſentia probaſſent: Atqui per hæc (inquit) ad illa perveniendum eſt: Nam liberi beatique eſſe, niſi Medos viceritis, non poteſtis. atq; ita eos ad cupiditatem prœlii concitavit.

XX. L. Sylla, qui adverſus Archelaum præfectum Mithridatis apud Pirea pigrioribus ad prœlium militibus utebatur, opere eos fatigando compulit ad poſcendum ultro pugnæ ſignum.

XXI. Q. Fabius Maximus, veritus, ne qua fiducia navium, ad quas refugium erat, minus conſtanter pugnaret exercitus, incendi eas, priuſquam iniret prœlium, iuſſit.

CAP. XII.

De dissolvendo metu, quo milites ex adversis omnibus conciderunt.

EXEMPLUM I.

SCIPIO ex Italia in Aphricam transportando exercitum, cum egrediens navem, prolapsus esset, & ob hoc attonitos milites cerneret, id quod trepidationem afferebat, constantia & magnitudine animi in hortationem convertit: Et, Ludite, (inquit) milites, Aphricam oppressi.

II. C. Cæsar, cum forte conscendens navem lapsus esset, Teneo te, terra mater, (inquit.) qua interpretatione effecit, ut repetiturus illas, à quibus proficiscebatur, terras videretur.

III. T. Sempronius Gracchus Cos. acie adversus Picentes directa, cum subitus terræ motus utrasque partes confudisset, exhortatione confirmavit suos & impulit, ut consternatum superstitione hostem invaderent; adhortatusque devicit.

IV. Q. Sertorius, cum equitum scuta extrinsecus, equorumque pectora cruenta subito prodigio apparuissent, victoriam portendi interpretatus est, quoniam

niam illæ partes ſolerent hoſtili cruore reſpergi.

V. Epaminondas Thebanus, contriſtatis militibus, quod ex haſta eius ornamentum, infulæ more dependens, ventus ablatum in ſepulchrum Lacedæmonii cuiuſdam depulerat; Nolite, (inquit) milites, trepidare; Lacedęmoniis ſignificatur interitus. Sepulchra enim funeribus ornantur.

VI. Idem, cum fax de cœlo nocte delapſa, eos, qui adverterunt, terruiſſet; Lumen (inquit) hoc Numina oſtendunt.

VII. Idem, inſtante adverſus Lacedæmonios pugna, cum ſedile, in quo reſederat, ſuccubuiſſet, & id vulgo pro triſti ſignificatione confuſi milites interpretarentur: Imo (inquit) vetamur ſedere.

VIII. L. Sulpitius Gallus defectum Lunæ imminentem, ne pro oſtento exciperent milites, prædixit futurum, additis rationibus cauſſiſque defectionis.

IX. Agathocles Syracuſanus adverſus Pœnos, ſimili eiuſdem ſideris diminutione, qua ſub diem pugnæ, ut prodigio, milites ſui conſternati erant, ratione qua id accideret expoſita, docuit, quidquid illud foret, ad rerum naturam, non ad ipſorum propoſitum pertinere.

X. Pericles, cum in caſtra eius fulmen

decidisset, terruissetque milites, advocata concione, lapidibus in conspectu omnium collisis, ignem excussit, sedavitque turbationem, cum docuisset, similiter nubium adtritu excuti fulmen.

XI. Timotheus Atheniensis, classe dimicaturus adversus Corcyręos, gubernatori suo, qui proficiscenti iam classi signum receptui cœperat dare, quia ex remigibus quendam sternutantem audierat; Miraris (inquit) ex tot millibus unum perfrixisse?

XII. Chabrias Atheniensis classe dimicaturus, excusso ante navem ipsius fulmine, exterritis per tale prodigium militibus; Nunc (inquit) potissimum ineunda pugna est, cum Deorum maximus Jupiter adesse numen suum classi nostræ ostendit.

SEXTI IVLII FRONTINI, VIRI CONSULARIS, STRATEGEMATICΩN LIBER SECUNDUS.

DISPOSITIS primo libro exemplis, instructuris (ut mea fuit opinio) ducem in his, quæ ante commissum prœliũ agenda sunt, deinceps reddemus pertinentia ad ea, quæ in ipso prœlio agi solent, & deinde ea, quæ post prœlium. Et

Eorum, quæ ad prœlium pertinent, species sunt:

CAP. I.

De tempore ad pugnam eligendo.

EXEMPLUM I.

P. SCIPIO in Hispania, cum comperisset Hasdrubalem Pœnorum ducem ieiuno exercitu mane processisse in aciem, continuit in horam septimam suos: quibus præceperat, ut quiescerent, & cibum caperent: cumque hostes, inedia, siti, mora sub armis fatigati, repetere castra cœpissent, subito copias eduxit, &, commisso prœlio, vicit.

II. Metellus Pius in Hispania adversus Herculeium, cum ille oriente protinus die instructam aciem vallo eius admovisset, fervidissimo tunc tempore anni, intra castra suos continuit, in horam diei sextam; atque ita fatigatos æstu, facile in-

le integris & recentibus vicit suorum viribus.

III. Idem, iunctis cum Pompeio castris adversus Sertorium in Hispania, cum sæpe instruxisset aciem, hoste, qui imparem se duobus credebat, pugnam detrectante: quodam deinde tempore, cum Sertorianos milites animadvertisset magno impetu instinctos, deposcentes pugnam, humerosque exerentes, & lanceas vibrantes, existimavit ardori cedendum in tempore, recepitque exercitum, & Pompeio idem faciendi autor fuit.

IV. Postumius Cos. in Sicilia, cum castra eius à Punicis trium millium passuum spacio distarent, & dictatores Carthaginensium quotidie ante ipsa munimenta Romanorum dirigerent aciem, exigua manu levibus assidue prœliis pro vallo resistebat: quam consuetudinem contemnente iam Pœno, reliquis omnibus per quietem intra vallum præparatis, ex more pristino, cum paucis sustinuit incursum adversariorum, ac solito diutius detinuit: quibus fatigatis, post sextam horam, & iam se recipientibus, cum & inedia quoque laborarent, per recentes suos, hostem, quem prædicta profligaverant incommoda, fugavit.

V. Iphicrates Atheniensis, quia exploraverat, eodem assidue tempore hostes cibum

bum capere, maturius vesci suos iussit, & eduxit aciem, aggressusque hostem ita detinuit, ut ei nec confligendi, nec abeundi daret facultatem. Inclinato deinde iam die reduxit suos, & nihilominus in armis retinuit: fatigati hostes non statione magis, quam inedia, statim ad corporis curam & cibum capiendum festinaverunt: Iphicrates rursus eduxit, & incompositi hostis aggressus est castra.

VI. Idem, cum adversus Lacedæmonios pluribus diebus castra cominus haberet, & utraque pars certis temporibus assidue pabulatum lignatumque procederet, quodá die militum habitu servos lixasque dimisit ad munera, milites retinuit; & cum hostes dispersi issent ad similia munera, expugnavit castra eorum, inermesque cum fasciculis passim ad tumultum recurrentes, facile aut cecidit, aut cepit.

VII. Verginius Cos. in Volscis, cum procurrere hostes effusos ex longinquo vidisset; quiescere suos ac defixa tenere pila iussit. Tunc anhelatos, integris viribus exercitus sui, aggressus evertit.

VIII. Q. Fabius Maximus, non ignarus, Gallos & Samnites primo impetu prævalere, suorum autem infatigabiles spiritus inter moras decertandi etiam incalescere, imperavit militibus, ut contenti essent primo congressu sustinere, ut ho-

stem

stem mora fatigarent : quod ubi successit, admoto etiam subsidio suis, in prima acie universis viribus oppressum fudit hostem.

IX. Philippus ad Cheronæam, memor, sibi esse militem longo usu duratum, Atheniensibus acrem quidem, sed inexercitatũ & impetu tantum violentum, ex industria prœlium traxit: moxque languentibus iam Atheniensibus, concitatius intulit signa, & ipsos cecidit.

X. Lacedæmonii, certiores ab exploratoribus facti, Messenios in eam exarsisse rabiem, ut in prœlium cum coniugibus ac liberis descenderent, pugnam distulerunt.

XI. C. Cæsar, bello civili, cum exercitum Afranii & Petreii circumvallatum siti angeret, isque ob hoc exasperatus, interfectis omnibus impedimentis ad pugnam descendisset, continuit suos, arbitratus alienum dimicationi tempus, quod adversarios & ira & desperatio incenderat.

XII. Cn. Pompeius fugientem Mithridatem cupiens ad prœlium compellere, elegit tempus dimicationi nocturnum, ut abeunti se opponeret: atque ita præparatus, subitam hostibus necessitatem decernendi iniecit. Præterea sic constituit aciem, ut Ponticorum quidem oculos adversa

Luna

Luna perstringeret, suis autem illustrem & conspicuum præberet hostem.

XIII. Iugurtham autem constat, memorem virtutis Romanorum, semper inclinato die committere prœlia solitum, ut si fugarentur sui, opportunam noctem haberent ad delitescendum.

XIV. Lucullus adversus Mithridatem & Tigranem, in Armenia maiore apud Tigranocertam, cum ipse non amplius quindecim millia armatorum haberet, hostis autem innumerabilem multitudinem, eoque ipso inhabilem, usus hoc eius incommodo, nondum ordinatam hostium aciem invasit, atque ita protinus dissipavit, ut ipsi quoque reges abiectis insignibus fugerent.

XV. Cl. Tiberius Nero adversus Pannonios, cum barbari feroces in aciem oriente statim die processissent, continuit suos, passusque est hostem nebula & imbribus, qui forte illo die crebri erant, verberari; ac demum, ut fessum stando & pluvia, non solum animo, sed & lassitudine deficere animadvertit, signo dato, adortus, superavit.

XVI. C. Cæsar in Gallia, quia compererat Ariovisto Germanorum regi institutum, & quasi legem militibus, non pugnandi decrescente Luna, tum potissimum acie commissa, impeditos religione hostes vicit.

XVII. D. Augustus Vespasianus, Judæos Saturni die, quo eis nefas est quicquam seriæ rei agere, adortus superavit.

XVIII. Lysander Lacedæmonius adversus Athenienses apud Ægospotamum, instituit, certo tempore infestari naves Atheniensium, deinde revocare classem: qua re in consuetudinem perducta, cum Athenienses post digressum eius ad contrahendas copias dispergerentur, extendit ex consuetudine classem, & recepit. Tum hostium maxima parte ex more dilapsa, reliquos adortus, occidit, & universas naves cepit.

CAP. II.

De loco ad pugnam eligendo.

EXEMPLUM I.

M. Curius, quia phalangi regis Pyrrhi explicatę resisti non posse animadvertebat, dedit operam, ut in angustiis confligeret, ubi conferta sibi ipsa esset impedimento.

II. Cn. Pompeius in Cappadocia elegit locum castris editum: unde adiuvante proclivio impetum militum, facile ipso decursu Mithridatem superavit.

III. C. Cæsar adversus Pharnacem Mithridatis

thridatis filium dimicaturus, in colle instruxit aciem. Quæ res expeditam ei fecit victoriam. Nam pila ex edito in subeuntes barbaros emissa, protenus eos averterunt.

IV. Lucullus adversus Mithridatem & Tigranem, in Armenia maiore, apud Tigranocertam dimicaturus, collis proximi planum verticem raptim cum copiarum parte adeptus, in subiectos hostes decurrit, & equitatum eorum à latere invasit, aversumque, & eorundem partem peditum perturbantem insecutus, clarissimam victoriam retulit.

V. Ventidius adversus Parthos non ante militem eduxit, quam illi quingentis non amplius passibus abessent, atque ita procursione subita adeo se admovit, ut sagittas, quibus ex longinquo usus est, cominus applicitas eluderet: quo consilio, quia quandam fiduciæ etiam speciem ostentaverat, celeriter barbaros debellavit.

VI. Hannibal apud Numistronem, contra Marcellum pugnaturus, cavas & præruptas vias obiecit à latere; ipsaque loci natura pro munimentis usus, clarissimum ducem vicit.

VII. Idem, apud Cannas, cum comperisset, Volturnum amnem, ultra reliquorum naturam fluminum, ingentes auras

mane

mane perflare, quæ arenarum & pulveris vortices agerent, sic direxit aciem, ut tota vis à tergo suis, Romanis in ora & oculos incideret: quibus incommodis mire hosti adversantibus, illã memorabilem adeptus est victoriam.

VIII. Marius adversus Cimbros ac Teutonos constituta die pugnaturus, firmatum cibo militem ante castra collocavit, ut per aliquantum spacii, quo adversarii dirimebantur, exercitus hostium potius labore itineris profligaretur: fatigationi eorum deinde incommodum aliud obiecit, ita ordinata suorum acie, ut adverso Sole, & vento & pulvere barbarorũ occuparetur exercitus.

IX. Cleomenes Lacedæmonius, adversus Hippiam Atheniensem, qui equitatu prævalebat, planiciem in qua dimicaturus erat, arboribus prostratis impedivit, & inviam equiti fecit.

X. Iberi in Aphrica ingenti hostiũ multitudine excepti, timentesque, ne circumirentur, applicuerunt se flumini, quod altis in ea regione ripis profluebat: qui ita à tergo amne defensi & subinde cum virtute præstarent, incursando in proximos, omnem hostium exercitum straverunt.

XI. Xanthippus Lacedæmonius, sola loci commutatione, fortunam Punici belli convertit: nam cũ desperantibus iam Carthagi-

thaginensibus mercede solicitatus, animadvertisset, Aphros quidem, qui equitatu & elephantis præstabant, colles sectari: à Romanis autem, quorum robur in peditibus erat, campestria teneri, Pœnos in plana deduxit: ubi per elephantos, dissipatis ordinibus Romanorum, sparsos milites per Numidas persecutus, eorum exercitum fudit: in illam diem terra marique victorem.

XII. Epaminondas dux Thebanorum, adversus Lacedæmonios directurus aciem, pro fronte eius decurrere equitibus iussis, cum ingentem pulverem oculis hostium obiecisset, expectationemque equestris certaminis prætendisset, circumducto pedite ab ea parte, ex qua decursus in adversam hostium aciem ferebat, inopinantium terga adortus cecidit.

XIII. Lacedæmonii trecenti contra innumerabilem multitudinem Persarum, Thermopylas occupaverunt, quarum angustiæ non amplius, quam parem numerum cominus pugnaturum, poterant admittere: eaque ratione quantum ad congressus facultatem, æquati numero barbarorum, virtute autem præstantes, magnam eorum partem occiderunt: nec superati forent, nisi per proditorem Ephyaltem Trachiniam circumductus hostis, à tergo eos oppressisset.

XIV. The-

XIV. Themiſtocles dux Athenienſium, cum videret utiliſſimum Græciæ, adverſus multitudinem Xerxis navium, in anguſtiis Salaminiis decernere, idque perſuadere civibus non poſſet, ſolertia effecit, ut à barbaris ad utilitates ſuas Græci compellerentur: ſimulata namque, proditione, miſit ad Xerxem, qui indicaret populares ſuos de fuga cogitare, difficilioremque rem ei futuram, ſi ſingulas civitates obſidione aggrederetur. Qua ratione effecit, ut exercitus barbarorum primum inquietaretur, dum tota nocte in ſtatione cuſtodia eſt: deinde, ut ſui mane integris viribus, cum dictis barbaris vigilia marcentibus confligerent, loco ut voluerat arcto, in quo Xerxes multitudine qua præſtabat, uti non poſſet.

CAP. III.

De acie ordinanda.

EXEMPLUM I.

CN. Scipio in Hiſpania, adverſus Hannonem ad oppidum Indibile, cum animadvertiſſet, Punicam aciem ita directam, ut in dextro cornu Hiſpani conſtituerentur, robuſtus quidem miles, ſed qui alienum negotium ageret: in ſiniſtro autem Aphri minus viribus firmi, ſed animi conſtan-

stantioris: reducto sinistro latere, suorum dextro cornu, quod validissimis militibus extruxerat, obliqua acie cum hoste conflixit. Deinde, fusis fugatisque Aphris, Hispanos, qui in recessu spectantium more steterant, facile in deditionem compulit.

II. Philippus Macedonum rex, adversus Illyrios gerens bellum, ut animadvertit frontem hostium stipatam, electis de toto exercitu viris, latera infirmiora; fortissimis suorum in dextro cornu collocatis, sinistrũ latus hostium invasit; turbataque acie tota, victoriam profligavit.

III. Permenes Thebanus, conspecta Persarum acie, quæ robustissimas copias in dextro cornu collocatas habebat, simili ratione & ipse suos ordinavit, omnemque equitatum & fortissimum quemque peditum in dextro cornu, infirmissimos autem contra fortissimos hostium posuit, præcepitque, ut ad primum impetum eorum sibi fuga consulerent, & in silvestria confragosaque loca se reciperent: ita frustrato robore exercitus, ipse optima parte virium suarum, [dextro cornu,] totam circuit aciem hostium, & evertit.

IV. P. Cornelius Scipio, cui postea Aphricano cognomen fuit, adversus Hasdrubalem ducem Pœnorum in Hispania bellum gerens, ita per continuos dies ordinatum produxit exercitum, ut media acies

fortissi-

fortissimis fundaretur: sed cum hostes quoque eadem ratione assidue ordinati procederent, Scipio eo die, quo statuerat decernere, commutavit instructionis ordinem, & firmissimos, id est, legionarios, in cornibus collocavit, ac levem armaturam in media acie, sed retractatam: ita cornibus, quibus ipse praevalebat, infirmissimas hostium partes lunata acie aggressus facile fudit.

V. Metellus in Hispania, eo proelio quo Herculeium devicit, cum comperisset cohortes eius, quae validissimae vocabantur, in media acie locatas, ipse mediam suorum aciem reduxit, ne ea parte ante cum hoste confligeret, quam cornibus confligatis, medios undique circumvenissent.

VI. Artaxerxes adversus Graecos, qui Persidem intraverant, cum multitudine superaret, latius quam hostes acie instructa, in fronte equitem, levemque armaturam in cornibus collocavit; atque ita ex industria lentius procedente media acie, copias hostium cinxit, ceciditque.

VII. Contra Hannibal ad Cannas reductis cornibus, productaque media acie, nostros primo impetu protrusit. Idem conserto proelio, paulatim invicem sinuantibus procedentibusque ad praeceptum cornibus, avide insequentem hostem in mediam aciem suam recepit, & ex utraque

parte

parte compressum cecidit, veterano & diu edocto usus exercitu: hoc enim genus ordinationis exsequi, nisi peritus, & ad omne momentum respondens miles, vix potest.

VIII. Livius Salinator & Claudius Nero, cum Hasdrubal bello Punico secundo, decertandi necessitatem evitans, in colle confragoso post vineas aciem direxisset, ipsi reductis in latera viribus, vacua fronte ex utraque parte circumvenerunt eum; atque ita aggressi superaverunt.

IX. Hannibal, cum frequentibus prœliis à Claudio Marcello superaretur, novissime sic castra metabatur, ut aut montibus, aut paludibus, aut simili loçorum aliqua opportunitate adiutus, aciem eo modo collocaret, ut vincentibus quidem Romanis, pene indemnem recipere posset intra munimenta exercitum; cedentibus autem, instandi liberum haberet arbitrium.

X. Xanthippus Lacedæmonius in Aphrica adversus M. Attilium Regulum levem armaturam in prima acie collocavit, in subsidio autem robur exercitus; præcepitque auxiliaribus, ut emissis telis cederent hosti; & cum se intra suorum ordines recepissent, confestim in latera discurrerent, & à cornibus rursus erumperent, exceptumque iam hostem à robustiori-

ſtioribus & ipſi circumirent.

XI. Sertorius, idem in Hiſpania adverſus Pompeium fecit.

XII. Cleandridas Lacedæmonius adverſus Lucanos denſam inſtruxit aciem, ut longe minoris exercitus ſpeciem præberet: ſecurioribus inde hoſtibus, in ipſo certamine diduxit ordines, & à lateribus circumventos eos fudit.

XIII. Gaſtron Lacedæmonius, cum in auxilium Ægyptiis adverſus Perſas veniſſet, & ſciret firmiorem eſſe Græcum militem, magiſque à Perſis timeri, commutatis armis Græcos in prima poſuit acie, & cùm illi æquo Marte pugnarent, ſubmiſit Ægyptiorum manum: Perſæ cum Græcis, quos Ægyptios opinabantur, reſtitiſſent, ſuperveniente multitudine, quam ut Græcorum expaverant, ceſſerunt.

XIV. Cn. Pompeius in Albania, quia hoſtes & numero & equitatu prævalebant, iuxta collem in anguſtiis protegere galeas, ne fulgore earum conſpicui fierent, iuſſit: equites deinde in æquum procedere, ac velut prætendere peditibus; præcepitque eis, ut ad primum impetum hoſtium refugerent; & ſimul ac ad pedites ventũ eſſet, in latera diſcederent: quod ubi explicitum eſt, patefacto loco ſubita peditum ſurrexit acies, invectoſque temere hoſtes inopinato interfuſa prœlio cecidit.

L XV. M.

XV. M. Antonius adversus Parthos, qui infinita multitudine ſagittarum exercitum eius obruebant, ſubſidere ſuos, & teſtitudinem facere iuſſit; ſupra quam tranſmiſſis ſagittis, ſine militum noxa exhauſtus eſt hoſtis.

XVI. Hannibal adverſus Scipionem in Aphrica, cum haberet exercitum ex Pœnis & auxiliaribus, quorum pars non ſolum ex diverſis partibus, ſed etiam ex Italicis conſtabat; poſt elephantos octoginta, qui in prima fronte poſiti hoſtium turbarent aciem, auxiliares Gallos, & Ligures, & Baleares, Mauroſque poſuit, ut non fugere poſſent, Pœnis à tergo ſtantibus, & hoſtem oppoſiti ſi non infeſtarent, at certe fatigarent: tum ſuis & Macedonibus, qui iam feſſos Romanos integri exciperent, in ſumma acie collocatis noviſſimos Italicos conſtituit, quorum & timebat fidem, & ſegnitiem verebatur, quoniam pleroſque eorum ab Italia invitos extraxerat. Scipio adverſus hanc formam, robur legionis, triplici acie in fronte ordinatum per haſtatos & principes & triarios, oppoſuit, nec continuas conſtruxit cohortes, ſed manipulis inter ſe diſtantibus ſpacium dedit, per quod elephanti ab hoſtibus acti facile tranſmitti ſine perturbatione ordinum poſſent: ea ipſa intervalla expeditis velitibus implevit, ne interluceret acies; dato eis præcepto, ut ad impe-

impetum elephantorum, vel retro, vel in latera concederent. Equitatum deinde in cornua divisit, & dextro Romanis equitibus Lælium, sinistro Numidis Masinissam præposuit. Quæ tam prudens ordinatio, non dubie caussa victoriæ fuit.

XVII. Archelaus adversus L. Syllam, in fronte ad perturbandum hostem falcatas quadrigas locavit; in secunda acie phalangem Macedonicam; in tertia, Romanorum more, armatos auxiliares, mixtis fugitivis Italicæ gentis, quorum pernicitati plurimum fidebat; levem armaturam in ultimo statuit. In utroque deinde latere equitatum, cuius amplum numerum habebat, circumeundi hostis caussa posuit. Contra hæc Sylla fossas amplæ latitudinis in utroque latere duxit, & capitibus earum castella communivit: qua ratione, ne circumiretur ab hoste, & peditum numero, & maxime equitatu superante, consecutus est. Triplicem deinde peditum aciem ordinavit, relictis intervallis, per levẽ armaturã, & equitatum, quem in novissimo collocaverat, ut cum res exegisset emitteret eum: tum prosignanis, qui in secunda acie erant, imperavit, ut densos numerososque palos firme in terram defigerent; intraque eos, appropinquantibus quadrigis, ante signa nostra aciẽ recepit: tum demum sublato universorum clamore velites & levem armaturam

 inge-

ingerere tela iussit: quibus factis quadrigæ hostium aut implicitæ palis, aut exterritæ clamore telisque in suos conversæ sunt, turbaveruntque Macedonum instructuram: qua cedente cum Sylla staret, & Archelaus equitem opposuisset, Romani equites subito emissi, averterunt eos, consummaruntque victoriam.

XVIII. C. Cæsar, Gallorum falcatas quadrigas eadem ratione palis defixis excepit inhibuitque.

XIX. Alexander ad Arbela, cum hostiū multitudinem vereretur, virtuti autem suorum fideret, aciem in omnem partem spectantem ordinavit, ut circumventi, undique pugnare possent.

XX. Æmilius Paulus adversus Persen Macedonum regem, cum phalangem suorum duplicem, mediam in partem direxisset, eamque levi armatura cinxisset, & equitem in utroque cornu collocasset, triplicem aciem cuneis instruxit: inter quos subinde velites emisit. Quo genere cum profligari nihil videret, cedere instituit, ut hac simulatione perduceret hostes in confragosa loca, quæ ex industria captaverat. Cum sic quoque suspecta calliditate recedentium, sequeretur ordinata phalanx, equites à sinistro cornu præter ora phalangis iussit transcurrere, citatis equis tectos, ut obiectis armis ipso impetu perfringerent

hostium

hostium spicula: quo genere telorum exarmati Macedones solverunt aciem, & terga verterunt.

XXI. Pyrrhus Epirotarum rex pro Tarentinis apud Asculum, secundum Homericum versum, quo pessimi in medium recipiuntur, dextro cornu Samnitas Epirotasque, sinistro Brutios atque Lucanos, cum Salentinis, in media acie Tarentinos collocavit, equitatum & elephantos in subsidiis esse iussit. Contra Coss. aptissime, divisis in cornua equitibus; legiones in prima acie & in subsidiis collocarunt, & his immiscuerunt auxilia. Utrinque quadraginta millia constat fuisse. Pyrrhi dimidia pars exercitus amissa, apud Romanos quinque millia desiderata sunt.

XXII. Cn. Pompeius adversus C. Cæsarem Palæopharsali triplicem instruxit aciem, quarum singulæ denos ordines haberent in latitudinem. Legiones secundum virtutem cuiusque firmissimas in cornibus & in medio collocavit, spacia his interposita tironibus supplevit, dextro latere sexcentos equites, propter flumen Enipeum, quod & alveo suo & alluvie regionem impedierat, reliquum equitatum in sinistro cornu cum auxiliis omnibus collocavit, ut inde Julianum exercitum circuiret. Adversus hanc ordinationem Julius Cæsar & ipse triplici acie dispositis in fronte le-

te legionibus, ſiniſtrum latus, ne circuiri poſſet, admovit paludibus. In dextro cornu poſuit equitem, cui velociſſimos miſcuit peditum, & ad morem equeſtris pugnæ exercitatos, ſed deinde cohortes in ſubſidio retinuit, ad res ſubitas: ſed dextro latere converſas in obliquum, unde equitatum hoſtium exſpectabat, collocavit: nec ulla res ad victoriam plus eo die Cæſari contulit: effuſum namque Pompeii equitatum inopinato ſubinde lati excurſu averterunt, cædendumque tradiderunt.

XXIII. Imperator Cæſar Germanicus, cum ſubinde Catti equeſtre prœlium, in ſilvas refugiendo, diducerent: iuſſit ſuos equites, ſimul atque ad impedimenta ventum eſſet, equis deſilire, pedeſtrique pugna confligere: quo genere conſecutus eſt, ne quis non locus eius victoriam miraretur.

XXIV. C. Duillius, cum videret graves ſuas naves mobilitate Punicæ claſſis eludi, irritamque virtutem militum fieri, excogitavit manus ferreas: quæ ubi hoſtilem apprehenderent navem, ſuperiecto ponte, tranſgrediebatur Romanus, & in ipſorum ratibus cominus eos trucidabat.

CAP.

CAP. IV.

De acie hostium turbanda.

EXEMPLUM I.

PAPYRIUS Cursor, filius Consulis, cum æquo Marte adversus obstinatos Samnites concurreret, ignorantibus suis præcepit Spurio Naucio, ut pauci calones, & agasones mulis insidentes, ramosque per terram trahentes, à colle transverso magno tumultu decurrerent: quibus prospectis, proclamavit, victorem adesse collegam, ut occuparent ipsi præsentis prœlii gloriam: quo facto, & Romani fiducia concitati propulere, propulsi terga vertere.

II. F. Rutilius Maximus quarto Cos. in Samnio, omni modo frustra conatus aciē hostium perrumpere, novissime hastatos subduxit ordinibus, & cum Scipione legato suo circummisit, iussitque collem capere, ex quo decurri poterat in hostium terga: quod ubi factum est, Romanis crevit animus, & Samnites perterriti fugam molientes cæsi sunt.

III. Minutius Ruffus Imperator, cum à Scordiscis Dacisque premeretur, quibus impar erat numero, præmisit fratrē & paucos equites una cū æneatoribus: præcepit-

que, ut cum vidisset contractum prœlium, subitus ex diverso se ostenderet, juberetque æneatores concinere: sonantibus montium iugis, species ingentis multitudinis offusa est hostibus, qua perterriti dedere terga.

IV. Attilius Glabrio Cos. adversus Antiochi regis aciem, quam is in Achaiam per angustias Thermopylarum direxerat, iniquitatibus loci non irritus tantum, sed cum iactura quoque repulsus esset, nisi circummissus ab eo M. Porcius Cato, qui tum Tribunus militum à populo factus in exercitu erat, deiectis iugis Callidromi montis, Ætolis, qui præsidio tenebantur, super eminentem castris regiis collem, à tergo subitus apparuisset: quo facto perturbatis Antiochi copiis, utrinque irrupere Romani, & fusis fugatisque castra ceperunt.

V. C. Sulpitius Petreius Cos. contra Gallos dimicaturus, iussit muliones clam in montes proximos cum mulis abire, & inde conserto iam prœlio, velut equis insidentes ostentare se pugnantibus: quare Galli exstimantes adventare auxilia Romanis, cessere iam pene victores.

VI. Marius, circa aquas Sextias, cum in animo haberet postera die depugnare adversus Teutonos, Marcellum cum parva manu equitum peditumque noctu post terga

ga hostium misit, & ad implendam multitudinis speciem, agasones lixasque armatos simul ire iussit, iumentorumque magnam partem instratorum cum centunculis, ut per hoc facies equitatus obiiceretur; præcepitque ut cum animadvertissent committi prœlium, ipsi in terga hostium descenderent: qui apparatus tantum terroris intulit, ut asperrimi hostes in fugam versi sint.

VII. M. Licinius Crassus, fugitivorum bello, apud Calamarcum educturus militem, adversus Castum & Canimocum duces Gallorum, duodecim cohortes, cum C. Promptino, & cum Q. Martio Ruffo, legatis, post montem circummisit: quæ cum commisso iam prœlio, à tergo clamore iam sublato, decurrissent, ita fuderunt hostes, ut ubique fugam pro pugna capessserent.

VIII. Marcellus, cum vereretur, ne paucitatem eius militum clamor detegeret, simul lixas calonesque, & omnis generis sequelas, conclamare iussit; atque ita hostem magni exercitus specie exterruit.

IX. Valerius Levinus, adversus Pyrrhum Epirotarum regem, occiso quodam gregali, tenens gladium cruentum, exercitui utrique persuasit Pyrrhum interemptum. Quamobrem hostes, desti-

tutos se ducis morte credentes, consternati à mendacio, se pavidi in castra receperunt.

X. Jugurtha, in Numidia, adversus C. Marium, cum Latinæ quoque linguæ usum ei conversatio pristina castrorum dedisset, in primam aciem procurrit, & occisum à se C. Marium tum Latine clare prædicavit, atque ita multos nostrorum avertit.

XI. Myronides Atheniensis, dubio prœlio adversus Thebanos rem gerens, repente in dextrum suorum cornu prosiliit, & exclamâvit, se iam sinistro vicisse: qua re & suis alacritate, & hostibus metu iniecto, vicit.

XII. Crœsus prævalido hostium equitatui camelorum gregem opposuit; quorum novitate & horrore consternati equi, non solum insidentes præcipitaverunt, sed peditum quoque suorum ordines protriverunt, vincendosque hosti præbuerunt.

XIII. Pyrrhus Epirotarum rex, pro Tarentinis adversus Romanos, eodem modo elephantis ad perturbandam aciem usus est.

XIV. Pœni quoque adversus Romanos idem fecerunt frequenter.

XV. Volscorum castra cum prope virgulta silvasque posita essent, Camillus ea omnia,

mnia, quæ conceptum ignem usque in vallum proferre poterant, incendit; & sic adversarios exuit castris.

XVI. M. Crassus, bello sociali, eodem modo prope cum copiis omnibus interceptus est.

XVII. Hispani contra Hamilcarem boves vehiculis adiunctos in prima fronte constituerunt, vehiculaque tædæ & sebi & sulphuris plena, signo pugnæ dato, incenderunt: actis deinde in hostem bobus consternatam aciem perruperunt.

XVIII. Falisci & Tarquinienses, compluribus suorum in habitu sacerdotum subornatis, faces & angues furiali habitu præferentibus, aciem Romanorum turbaverunt.

XIX. Idem Veientes & Fidenates facibus arreptis fecerunt.

XX. Atheas rex Scytharum, cum adversus ampliorem Triballorũ exercitum confligeret, iussit à fæminis & pueris, omnique imbelli turba, greges asinorum ac boum ad postremam hostium aciem admoveri, & erectas hastas præferre: famam deinde diffudit, tanquam auxilia sibi ab ulterioribus Scythis adventarent: qua asseveratione avertit hostem.

CAP. V.

De insidiis.

EXEMPLUM I.

ROMULUS, per latebras copiarum parte disposita, cum ad Fidenas accessisset, simulata fuga temere hostes insecutos eo perduxit, ubi occultos habebat milites, qui undique adorti effusos & incautos ceciderunt.

II. Q. Fabius Maximus Cos. auxilio Sutrinis missus adversus Hetruscos, omnes hostium copias in se convertit: deinde simulato timore, in superiora loca velut fugiens recessit, effuseque subeuntes aggressus, non aciem tantum superavit, sed etiam castris exuit.

III. T. Sempronius Gracchus adversus Celtiberos, metu simulato, continuit exercitum: emissa deinde armatura levi, quæ hostem lacesseret, ac statim pedem referente, evocavit hostem: deinde inordinatos aggressus, usque eo cecidit, ut etiam castra caperet.

IV. Q. Metellus Cos. in Sicilia bellum gerens adversus Hasdrubalem, ob eius ingentem exercitum & centum triginta Elephantos intentior, diffidentia simulata, intra Panormum copias tenuit, fossamque ingentis

gentis magnitudinis ante se duxit: conspecto deinde exercitu Hasdrubalis, qui in prima acie elephantos habebat, præcepit hastatis, tela in belluas iacerent, protinusque se intra munimenta reciperent: ea ludificatione rectores elephantorum concitati, in ipsam fossam elephantos egerunt: quo ut primum illaqueati sunt, partim magnitudine telorum confecti, partim retro in suos acti, totam aciem turbaverunt. Tunc Metellus, hanc operiens occasionem, cum toto exercitu erupit, & aggressus à latere Pœnos cecidit, ipsisque & elephantis potitus est.

V. Tamyris Scytharum regina, Cyrum Persarum ducem, æquo Marte certantem, simulato metu elicuit ad notas militi suo angustias, atque ibi repente converso agmine, natura loci adiuta, devicit.

VI. Aegyptii conflicturi acie in eis campis, quibus iunctæ paludes erant, alga eas contexerunt, commissoque prœlio fugam simulantes in insidias sevocaverunt: qui rapidius vecti per ignota loca, limo inhæserunt, circumventique sunt.

VII. Viriatus ex latrone dux Celtiberorum, cedere se Romanis equitibus simulans, usque ad locum voraginosum & præaltum eos perduxit: & cum ipse per solidos ac notos sibi transitus evaderet, Romanos, igna-

ignaros locorum, immersosque limo, cecidit.

VIII. Fulvius Imperator, Cimbrico bello, collatis cum hoste castris, equites suos iussit succedere ad munitiones eorum, lacessitisque barbaris, simulata fuga regredi: hoc cum per aliquot dies fecisset, avide insequentibus Cimbris, animadvertit, castra eorum solita nudari: itaque per partem exercitus custodita consuetudine, ipse cum expeditis post castra hostium consedit occultus; effusisque eis, ex more, repente adortus, & desertum proruit vallum, & castra cepit

IX. Cn. Fulvius, cum in finibus nostris exercitus Faliscorum, longe nostro maior, castra posuisset, per suos milites quædam procul à castris ędificia succendit, ut Falisci, suos id fecisse credentes, spe prædæ diffunderentur.

X. Alexander ex Epirotis adversus Illyrios collocata in insidiis manu, quosdam ex suis habitu Illyriorum instruxit, & iussit vastare suam [id est, Epiroticam] regionem: quod cum Illyrii viderent fieri, ipsi passim prædari cœperunt, eo securius, quod præcedentes veluti pro exploratoribus habebant; à quibus ex industria in loca iniqua deducti, cæsi fugatique sunt.

XI. Leptenes quoque Syracusanus adversus Carthaginienses, vastari suos agros, &

& incendi villas castellaque quædam imperavit. Carthaginienses à suis id fieri rati, & ipsi tanquam in adiutorium exierunt, exceptique ab insidiatoribus fusi sunt.

XII. Maharbal, missus à Carthaginiensibus adversus Aphros rebellantes, cum sciret, gentem avidam esse vini, magnum eius modum mandragora permiscuit, cuius inter venenum ac soporem media vis est: tunc prœlio levi commisso, ex industria cessit: nocte deinde intempesta, relictis intra castra quibusdam sarcinis, & omni vino infecto, fugam simulavit: cumque barbari, occupatis castris, in gaudium effusi, medicatum avide merum hausissent, & in modum defunctorum strati iacerent, reversus cepit eos, ac trucidavit.

XIII. Hannibal, cum sciret, sua & Romanorum castra in eis locis esse quæ lignis deficiebantur, ex industria in regione deserta plurimos armentorum greges intra vallum reliquit: qua velut præda Romani potiti in summis lignationis angustiis, insalubribus se cibis onerarunt: Hannibal reducto nocte exercitu, securos eos, & semicruda graves carne, maiorem in modum vexavit.

XIV. Tiberius Gracchus, in Hispania, certior factus, hostē inopem commercio laborare, instructissima castra omnibus

bus eſculentis deſeruit, quæ adeptum hoſtem, & repertis intemperanter repletum, gravemque, reducto exercitu, ſubito oppreſſit.

XV. Hi qui adverſus Erythræos bellum gerebant, ſpeculatorem eorum in loco edito deprehenſum occiderunt, & veſtem eius militi ſuo dederunt, qui ex eodem iugo Erythræos ſigno dato in inſidias evocavit.

XVI. Arabes, cum eſſet nota conſuetudo eorum, qua de adventu hoſtium interdiu fumo, nocte igne ſignificare inſtituerant, ut ſine intermiſſione ea fierent præceperunt, adventantibus autem adverſariis intermitterent: qui cum ceſſantibus luminibus exiſtimarent, ignorari adventum ſuum, avidius ingreſſi oppreſſique ſunt.

XVII. Alexander Macedo, cum hoſtis in ſaltu editiore caſtra communiſſet, ſeducta parte copiarum, præcepit his, quos relinquebat, ut ex more ignes excitarent, ſpeciemque præberent totius exercitus: ipſe autem per avias regiones circumducta manu, hoſtem, ſuperiore aggreſſus loco, depulit.

XVIII. Memnon Rhodius rex cum equitatu prævaleret, & hoſtem in collibus ſe continentem, in campos vellet deducere, quoſdã ex militibus ſuis, ſub ſpecie perfugæ

fugæ misit in hostium castra, qui affirmarent exercitum Memnonis iam perniciosa seditione furere, ut & subinde aliqua pars eius dilaberetur. Huic affirmationi ut fidem faceret, passim in conspectu hostium iussit parva castella muniri, velut in ea se recepturi essent qui diffidebant: hac persuasione solicitati qui in montibus se continuerant, in plana descenderunt, & dum castella tentant, ab equitatu circumventi sunt.

XIX. Harridas rex Molossorum, bello petitus ab Ardie Illyrio, maiorem aliquanto exercitum habente, molitus imbelles suorum, in vicinam regionem Ætoliæ famam sparsit, tanquam urbes ac res suas Ætolis concederet. Ipse cum his qui arma ferre poterant, insidias in montibus, & locis confragosis distribuit. Illyrii timentes, ne quæ Molossorum erant, ab Aetolis occuparentur, velut ad prædam festinantes, ordinibus neglectis, accelerare cœperunt: quos dissipatos, nihil tale exspectantes, Harridas ex insidiis fudit, fugavitque.

XX. T. Labienus C. Cæsaris legatus, adversus Gallos, ante adventum Germanorum, quos auxilio his venturos sciebat, confligere cupiens, diffidentiam simulavit, positisque in diversa ripa castris, profectionem edixit in posterum diem. Galli, cre-
dentes

dentes, cum fugere, flumen, quod medium erat, instituerunt transmittere. Labienus, circumacto exercitu, inter ipsas superandi amnis difficultates eos cecidit.

XXI. Hannibal, cum explorasset, negligenter castra Fulvii Romani ducis munita, ipsum præterea multa temere audere, prima luce, cum densiores nebulæ præstarent obscuritatem, paucos milites munitionum nostrarum vigilibus ostendit: quo Fulvius repente movit exercitum. Hannibal per diversam partem castra eius occupavit: & ita in tergum Romanorum effusus, octo millia fortissimorum militum, cum ipso duce, trucidavit.

XXII. Idem Hannibal, cum inter Fabium Dictatorem & Minutium Magistrum equitum divisus esset exercitus, & Fabius occasionibus immineret, Minutius pugnādi cupiditate flagraret, castra in campo, qui medius inter hostes erat, posuit: & cum partem peditum in confragosis rupibus celasset, ipse ad evocandum hostem misit qui proximum tumulum occuparent: ad quos opprimendos cum eduxisset copias Minutius, insidiatores, ab Hannibale dispositi, subito consurrexerunt, & delessent Minutii exercitum, nisi Fabius periclitantibus subvenisset.

XXIII. Idem Hannibal, cum ad Trebiam in conspectu haberet Sempronii

Lon-

Longi Coss. castra, medio amne interfluente, sævissima hyeme, Magonem & electos in insidiis posuit. Deinde Numidas equites, ad eliciendam Sempronii credulitatem, adequitare vallo eius iussit: quibus præceperat, ut ad primum nostrum incursum per nota refugerent vada. Hos Consul & adortus temere, & secutus, ieiunum exercitum in maximo frigore transitu fluminis rigere fecit. Mox torpore & inedia affectis Hannibal suum militem opposuit, quem ad id ignibus, oleoque & cibo foverat: nec defuit partibus Mago, quin terga hostium in hoc ordinatus cæderet.

XXIV. Idem Hannibal ad Thrasymenum, cum arcta quædã via in radices montis & campos patentes duceret, simulata fuga per angustias ad patentia evasit, ibique castra posuit; ac nocte dispositis militibus, & per collem qui imminebat, & in lateribus angustiarum, prima luce, nebula quoque adiutus, aciem direxit. Flaminius velut fugientem insequens, cum angustias esset ingressus, non ante providit insidias, quam simul à fronte, lateribus, tergo circumfusus, ad internecionem cum exercitu cæderetur.

XXV. Idem Hannibal, adversus Junium Dictatorem, nocte intempesta sexcentis equitibus imperavit, ut in plures turmas

turmas segregati per vices, sine intermissione circa castra hostium se ostentarent. Ita tota nocte Romanis in vallo, statione ac pluvia, quæ forte continua fuerat, inquietatis confectisque, cum receptui signum iam Junius dedisset, Hannibal suos requietos reduxit, & castra eius invasit.

XXVI. Epaminondas Thebanus, in eundem modum, cum Lacedæmonii Athmon vallo ducto Peloponneson tuerentur, paucorum opera levis armaturæ, tota nocte inquietavit hostem: ac deinde prima luce vocatis suis, cum Lacedæmonii se recepissent, subito universum exercitum quem quietum habuerat, admovit, & per ipsa munimenta destituta propugnatoribus irrupit.

XXVII. Hannibal directa acie ad Cannas sexcentos equites Numidas iussit transfugere, qui ad fidem faciendam, gladios & scuta nostris tradidere: & in ultimum agmē recepti, ubi primum concurri cœpit, strictis minoribus (quos occultaverant) gladiis, scutis iacentium assumtis, Romanorum aciem ceciderunt.

XXVIII. Iapyges P. Licinio Procos. pagos quoque sub specie deditionis obtulerunt, qui recepti, & in postrema acie collocati, terga Romanorum ceciderunt.

XXIX. Scipio Aphricanus, cum adver-

sa

ſa haberet bina hoſtium caſtra, Syphacis & Carthaginienſium, ſtatuit Syphacis, ubi multa incendiis alimenta erant, aggredi nocte, ignemque iniicere; ut ex ea re Numidas quidem ex ſuis caſtris trepidantes cæderet; Pœnos autem, quos certum erat ad ſuccurrendum ſociis procurſuros, inſidiis diſpoſitis exciperet: utrumque ex ſententia ceſſit.

XXX. Mithridates à Lucullo virtute frequenter ſuperatus, inſidiis eum appetiit, Adathante quodam eminente viribus ſubornato, ut transfugeret: & fide pacta hoſti, facinus perpetraret: quod is ſtrenue quidem, ſed ſinè eventu conatus eſt: receptus enim à Lucullo in gregem equitum, non ſine tacita cuſtodia habitus eſt: quia nec credi ſubito transfugæ, nec inhiberi reliquos oportebat. Cum deinde, frequentibus excurſionibus, promptam & enixam operam exhiberet, fide acquiſita, tempus elegit, quo miſſa principia quietem omnibus caſtrenſibus dabant, prætoriumque ſecretius præſtabant. Caſus adiuvit Lucullum. Nam qui ad vigilantem uſque admitteretur, fatigatum nocturnis cogitationibus illo tempore quieſcentem invenit. Cum deinde, tanquam nunciaturus aliquid ſubitum ac neceſſarium, intrare vellet, & pertinaciter à ſervis valetudini domini conſulentibus excluderetur, veritus, ne ſu-

ſpectus eſſet, equis quos ante portam paratos habebat, ad Mithridatem refugit irritus.

XXXI. Sertorius, in Hiſpania, cum apud Lauronem oppidũ vicina caſtra Pompeii caſtris haberet, & duæ tantummodo regiones eſſent, ex quibus pabulum peti poſſet, una in propinquo, altera longius ſita: eã, quæ in propinquo erat, ſubinde à levi armatura infeſtari, ulteriorem autem vetuit ab ullo armato adiri, donec perſuaſit adverſariis, tutiorem eſſe quæ erat remotior: quam cum petiiſſent Pompeiani, Octavium Græcimum cum decem cohortibus in morem Romanorum armatis, & decem Hiſpanorum levis armaturæ, & Tarquinium Priſcum cum duobus millibus equitum, ire iubet ad inſidias tendendas pabulatoribus. Illi ſtrenue imperata faciunt: explorata enim lccorum natura, in vicina ſilva nocte prædictas copias abſcondunt: ita ut in prima parte leves Hiſpanos, aptiſſimos ad furta bellorum, ponerent: paulo interius ſcutatos: in remotiſſimo equites, ne fremitu equorum cogitata proderentur. quieſcere omnes ſilentio ſervato in horam tertiam diei iubet. cum deinde Pompeiani ſecuri ſervatique pabulo de reditu cogitarent, & hi quoque, qui in ſtatione fuerant, quiete invitati ad pabulum colligendum dilaberentur, emiſſi primum Hiſpani,

ſpani, velocitate gentili in palantes effunduntur, & convulnerant confunduntque, nihil tale expectantes : prius deinde quam reſiſti his inciperet, ſcutati erumpunt è ſaltu, & redeuntes in ordinem conſternunt, vertuntque : fugientibus equites immiſſi: toto eo ſpacio quo redibatur in caſtra perſecuti cæduntur. curatum quoque, ne quis effugeret:nam reliqui ducenti & quinquaginta equites præmiſſi, facile per compendia itinerum, effuſis habenis, antequam ad caſtra Pompeii pervenieretur, converſi, occurrerunt eis qui primi fugerant. Ad cuius rei ſenſum Pompeio immittente legionem cum Lælio in præſidium ſuorum, ſubducti in dextrum latus velut ceſſerunt equites : deinde & cum ita legionem hanc tergo infeſtarent, cum iam etiam à fronte qui pabulatores perſecuti erant incurſarent, ſic legio quoque inter duas acies hoſtium cum legato ſuo eliſa eſt. Ad cuius pręſidium Pompeio totum educente exercitum, Sertorius quoque è collibus ſuos inſtructos oſtendit, effecitque, ne Pompeio expediret: ita præter duplex damnum, eadẽ ſolertia illatum, ſpectatorem quoque eum cladis ſuorum continuit. Hoc primum prœlium inter Sęrtorium & Pompeiũ fuit: decem millia hominum de Pompeii exercitu amiſſa, & omnia impedimenta, Livius auctor eſt.

XXXII.

XXXII. Pompeius, in Hispania, dispositis ante, qui ex occulto aggrederentur, simulato metu, deduxit instantem hostem in loca infesta: deinde ubi res popoſcerunt, converſos & in fronte & utriſque lateribus ad internecionem cecidit, capto etiam duce eorum Perpenna.

XXXIII. Idem adverſus Mithridatem, in Armenia, numero & genere equitum prævalentem, tria millia levis armaturæ, & quingentos equites, nocte in valle ſub virgultis, quæ inter bina caſtra erant, diſpoſuit: prima deinde luce in ſtationem hoſtium emiſit equites ita firmatos, ut cum univerſus cum exercitu hoſtium equitatus prœlium iniſſet, ſervatis ordinibus paulatim cederent, donec ſpatium darent, conſurgendi à tergo, ob hoc diſpoſitis. quod poſtquam ex ſententia contigit, converſis qui terga dediſſe videbantur, medium hoſtem trepidantem cecidit: ipſos etiam equos pedite cominus accedente confodit: eoque prœlio fiduciam regi, quam in equeſtribus copiis habebat, detraxit.

XXXIV. M. Craſſus, bello fugitivorum, apud Cathenam bina caſtra cominus cum hoſtium caſtris vallavit: nocte deinde commutatis copiis, manente prætorio in maioribus caſtris, ut fallerentur hoſtes, ipſe omnes ccpias eduxit, & in radicibus

præ-

prædicti montis constituit: divisoque equitatu præcepit L. Quintio partem Spartaco obiiceret, pugnaque eum frustraretur: arte alia Gallos Germanosque ex factione Casti & Gannici eliceret ad pugnam, & pugna simulata deduceret, ubi ipse aciem instruxerit. Quos cum barbari insecuti essent, equite recedente in cornua, subito acies Romana adaperta cum clamore concurrit. Triginta quinque millia armatorũ eo prœlio interfecta cum ipsis ducibus Livius tradidit, receptas quinque Romanas aquilas, signa sex & viginti, multa spolia, inter quæ quinque faces cum securibus.

XXXV. C. Cassius, in Syria adversus Parthos ducens aciem, equitem ostendit à fronte, cum à tergo peditem in confragoso loco occultasset; dein cedente equitatu & per nota se recipiente, in præparatas insidias perduxit exercitum Parthorum, & cecidit.

XXXVI. Ventidius, Parthos & Labienum alacres successibus victoriarum, dum suos ipse per simulationem metus continet, evocavit: & in loca iniqua deductos, aggressus per obreptionẽ, adeo debellavit, ut destituti Labieno, provincia excederent Parthi.

XXXVII. Idem, adversus Pharnastanis Parthos, cum ipse exiguum numerum militum haberet, illis autem fiduciam ex

multitudine videret increſcere, ad latus caſtrorum, octodecim cohortes in obſcura valle poſuit, equitatu poſt terga militum collocato: tum paucos admodum milites in hoſtem miſit, qui ubi ſimulata fuga hoſtem effuſe ſequentem, ultra locum inſidiarum perduxere, coorta à latere acie, præcipitatis in fugam his, Pharnaſtanem interfecit.

XXXVIII. C. Cæſar, ſuis & Afranianis caſtris contrarias tenentibus planicies, cum utriuſque partis plurimum intereſſet, colles proximos occupare, idque propter ſaxorum aſperitatem eſſet difficile, tanquā Ilerdam repetiturum, retro agmen ordinavit, faciente inopia fidem deſtinationi. Intra breviſſimum deinde ſpatium, exiguo circuitu flexit repente ad montes occupandos. Quo viſu perturbati Afraniani, velut captis caſtris, & ipſi effuſo curſu eoſdem montes petiere: quod futurum cum prædivinaſſet Cæſar, partim peditatu, quem præmiſerat, partim à tergo ſubmiſſis equitibus, inordinatos eſt adortus.

XXXIX. Antonius, apud Forum Gallorum, cum Panſam Cos. adventare comperiſſet, inſidiis per ſilveſtria Æmiliæ viæ diſpoſitis, agmen eius excepit, fuditque: & ipſum eo vulnere affecit, quo intra paucos dies exanimaretur.

XL. Juba rex, in Aphrica, bello civili, Curio-

Curionis animum ſimulato regreſſu impulit in vanam alacritatem: cuius ſpei vanitate deceptus Curio, dum tanquam fugientem Saboram regium præfectum perſequitur, devenit in patentes campos, ubi Numidarum circumventus equitatu, perdito exercitu, cecidit.

XLI. Melanthus dux Athenienſium, cum provocatus à rege hoſtium Xantho Bœotio, deſcendiſſet ad pugnam, ut primũ cominus ſtetit, Inique, (inquit) Xanthe, & contra pactum facis; adverſus ſolum enim cum altero proceſſiſti: cumque admiratus ille, quiſnam ſe comitaretur reſpexiſſet, aversum uno ictu confecit.

XLII. Iphicrates Athenienſis ad Cherroneſum, cum ſciret, Lacedæmoniorũ ducem Anaxibium exercitum pedeſtri itinere ducere, firmiſſimam manum militum eduxit è navibus, & in inſidiis collocavit: naves autem omnium, tanquam onuſtas milite, palam tranſnavigare iuſſit: ita ſecuros, & nihil expectantes Lacedæmonios, à tergo ingreſſus, itinere oppreſſit, fuditque.

XLIII. Liburni, cum vadoſa loca obſediſſent, capitibus tantum eminentibus, fidem fecerunt hoſti alti maris, ac triremem, quæ eos perſequebatur, implicatam vado ceperunt.

XLIV. Alcibiades dux Athenienſium,

in Hellespionto adversus Numidarum & Lacedæmoniorum ducem, cum amplum exercitum & plures naves haberet, nocte expositis in terram quibusdam militum suorum, parte quoq; navium post quædam promontoria occultata, ipse cum paucis profectus, ita ut contemtu sui hostem invitaret, eundem insequentem fugit, donec in præparatas insidias induceret: aversumque deinde, & egredientem in terram, per eos, quos ad hoc ipsum exposuerat, cecidit.

XLV. Idem, navali prœlio decertaturus, constituit malos quosdam in promontorio; præcepitque his, quos ibi relinquebat, ut cum prœlium commissum sensissent, panderent vela. Quo facto consequutus est, ut hostes aliam classem in auxilium supervenire ei arbitrati, verterentur.

XLVI. Memnon Rhodius, navali prœlio, cum haberet ducentarum navium classem, & hostium naves elicere ad prœlium vellet, ita ordinavit suos, ut paucarum navium malos erigerent, easque primas agi iuberent: hostes autem procul conspicati numerum arborum, & ex eo navium quoque coniectantes, obtulerunt se certamini, & à pluribus occupati superatique sunt.

XLVII. Timotheus dux Atheniensium,

sium, adversus Lacedæmonios navali acie decertaturus, cum instructa classis eorum ad pugnandum processisset, ex velocissimis navibus viginti præmisit, quæ omni arte varioque flexu eluderent hostem: ut primum sensit, deinde minus agiliter moveri adversam partem, progressos prælassatos facile superavit.

CAP. VI.

De emittendo hoste, ne clausus prœlium ex desperatione redintegret.

EXEMPLUM I.

GALLOS, eo prœlio quod Camilli ductu gestum est, desiderantes navigia, quibus Tiberim transirent, Senatus censuit transvehendos, & commeatibus quoque prosequendos. Eiusdem generis hominibus postea per Pomptinum agrum fugientibus via data est, quæ Gallica appellatur.

II. L. Martius eques Romanus, cui duobus Scipionibus occisis, exercitus imperium detulit, cum circumventi ab eo Pœni, ne inulti morerentur, acrius pugnarent, laxatis manipulis, & concesso fugæ spacio, dissipatos sine periculo suorum trucidavit.

III. C. Cæsar Germanos inclusos, ex de-

desperatione fortius pugnantes, emitti iussit, fugientesque aggressus est.

IV. Hannibal, cum ad Thrasymenum inclusi Romani acerrime pugnarent, deductis ordinibus fecit eis abeundi potestatem, euntesque sine suorum sanguine stravit.

V. Antigonus rex Macedonum Ætolis, qui in obsidionem ab eo compulsi, fame urgebantur, statuerantque eruptione facta commori, viam fugæ dedit, atque ita infracto impetu eorum, insecutus aversos cecidit.

VI. Agesilaus Lacedæmonius, adversus Thebanos cum acie confligeret, intellexissetque, hostes locorum conditione clausos, ob desperationem fortius dimicare: laxatis suorum ordinibus, apertaque Thebanis ad evadendum via, rursus in abeuntes contraxit aciem, & sine iactura suorum cecidit aversos.

VII. Cn. Manlius Cos. cum ex acie reversus capta ab Hetruscis Romana castra invenisset, omnibus portis statione circundatis, inclusos hostes in eam rabiem efferavit, ut ipse in prœlio caderet. Quod ut animadverterunt legati eius, ab una parte remota statione, exitum Hetruscis dederunt, & effusos persecuti, occurrente altero Consule Fabio, ceciderunt.

VIII. Themistocles victo Xerxe, volen-

lentes suos pontem rumpere prohibuit, cum docuisset, potius esse, eum expelli ex Europa, quam cogi ex desperatione pugnare. Idem misit ad eum, qui indicaret, in quo periculo esset, nisi fugam maturaret.

IX. Pyrrhus Epirotarum rex, cum quandam civitatem cepisset, clausisque portis ex ultima necessitate fortiter dimicantes eos, qui inclusi erant, animadvertisset; locum illis ad fugam dedit.

X. Idem, inter cætera præcepta imperatoria memoriæ tradidit, non esse pertinaciter instandum hosti fugienti: non solum, ne fortius ex necessitate resisteret, sed ut postea quoque facilius acie cederet, ratus, non usque ad perniciem fugientibus instaturos victores.

CAP. VII.

De dissimulandis adversis.

EXEMPLUM I.

TULLUS Hostilius rex Romanorum, commisso adversus Veientes prœlio, cum Albani, deserto exercitu Romanorum, proximos peterent tumulos, eaq; res turbasset nostrorum animos, clare pronunciavit, iussu suo Albanos id fecisse, ut hostẽ circumveniret. Quæ res & terrorẽ Veientibus, & Romanis fiduciam attulit; remque

inclinatam consilio restituit.

II. L. Sylla, cum præfectus eius, comitante non exigua equitum manu, commisso iam prœlio, ad hostes transfugisset, pronunciavit iussu suo id factum; eaque ratione militum animos non tantum à confusione retraxit, sed quadam etiam spe utilitatis, quæ id consilium secutura esset, confirmavit.

III. Idem, cum auxiliares eius missi ab ipso, circumventi ab hostibus, interfecti essent, vereretur que, ne propter hoc damnũ, universus trepidaret exercitus, pronuntiavit, auxiliares, qui ad defectionem conspirassent, consilio à se in loca iniqua deductos: ita manifestissimam cladem, ultionis simulatione velavit, & militum animos hac persuasione confirmavit.

IV. Scipio, cum Syphacis legati nuntiarent ei regis sui nomine, ne fiducia societatis eius, ex Sicilia in Aphricam transiret, veritus ne confunderentur animi suorum abscissa peregrina societate, dimisit propere legatos, & famam diffudit tanquam ultra à Syphace accerseretur.

V. Q. Sertorius, cum acie decertaret, barbarum, qui ei nunciaverat Herculeium periisse, pugione traiecit, ne & in aliorum id notitiam perferret, & ob hoc animi suorum infirmarentur.

VI. Alcibiades Atheniensis, cum ab Aby-

bydenis prœlio urgeretur, subitoque magno cursu tristem advertisset adventare tabellarium, prohibuit palam dicere quid afferret. Deinde secreto sciscitatus, à Pharnabazo regio præfecto classem suam oppugnari, celatis & hostibus & militibus prœlium finiit, ac protenus ad eripiendam classem ducto exercitu suis opem tulit.

VII. Hannibalem venientem in Italiam tria millia Carpetanorũ reliquerunt: quos ille extemplo, ne & cęteri moverentur, edixit à se esse dimissos, & insuper, in fidem eius rei, paucos levissimæ operæ domum remisit.

VIII. L. Lucullus, cum animadvertisset, Macedonas equites, quos in auxilio habebat, subito cõsensu ad hostem transfugere, signa canere iussit, & turmas, quæ eos sequerentur, immisit: hostis committi prœlium ratus, transfugientes telis excepit Macedones; qui cum viderent, neque recipi se ab adversariis, & premi ab his, quos deserebant, necessario ad iustum prœlium conversi hostem invaserunt.

IX. Datames dux Persarum, adversus Authophradatem in Cappadocia, cum partem equitum suorum transfugere comperisset, cæteros omnes venire secum iussit, assecutusque transfugas collaudavit, quod eum alacriter præcessissent, hortatusque est eos etiam, ut fortiter hostem adorirentur:

pudor transfugis attulit pœnitentiam ; & consilium suum (quia non putabant deprehensum) mutaverunt.

X. T. Quintius Capitolinus Cos. cedentibus Romanis ementitus est in altero cornu hostes fugatos , & ita confirmatis suis victoriam retulit.

XI. Cn. Manlius, adversus Hetruscos, vulnerato collega Fabio, qui sinistrum cornu ducebat, & ob id parte cedente, quod etiam occisum crederent Consulem, cum turmis equitum occurrit, clamitans, & collegam vivere, & se dextro cornu vicisse. Qua constantia redintegratis animis suorum vicit.

XII. Marius adversus Cimbros & Teutonos, cum metatores eius per imprudentiam ita castris locum cepissent, ut sub potestate barbarorum esset aqua , flagitantibus eam suis, digito hostem ostendens, Illinc (inquit) petenda est. Quo instinctu assecutus est, ut protenus barbari tollerentur.

XIII. T. Labienus post Pharsalicam pugnam, cum victis partibus Dyrrhachium refugisset, miscuit vera falsis, & non celato exitu pugnæ, æquatam partium fortunam gravi vulnere Cæsaris finxit: & hac assimulatione reliquis Pompeianarum partium fiduciam fecit.

XIV. M. Cato, cum Ambraciam , eo tem-

tempore, quo sociæ naves ab Ætolis oppugnabantur, imprudens uno lembo appulisset, quanquam nihil secum præsidii haberet, cœpit signum voce gestuque dare, quo videretur subsequentes suorum naves vocare: eaque asseveratione hostem terruit, tanquam plane appropinquarent, qui quasi è proximo citabantur. Ætoli, ne adventu Romanæ classis opprimerentur, reliquerunt oppugnationem.

CAP. VIII.

De constituenda per constantiam acie.

EXEMPLUM I.

SERVIUS Tullius adolescens, prœlio quo Tarquinus rex adversus Sabinos conflixit, signiferis segnius dimicantibus, raptum signum in hostem misit, cuius recipiendi gratia Romani ita ardenter pugnaverunt, ut & signum & victoriam retulerint.

II. Furius Agrippa Cos. cedente cornu, signum militare ereptum signifero, in hostes Hernicos & Æquos misit: quo facto eius prœlium restitutum est. Summa enim alacritate Romani ad recipiendum signum incubuerunt.

III. T. Quintius Capitolinus Cos. signum

gnum in hostes Faliscos eiecit, militesque id repetere iussit.

IV. M. Furius Camillus Tribunus militum consulari potestate, cunctante exercitu, arreptum manu signiferum in hostes Volscos & Latinos traxit, cæteros puduit non sequi.

V. Salvius Pelignus, bello Persico idem fecit.

VI. Q. Furius, averso exercitu, cum occurrisset, affirmavit, non recepturum se in castra quemquam nisi victorem; reductisque in aciem suis, victoria potitus est.

VII. Scipio apud Numantiam, cum aversum suum videret exercitum, pronuntiavit sibi pro hoste futurum, quisquis in castra redisset.

VIII. Servilius Priscus Dictator, cum signa legionum ferri in hostes Faliscos iussisset, signiferum cunctantem occidi impesavit. quo exemplo perterriti hostem invaserunt.

IX. Cossus Cornelius Magister equitum adversus Fidenates idem fecit.

X. Tarquinius adversus Sabinos cunctantes equites, detractis frenis, concitatisque equis, procurrerere & perrumpere aciem iussit.

XI. M. Attilius Cos. bello Samnitico, ex acie refugientibus in castra militibus, aciē suo-

ſuorum oppoſuit, affirmans, ſecum & cum bonis civibus dimicaturos eos, niſi cum hoſtibus maluiſſent. ea ratione univerſos in aciem reduxit.

XII. L. Sylla, cedentibus iam legionibus exercitui Mithridatico, ductu Archelai, ſtricto gladio in primam aciem procucurrit, appellanſque milites dixit; Si quis quæſiſſet, ubi Imperatorem reliquiſſent, reſponderent, pugnantem in Bœotia. cuius rei pudore univerſi eum ſecuti ſunt.

XIII. D. Julius, ad Mundam ſuis referentibus pedem, equum abduci à conſpectu ſuo iuſſit, & in primam aciem pedes proſiliit: milites dum deſtituere Imperatorem erubeſcunt, redintegrarunt prœlium.

XIV. Philippus, veritus ne impetum Scytharum ſui non ſuſtinerent, fideliſſimos equitum à tergo poſuit, præcepitque, ne quem commilitonum ex acie fugere paterentur, perſeverantius abeuntes trucidarent. Qua denuntiatione cum effeciſſet, ut etiam timidiſſimi mallent ab hoſtibus quam à ſuis interfici, victoriam acquiſivit.

CAP.

CAP. IX.

De confirmandis reliquiis belli, si res prospere cesserit.

EXEMPLUM I.

C. MARIUS, victis prœlio Teutonis, reliquias eorum (quia nos circumvenerat) circumsedens, sublatis subinde clamoribus, per paucos suorum territavit, insomnemque hostem detinuit; ex eo consecutus, ut postero die irrequietum facilius debellaret.

II. Claudius Nero, victis Pœnis, quos Hasdrubale duce in Italiam ex Hispania traiicientes exceperat, caput Hasdrubalis in castra Hannibalis eiecit: quo factum est, ut & Hannibal luctu, (nam frater occisus erat) & exercitus desperatione adventantis præsidii affligeretur.

III. L. Sylla his, qui Præneste obsidebantur, occisorum in prœlio ducum capita hastis præfixa ostendit, atque ita obstinatorum pervicaciam fregit.

IV. Arminius dux Germanorum, capita eorum, quos occiderat, similiter præfixa, ad vallum hostium admoveri iussit.

V. Domitius Corbulo, cum Tigranocertam obsideret, & Armenii pertinaciter viderentur toleraturi obsidionem, in quendam

dam ex Megiſtanis, quos ceperat, animadvertit, caputque eius baliſta excuſſum, intra munimenta hoſtium miſit: id forte decidit in medium concilium, quod tum cum maxime habebant barbari, ad cuius conſpectum velut oſtento conſternati ad deditionem feſtinaverunt.

VI. Hermocrates Syracuſanus, ſuperatis acie Athenienſibus; veritus, ne captivi, quorum ingentem manum in poteſtatem redegerat, parum diligenter cuſtodirentur, quia eventus dimicationis in epulas & ſecuritatem compellere victores poterat, finxit, proxima nocte equitatum hoſtilem venturum: qua expectatione aſſecutus eſt, ut attentius vigiliæ agerentur.

VII. Idem, rebus proſpere geſtis, & ob id reſolutis ſuis in nimiam ſecuritatem, ſomnoque & mero preſſis, in caſtra transfugam miſit, qui præmoneret, ſe fuga elapſum: diſpoſitas enim ubique à Syracuſanis inſidias: quarum metu recepit aciem. [Illi cum adventarent, perſecuti, in foſſas deciderunt, & eo modo victi ſunt.]

CAP. X.

De adversis emendandis, si res durius cesserit.

EXEMPLUM I.

T. DIDIUS, in Hispania, cum acerrimo prœlio conflixisset, quod nox diremerat, magno numero utrinque cæso, complura suorum corpora atra nocte sepelienda curavit. Hispani postero die ad simile officium progressi, quia plures ex ipsorum numero, quam ex Romanis cæsos repererant, victos se esse secundum eam dinumerationem argumentati, ad conditiones Imperatoris descenderunt.

II. T. Martius eques Romanus, qui reliquiis exercitus duorum Scipionum præfuit, cum in propinquo bina castra Pœnorum paucis millibus passuum distarent, cohortatus milites, proxima castra intempesta nocte adortus est: & cum hostem victoriæ fiducia incompositum aggressus, ne nuntios quidem cladis reliquisset, brevissimo tempore militi ad requiem dato, eadem nocte raptim famam rei gestæ prægressus, altera eorundem castra invasit. Ita bis simili usus eventu, deletis ubique Pœnis, amissas populo Romano Hispanias restituit.

CAP.

CAP. XI.

De dubiorum animis in fide retinendis.

EXEMPLUM I.

P. VALERIUS, Epidauri, timens oppidanorum perfidiam, quia parum præsidii habebat, gymnicos ludos procul ab urbe apparavit. Quo cum omnis fere multitudo spectandi caussa exisset, clausit portas, nec in eas antea admisit Epidaurios, quam obsides à principibus acciperet.

II. Cn. Pompeius, cum suspectos haberet Catinenses, & vereretur, ne præsidium non reciperent, petiit ab eis, ut ægros interim apud se refici paterentur: fortissimis deinde, habitu languentium missis, civitatem occupavit continuitque.

III. Alexander, devicta perdomitaque Thracia petens Asiam, veritus ne post ipsius discessum sumerent arma, reges eorum, præfectosque, & omnes, quibus videbatur inesse cura detractæ libertatis, secum velut honoris caussa traxit: ignobilibus autem relictis, plebeios præfecit: consecutus, uti principes beneficiis eius obstricti, nihil novare vellent: plebs vero ne posset quidem spoliata principibus.

IV. Antipater, conspecto priore Neciorum exercitu, qui audita morte Alexandri

ad

ad infestandum imperium eius confluxerant, dissimulans, se scire qua mente venissent, gratias his egit, quod ad auxilium ferendum Alexandro adversus Lacedæmonios convenissent: adiecitque, id se regi scripturum. Cæterum ipsos, quia sibi opera eorum in præsentia non esset necessaria, abirent domos, hortatus est: & hac asseveratione periculum, quod ex novitate rerum imminebat, discussit.

V. Scipio Africanus, in Hispania, cum inter captivas alias eximiæ formæ virgo, & nobilis, ad eum perducta esset, omniumque oculos in se converteret, summa custodia habitam sponso nomine Luceio reddidit: insuperque aurum, quod parentes eius redempturi captivam domum Scipioni attulerant, eidem sposo pro nuptiali munere dedit: qua multiplici magnificentia universa gens victa imperio populi Romani accessit.

VI. Alexandrum quoque Macedonem, traditum est, eximiæ pulchritudinis virgini captivæ, cum finitimæ gentis principi fuisset desponsata, summa abstinentia ita pepercisse, ut illam ne aspexerit quidem. Qua mox ad sponsum remissa, universæ gentis, per hoc beneficium, animos conciliavit sibi.

VII. Imperator Cæsar Augustus [Germanicus,] eo bello, quo victis hostibus cognomen

gnomen Germanici meruit, cum in finibus Vbiorum castellā poneret, pro fructibus eorum locorum, quæ vallo comprehendebat, pretium solvi iussit: atque ea iustitiæ fama omnium fidem astrinxit.

CAP. XII.

Quæ facienda sunt pro castris, si satis fiducia in præsentibus copiis non habeamus.

EXEMPLUM I.

T. QUINTIUS Cos., cum Volsci castra eius aggressuri forent, cohortem tantummodo in statione detinuit, reliquum exercitum ad quiescendum dimisit: æneatoribus præcepit, ut vallũ insidentes equis circumirent, concinerentque. Qua facie & simulatione cum & propulsasset, & detinuisset per totam noctem hostes, ad lucis exortum fessos vigilia, repente facta eruptione, facile superavit.

II. Q. Sertorius, in Hispania, hostium equitatui maxime impar, qui usque ad ipsas munitiones nimia fiducia succedebat, nocte scrobes aperuit, & ante eas aciem direxit: cum demum turmales secundum consuetudinem redire vellent, pronunciavit, comperisse insidias se ab hostibus dispositas: idcirco ne discederent à signis neve laxarent agmen. Quod cum solvere ex discipli-

nafeciſſet, exceptus forte veris inſidiis, quia prædixerat, interritos milites habuit.

III. Chares dux Athenienſium, cum expectaret auxilia, & vereretur, ne interea contemptu præſentis paucitatis hoſtes caſtra eius oppugnarent, complures ex iis, quos habebat, per adverſam partem nocte miſſos, iuſſit qua pręcipue conſpicui forent hoſtibus, redire in caſtra, & accedentium novarum virium ſpeciem præbere: atque ita ſimulatis auxiliis tutatus eſt, donec inſtrueretur expectatis.

IV. Iphicrates Athenienſis, cum campeſtribus locis caſtra haberet, exploraſſetq; Thraces ex collibus, per quos unus erat deſcenſus, nocte ad diripienda caſtra venturos, clam duxit exercitum, & in utroque viæ latere, per quam tranſituri erant Thraces, diſtributum collocavit: hoſtemque decurrentem in caſtra, in quibus multi ignes per paucorum curam inſtituti, ſpeciem manentis ibi multitudinis ſervabant, à lateribus adortus oppreſſit.

CAP. XIII.

De effugiendo.

EXEMPLUM I.

GALLI, pugnaturi cum Attalo, aurum omne & argentum certis cuſtodibus tra-

tradiderunt, quibus si acie fusi essent parceretur, quo facilius colligenda præda hostē impeditum effugerent.

II. Triphon Syriæ rex victus, per totum iter fugiens pecuniam sparsit: eaque sectantes Antiochi equites moratus, effugit.

III. Q. Sertorius pulsus acie à Q. Metello Pio, ne fugam quidem sibi tutam arbitratus, milites dispersos abire iussit, admonitos in quem locum vellet convenire.

IV. Viriatus dux Lusitanorum, copias nostras, locorumque iniquitatem, evasit eadem qua Sertorius ratione, sparso exercitu, deinde recollecto.

V. Horatius Cocles, urgente Porsennæ exercitu, iussit suos per pontem redire in urbem, eumque (ne casu sequeretur hostis) intercidere. Quod dum efficitur, in capite eius propugnator ipse insequentes detinuit. Audito denique fragore pontis abrupti, deiecit se in alveum: eumque non armis sed vulneribus oneratus tranavit.

VI. Afranius, in Hispania ad Ilerdam, cum Cæsarem fugeret, instante eo castra posuit: cum idem Cæsar fecisset, & pabulatum suos dimisisset, ille signū repente itineri dedit.

VII. Antonius, cum ex Parthis sibi instanti-

ſtantibus reciperet exercitum , & quoties prima luce moveret, toties urgentibus barbarorum ſagittis infeſtaretur, abeuntium agmen in quintam horam continuit; ſuiſque fidem conſtantiorem fecit: qua perſuaſione digreſſis inde Parthis, iuſtum iter reliquo die ſine interpellatione confecit.

VIII. Philippus, in Epiro victus, ne fugientem eum Romani premerent, inducias ad ſepeliendum eos, qui cæſi erant, impetravit: & ob id remiſſioribus cuſtodibus evaſit.

IX. P. Claudius, navali prœlio ſuperatus à Pœnis, cum per hoſtium præſidia neceſſe haberet erumpere, reliquas viginti naves tanquam victrices iuſſit ornari: atque ita Pœnis exiſtimantibus ſuperiores fuiſſe acie noſtros, terribilis exceſſit.

X. Pœni claſſe ſuperati, quia inſtantem avertere Romanum ſtudebant, ſimulaverunt, in vada naves ſuas incidiſſe; herenteſque imitati, effecerunt, ut victor eorum, timens caſum, ſpatium ad evadendum daret.

XI. Comminius Atrebas, cum victus à D. Julio ex Gallia in Britanniam fugeret, & foret ad Oceanum ſecundo vento quidem, ſed æſtu recedente veniſſet, quamvis naves in ſiccis littoribus hærerent, pandi nihilominus vela iuſſit. Quæ cum perſe-

quens

quens eum Cæsar ex longinquo tumentia & flatu plena vidisset, ratus, prospero sibi eripi cursu, recessit.

SEXTI
IVLII FRONTINI,
VIRI CONSULARIS,
STRATEGEMATICΩN
LIBER TERTIUS.

SI PRIORES libri responderunt titulis suis, & lectorem hucusque cum attentione perduxerunt: edam nunc circa oppugnationes urbium defensionesque strategemata: nec morabor ulla prælocutione, prius traditurus, quæ oppugnandis urbibus usui sunt, tum quæ obsessos instruere possint. Depositis autem operibus & machinamentis, quorum expleta iam pridem inventione, nullam video ultra artium materiam; has

circa expugnationem species strategematicωn fecimus:

Ex contrario circa tutelam obsessorum:

Cap.

CAP. I.

De repentino impetu.

EXEMPLUM I.

T. QUINTIUS Cos. victis acie Æquis & Volſcis, cum Antium oppidum expugnare ſtatuiſſet, ad concionem vocato exercitu, expoſuit quam id neceſſarium & facile eſſet, ſi non differretur: eoque impetu, quem exhortatio concitaverat, aggreſſus eſt urbem.

II. M. Cato animadvertit, in Hiſpania, potiri ſe quodam oppido poſſe, ſi inopinantes invaderet: quatridui itaque iter biduo per confragoſa & deſerta emenſus, nihil tale metuentes oppreſſit hoſtes. victoribus deinde ſuis cauſſam tam facilis eventus requirentibus, dixit: tum illos victoriam adeptos, cum quatridui iter biduo arripuerunt.

CAP. II.

De fallendis iis qui obſidentur.

EXEMPLUM I.

DOMITIUS Calvinus, cum obſideret Lucam oppidum Ligurum, ſitu non tantum & operibus, verum etiam propu-

gnatorum præstantia tutum, circuiri muros frequenter omnibus copiis instituit, easdemque reducere in castra. Qua consuetudine inductis ita oppidanis, ut crederent exercitationis id gratia facere Romanum, & ob hoc nil ab eo conatu caventibus, morem illum obambulandi in subitũ direxit impetum: occupatisque mœnibus expressit, ut se ipsos dederent & oppidum.

II. C. Duillius Cos. subinde exercendo milites remigesque, consecutus est, ut securis Carthaginiensibus usque in id tempus innoxiæ consuetudinis, subito admota classe, murum occuparet.

III. Hannibal, in Italia, multas urbes cepit, cum Romanorum habitu quosdam suorum ex longo belli usu Latine quoque loquentes præmitteret.

IV. Arcades, Messeniorum castellum obsidentes, factis quibusdam armis ad similitudinem hostilium, eo tempore quo successura alia præsidia his exploraverant, instructi eorum qui expectabantur ornatu, admissique per hunc errorem, ut socii, possessionem loci strage hostium adepti sunt.

V. Cimon dux Atheniensium, in Caria insidiatus cuidam civitati, religiosum incolis templum Dianæ, lucumque qui extra

tra muros erat, noctu improvisus incendit: effusisque oppidanis ad opem adversus ignes ferendam, vacuam defensoribus cepit urbem.

VI. Alcibiades dux Atheniensium, cum civitatem Agrigentinorum egregie munitam obsideret, petito ab eis consilio, diu tanquam de rebus ad commune pertinentibus disseruit in theatro, ubi ex more Græcorum locus consultationi præbebatur; dumque consilii specie tenet multitudinem, Athenienses, quos ad id præparaverat, incustoditam urbem ceperunt.

VII. Epaminondas Thebanus, in Arcadia die festo effuse extra mœnia vagantibus hostium fœminis, plerosque ex militibus suis muliebri ornatu immiscuit: qua simulatione illi intra portas sub noctem recepti, ceperunt oppidum, & suis aperuerunt.

VIII. Aristippus Lacedæmonius, festo die Tegeatarum, quo omnis multitudo, ad celebrandum Minervæ sacrum, urbe egressa erat, iumenta saccis frumentariis palea refertis onusta Tegeam misit, agentibus ea militibus, qui negotiatorum specie inobservati portas aperuerunt suis.

IX. Antiochus, in Cappadocia, ex castello Suenda, quod obsidebat, iumenta

frumentatum egressa intercepit: occisisque calonibus, eorundem vestitu milites suos, tanquam frumentum reportantes, submisit. Quo errore illi, custodibus deceptis, castellum intraverunt, admiseruntque milites Antiochi.

X. Thebani, cum portum Sicyoniorum nulla vi redigere in potestatem suam possent, navem ingentem armatis compleverunt, exposita super merce, ut negotiatorum specie fallerent: ab ea deinde parte murorum, quæ longissime remota erat, apparere paucos disposuerunt, cum quibus è nave quidam egressi inermes, simulata rixa, occurrerunt: Sycioniis ad dirimendum id iurgium advocatis, Thebanę naves & portum vacantem & urbem occupaverunt.

XI. Thymarchus Ætolus, occiso Charmade Ptolemæi regis præfecto, chlamyde interempti & galero ad Macedonicum ornatus est habitum: per hunc errorem pro Charmade in Samniorum portum receptus occupavit.

CAP. III.

De eliciendis ad proditionem.

EXEMPLUM I.

PAPYRIUS Curſor Coſ. apud Tarentum, Miloni, qui tum præſidio Epirotarum urbem obtinebat, ſalutem ipſi & popularibus, ſi per illum oppido potiretur, policitus eſt. Quibus præmiis ille corruptus, perſuaſit Tarentinis, ut ſe legatum ad Conſulem mitterent: à quo plena promiſſa ex pacto referens, in ſecuritatem oppidanos reſolvit, atque ita incuſtoditam urbem Curſori tradidit.

II. Marcellus, cum Syracuſanum quendam Soſiſtratum ad proditionem ſolicitaſſet, ex eo cognovit, remiſſiores cuſtodias fore die feſto, quo Epicides præbiturus eſſet vini epularumque copiam: inſidiatus igitur hilaritati, & quæ eam ſequebatur ſocordiæ, munimenta conſcendit, vigilibuſque cæſis, aperuit exercitui Romano urbem nobilibus victoriis claram.

III. Tarquinius Superbus, cum Gabios in deditionem accipere non poſſet, filium ſuum Sextum Tarquinium cæſum virgis ad hoſtem miſit: is incuſata patris ſævitia perſuaſit Gabinis, ut odio ſuo adverſus regem uterentur, & dux ad bellum

electus, tradidit patri Gabios.

IV. Cyrus Persarum rex, suum comitem Zopyrum, explorata eius fide, truncata de industria facie ad hostes dimisit: ille assentāte iniuriarum fide, creditus inimicissimus Cyro, cum hanc persuasionem adiuvaret, procurrendo propius quotiens acie decertaretur, & in eum tela dirigendo, commissam sibi Babyloniorum urbem tradidit Cyro.

V. Philippus oppido Samiorum exclusus, Apollonio præfecto eorum, ad proditionem corrupto, persuasit, ut plaustrum lapide quadrato oneratum in ipso aditu portæ poneret: confestim deinde signo dato insecutus oppidanos, circa impedita portæ claustra, oppressit trepidantes.

VI. Hannibal apud Tarentum, quæ à præsidio Romano, duce Livio, tenebatur, Eoneum quendam Tarentinum, quem ad proditionem solicitaverat, eiusmodi fallacia instruxit, ut ille per caussam venandi noctu procederet, quasi id per hostem interdiu non liceret: egresso ipsi apros subministrabant, quos ille tanquam ex captura Livio offerret; idque cum sæpius factum esset, & ideo minus observaretur, quadam nocte Hannibal, venatorum habitu, Pœnos comitibus eius immiscuit: qui cum onusti venatione, quam ferebant, recepti essent à custodibus, protenus eos adorti occiderunt.

runt. Tunc fracta porta admiſſus cum exercitu Hannibal omnes Romanos interfecit, exceptis his qui in arcem profugerant.

VII. Lyſimachus rex Macedonum, cum Epheſios oppugnaret, & illi in auxilio haberent Mendronem Archipiratam, qui plerumque oneratas præda naves Epheſum appellebat, corrupto ei ad proditionem, iunxit fortiſſimos Macedonum, quos ille reſtrictis manibus pro captivis Epheſum introduceret: qui poſtea, raptis ex acie armis, urbem Lyſimacho tradiderunt.

CAP. IV.

Per quæ hoſtes ad inopiam redigantur.

EXEMLPUM I.

FABIUS Maximus vaſtatis Campanorum agris, ne quid eis ad fiduciam obſidionis ſupereſſet, receſſit ſementis tempore, ut frumenrum quod reliquum habebant, in ſationes conferrent: reverſus deinde renata protrivit, & ad famem redactis potitus eſt.

II. Antigonus adverſus Athenienſes idem fecit.

III. Dionyſius, multis urbibus captis, cum Rheginos aggredi vellet, qui co-

piis abundabant, simulavit pacem, petiitque ab eis, ut commeatus exercitui ipsius subministrarent: quod cum impetrasset, exhausto oppidanorum frumento, aggressus urbem alimentis destitutam superavit.

IV. Idem & adversus Himeraeos fecisse dicitur.

V. Alexander oppugnaturus Leucadiam commeatibus abundantem, prius castella, quae in confinio erant, cepit: omnesque ex his Leucadiam passus est confugere, ut alimenta inter multos celerius absumerentur.

VI. Phalaris Agrigentinus, cum quaedam loca munitione tuta in Sicilia oppugnaret, simulato foedere, frumenta, quae residua se habere dicebat, apud eos deposuit: deinde data opera, ut tectorum camerae, in quibus id conferebatur, rescissae pluviam reciperent, fiducia conditi commeatus, proprio tritico abusos primo initio aestatis aggressus, inopia compulit ad deditionem.

CAP. V.

Quemadmodum persuadeatur obsidionem esse permansuram.

EXEMPLUM I.

CLEARCHUS Lacedæmonius exploratum habens, Thracas omnia victui necessaria in montes comportasse, una quoque ope sustentari, quod crederent, eum commeatus inopia recessurum: per id tempus, quo legatos eorum venturos opinabatur, aliquem ex captivis in conspectu iussit occidi, & membratim, tanquam alimenti caussa, in contubernia distribui. Thraces nihil non facturum perseverantiæ caussa eum credentes, qui tam detestabiles epulas sustinuisset experiri, in deditionem venerunt.

II. Tiberius Gracchus, Lusitanis dicentibus, in decem annos cibaria se habere, & ideo obsidionem non expavescere, Undecimo, inquit, anno vos capiam. Qua voce perterriti Lusitani, quanquam instructi commeatibus, statim se tradiderunt.

III. A. Torquato Græcam urbem oppugnanti, cum diceretur, iuventutem ibi studiose iaculis & sagittis exerceri, Pluris eam, inquit, propediem vendam.

ut ſatis munitæ urbis eius ad tutelam aliarum dilaberentur. Quo facto ipſe rurſus revocatis omnibus ſuis, vacuam eam defenſoribus cepit.

IV. Cornelius Rufinus Cos. cum aliquanto tempore Crotonam oppidum fruſtra obſediſſet, quod inexpugnabile faciebat aſſumpta in præſidia Lucanorum manus, ſimulavit ſe cœpto deſiſtere: captivum deinde, magno præmio ſolicitatum, miſit Crotonam, qui (tanquam ex cuſtodia effugiſſet) perſuaſit diſceſſiſſe Romanos: id verum Crotonenſes arbitrati, dimiſere auxilia, deſtitutique propugnatoribus, inopinati & invalidi capti ſunt.

V. Mago dux Carthaginienſium, victo Cn. Piſone, & in quadam turre circumſepto, ſuſpicatus ventura ei ſubſidia, perfugam miſit, qui perſuaderet appropinquantibus, captum iam Piſonem: qua ratione deterritis eis, reliqua victoriæ conſummavit.

VI. Alcibiades in Sicilia, cum Syracuſanos capere vellet, ex Catanenſibus, apud quos tum exercitum continebat, quendam exploratæ ſolertiæ ſubmiſit Syracuſanis: is in publicum conſilium introductus, perſuaſit, infeſtiſſimos eſſe Catanenſes Athenienſibus, & ſi adiuvarentur à Syracuſanis, futurum ut opprimerent eos, & Alcibiadem. Qua re adducti Syracuſani univerſis

gnatorum præstantia tutum, circuiri muros frequenter omnibus copiis instituit, easdemque reducere in castra. Qua consuetudine inductis ita oppidanis, ut crederent exercitationis id gratia facere Romanum, & ob hoc nil ab eo conatu caventibus, morem illum obambulandi in subitũ direxit impetum: occupatisque mœnibus expressit, ut se ipsos dederent & oppidum.

II. C. Duillius Cos. subinde exercendo milites remigesque, consecutus est, ut securis Carthaginiensibus usque in id tempus innoxiæ consuetudinis, subito admota classe, murum occuparet.

III. Hannibal, in Italia, multas urbes cepit, cum Romanorum habitu quosdam suorum ex longo belli usu Latine quoque loquentes præmitteret.

IV. Arcades, Messeniorum castellum obsidentes, factis quibusdam armis ad similitudinem hostilium, eo tempore quo successura alia præsidia his exploraverant, instructi eorum qui expectabantur ornatu, admissique per hunc errorem, ut socii, possessionem loci strage hostium adepti sunt.

V. Cimon dux Atheniensium, in Caria insidiatus cuidam civitati, religiosum incolis templum Dianæ, lucumque qui extra

tra muros erat, noctu improvisus incendit: effusisque oppidanis ad opem adversus ignes ferendam, vacuam defensoribus cepit urbem.

VI. Alcibiades dux Atheniensium, cum civitatem Agrigentinorum egregie munitam obsideret, petito ab eis consilio, diu tanquam de rebus ad commune pertinentibus disseruit in theatro, ubi ex more Græcorum locus consultationi præbebatur; dumque consilii specie tenet multitudinem, Athenienses, quos ad id præparaverat, incustoditam urbem ceperunt.

VII. Epaminondas Thebanus, in Arcadia die festo effuse extra mœnia vagantibus hostium fœminis, plerosque ex militibus suis muliebri ornatu immiscuit: qua simulatione illi intra portas sub noctem recepti, ceperunt oppidum, & suis aperuerunt.

VIII. Aristippus Lacedæmonius, festo die Tegeatarum, quo omnis multitudo, ad celebrandum Minervæ sacrum, urbe egressa erat, iumenta saccis frumentariis palea refertis onusta Tegeam misit, agentibus ea militibus, qui negotiatorum specie inobservati portas aperuerunt suis.

IX. Antiochus, in Cappadocia, ex castello Suenda, quod obsidebat, iumenta

frumentatum egressa intercepit: occisisque calonibus, eorundem vestitu milites suos, tanquam frumentum reportantes, submisit. Quo errore illi, custodibus deceptis, castellum intraverunt, admiseruntque milites Antiochi.

X. Thebani, cum portum Sicyoniorum nulla vi redigere in potestatem suam possent, navem ingentem armatis compleverunt, exposita super merce, ut negotiatorum specie fallerent: ab ea deinde parte murorum, quæ longissime remota erat, apparere paucos disposuerunt, cum quibus è nave quidam egressi inermes, simulata rixa, occurrerunt: Sycioniis ad dirimendum id iurgium advocatis, Thebanę naves & portum vacantem & urbem occupaverunt.

XI. Thymarchus Ætolus, occiso Charmade Ptolemæi regis præfecto, chlamyde interempti & galero ad Macedonicum ornatus est habitum: per hunc errorem pro Charmade in Samniorum portum receptus occupavit.

CAP.

CAP. III.

De eliciendis ad proditionem.

EXEMPLUM I.

PAPYRIUS Curſor Coſ. apud Tarentum, Miloni, qui tum præſidio Epirotarum urbem obtinebat, ſalutem ipſi & popularibus, ſi per illum oppido potiretur, policitus eſt. Quibus præmiis ille corruptus, perſuaſit Tarentinis, ut ſe legatum ad Conſulem mitterent: à quo plena promiſſa ex pacto referens, in ſecuritatem oppidanos reſolvit, atque ita incuſtoditam urbem Curſori tradidit.

II. Marcellus, cum Syracuſanum quendam Soſiſtratum ad proditionem ſolicitaſſet, ex eo cognovit, remiſſiores cuſtodias fore die feſto, quo Epicides præbiturus eſſet vini epularumque copiam: inſidiatus igitur hilaritati, & quæ eam ſequebatur ſocordiæ, munimenta conſcendit, vigilibuſque cæſis, aperuit exercitui Romano urbem nobilibus victoriis claram.

III. Tarquinius Superbus, cum Gabios in deditionem accipere non poſſet, filium ſuum Sextum Tarquinium cæſum virgis ad hoſtem miſit: is incuſata patris ſævitia perſuaſit Gabinis, ut odio ſuo adverſus regem uterentur, & dux ad bellum

electus, tradidit patri Gabios.

IV. Cyrus Persarum rex, suum comitem Zopyrum, explorata eius fide, truncata de industria facie ad hostes dimisit: ille assentate iniuriarum fide, creditus inimicissimus Cyro, cum hanc persuasionem adiuvaret, procurrendo propius quotiens acie decertaretur, & in eum tela dirigendo, commissam sibi Babyloniorum urbem tradidit Cyro.

V. Philippus oppido Samiorum exclusus, Apollonio præfecto eorum, ad proditionem corrupto, persuasit, ut plaustrum lapide quadrato oneratum in ipso aditu portæ poneret: confestim deinde signo dato insecutus oppidanos, circa impedita portæ claustra, oppressit trepidantes.

VI. Hannibal apud Tarentum, quæ à præsidio Romano, duce Livio, tenebatur, Eoneum quendam Tarentinum, quem ad proditionem solicitaverat, eiusmodi fallacia instruxit, ut ille per caussam venandi noctu procederet, quasi id per hostem interdiu non liceret: egresso ipsi apros subministrabant, quos ille tanquam ex captura Livio offerret; idque cum sæpius factum esset, & ideo minus observaretur, quadam nocte Hannibal, venatorum habitu, Pœnos comitibus eius immiscuit: qui cum onusti venatione, quam ferebant, recepti essent à custodibus, protenus eos adorti occiderunt.

runt. Tunc fracta porta admissus cum exercitu Hannibal omnes Romanos interfecit, exceptis his qui in arcem profugerant.

VII. Lysimachus rex Macedonum, cum Ephesios oppugnaret, & illi in auxilio haberent Mendronem Archipiratam, qui plerumque oneratas præda naves Ephesum appellebat, corrupto ei ad proditionem, iunxit fortissimos Macedonum, quos ille restrictis manibus pro captivis Ephesum introduceret: qui postea, raptis ex acie armis, urbem Lysimacho tradiderunt.

CAP. IV.

Per quæ hostes ad inopiam redigantur:

EXEMLPUM I.

FABIUS Maximus vastatis Campanorum agris, ne quid eis ad fiduciam obsidionis superesset, recessit sementis tempore, ut frumenrum quod reliquum habebant, in sationes conferrent: reversus deinde renata protrivit, & ad famem redactis potitus est.

II. Antigonus adversus Athenienses idem fecit.

III. Dionysius, multis urbibus captis, cum Rheginos aggredi vellet, qui co-

piis abundabant, simulavit pacem, petiitque ab eis, ut commeatus exercitui ipsius subministrarent: quod cum impetrasset, exhausto oppidanorum frumento, aggressus urbem alimentis destitutam superavit.

IV. Idem & adversus Himeræos fecisse dicitur.

V. Alexander oppugnaturus Leucadiam commeatibus abundantem, prius castella, quæ in confinio erant, cepit: omnesque ex his Leucadiam passus est confugere, ut alimenta inter multos celerius absumerentur.

VI. Phalaris Agrigentinus, cum quædam loca munitione tuta in Sicilia oppugnaret, simulato fœdere, frumenta, quæ residua se habere dicebat, apud eos deposuit: deinde data opera, ut tectorum cameræ, in quibus id conferebatur, rescissæ pluviam reciperent, fiducia conditi commeatus, proprio tritico abusos primo initio æstatis aggressus, inopia compulit ad deditionem.

CAP.

CAP. V.

Quemadmodum persuadeatur obsidionem esse permansuram.

EXEMPLUM I.

CLEARCHUS Lacedæmonius exploratum habens, Thracas omnia victui necessaria in montes comportasse, una quoque ope sustentari, quod crederent, eum commeatus inopia recessurum: per id tempus, quo legatos eorum venturos opinabatur, aliquem ex captivis in conspectu iussit occidi, & membratim, tanquam alimenti caussa, in contubernia distribui. Thraces nihil non facturum perseverantiæ caussa eum credentes, qui tam detestabiles epulas sustinuisset experiri, in deditionem venerunt.

II. Tiberius Gracchus, Lusitanis dicentibus, in decem annos cibaria se habere, & ideo obsidionem non expavescere, Undecimo, inquit, anno vos capiam. Qua voce perterriti Lusitani, quanquam instructi commeatibus, statim se tradiderunt.

III. A. Torquato Græcam urbem oppugnanti, cum diceretur, iuventutem ibi studiose iaculis & sagittis exerceri, Pluris eam, inquit, propediem vendam.

CAP. VI.

De destructione præsidiorum hostium.

EXEMPLUM I.

SCIPIO Hannibale in Aphricam reverso, cum plura oppida, quæ ratio illi in potestatem redigenda dictabat, firmis præsidiis diversæ partis obtinerentur, subinde aliquam manum submittebat ad infestanda ea: novissime etiam, tanquam direpturus civitates, aderat; deinde simulato metu, refugiebat. Hannibal ratus veram esse eius trepidationem, deductis undique præsidiis, tanquam de summa rerum dimicaturus, insequi cœpit: ita consecutus Scipio, quod petierat, nudatas propugnatoribus urbes per Masinissam & Numidas cepit.

II. P. Cornelius Scipio intellecta difficultate expugnandi Delminium, quia omnium concursu defendatur, aggredi alia oppida cœpit, & evocatis ad sua defendenda singulis, vacuatum auxiliis Delminium cepit.

III. Pyrrhus Epirotarum rex, adversus Illyrios, cum civitatem, quæ caput gentis erat, redigere in potestatem suam vellet, eius desperatione cæteras urbes petere cœpit: consecutusque est, ut hostes fiducia vel-ut

ut satis munitæ urbis eius ad tutelam aliarum dilaberentur. Quo facto ipse rursus revocatis omnibus suis, vacuam eam defensoribus cepit.

IV. Cornelius Rufinus Cos. cum aliquanto tempore Crotonam oppidum frustra obsedisset, quod inexpugnabile faciebat assumpta in præsidia Lucanorum manus, simulavit se cœpto desistere: captivum deinde, magno præmio solicitatum, misit Crotonam, qui (tanquam ex custodia effugisset) persuasit discessisse Romanos: id verum Crotonenses arbitrati, dimisere auxilia, destitutique propugnatoribus, inopinati & invalidi capti sunt.

V. Mago dux Carthaginiensium, victo Cn. Pisone, & in quadam turre circumsepto, suspicatus ventura ei subsidia, perfugam misit, qui persuaderet appropinquantibus, captum iam Pisonem: qua ratione deterritis eis, reliqua victoriæ consummavit.

VI. Alcibiades in Sicilia, cum Syracusanos capere vellet, ex Catanensibus, apud quos tum exercitum continebat, quendam exploratæ solertiæ submisit Syracusanis: is in publicum consilium introductus, persuasit, infestissimos esse Catanenses Atheniensibus, & si adiuvarentur à Syracusanis, futurum ut opprimerent eos, & Alcibiadem. Qua re adducti Syracusani universis

viribus Catanam petituri processerunt: relicta ipsorum urbe: quam à tergo adortus Alcibiades desolatam, ut superaverat, afflixit.

VII. Cleonymus Atheniensis Trœzenios, qui præsidio Craterum tenebant, aggressus, tela quædam (in quibus scriptum erat, venisse se ad liberandam eorum Rempublicam) intra muros iecit: & eodem tempore captivos quosdam conciliatos sibi remisit, qui Craterum detrectarent. Per hoc consilium seditione intestina apud obsessos conciliata, admoto exercitu potitus est civitate.

CAP. VII.

De fluminum derivatione, & vitiatione aquarum.

EXEMPLUM I.

P. SERVILIUS, Isauram oppidum, flumine ex quo hostes aquabantur averso, ad deditionem siti compulit.

II. C. Cæsar in Gallia Cadurcorum civitatem amne cinctam, & fontibus abundantem, ad inopiam aquæ redegit, cum fontes cuniculis avertisset, & fluminis usum per saggittarios arcuisset.

III. L. Metellus, in Hispania citeriore, in castra hostium, humili loco posita, fluvium

fluvium ex superiore parte immisit ; & subita inundatione turbatos , per dispositos in hoc ipsum insidiatores , cecidit.

IV. Alexander apud Babylonem, quæ media flumine Euphrate dividebatur, fossam pariter & aggerem instituit, ut in usum eius existimarent hostes egeri terram, atq; ita subito flumine averso, per alveum veterem (qui siccatus ingressum præbebat) urbem intravit.

V. Semiramis, adversus eosdem Babylonios eodem Euphrate averso, idem fecisse dicitur.

VI. Clisthenes Sicyonius ductum aquarum in oppidum Criseorum ferentem rupit: mox affectis siti restituit aquam elleboro corruptã, qua usos, profluvio ventris decipiens, cepit.

CAP. VIII.

De iniiciendo obsessis pavore.

EXEMPLUM I.

PHILIPPUS, cum Trinassum castellum nulla vi capere posset, terram ante ipsos muros aggessit, simulavitque agi cuniculum: castellanique, quia subrutos se existimarant, dediderunt.

II. Pelopidas Thebanus, Magnetum duo

duo oppida simul oppugnaturus, non ita longo spacio distantia, quo tempore ad alterum eorum exercitum admovebat, præcepit, ut ex composito ab aliis castris quatuor equites coronati, notabili alacritate victoriam annuntiantes, venirent: ad cuius simulationem curavit, ut silva, quæ in medio erat, incenderetur, præbitura speciem urbis ardentis: præterea quosdam captivorum eodem habitu iussit perduci. Qua asseveratione perterriti, qui obsidebantur, dum in parte iam se superatos existimarent, defecerunt.

III. Cyrus rex Persarum, incluso Sardibus Crœso, qua præruptus mons nullum aditum præstabat, ad mœnia malos exæquantes altitudinem iugi subrexit: quibus simulachra hominum armata Persici habitus imposuerat, noctuque eos monti admovit. Tum prima luce ex altera parte muros aggressus est, ubi orto iam Sole simulachra illa, armatorum habitum referentia, refulserunt. Oppidani captam urbem à tergo credentes, & ob hoc in fugam dilapsi, victoriam hostibus concesserunt.

CAP.

CAP. IX.

De irruptione ex diversa parte quam expectamus.

EXEMPLUM I.

SCIPIO apud Carthaginem sub discessum æstus maritimi secutus Deum (ut dicebat) ducem, ad muros urbis accessit: & cedente stagno, qua non expectabatur, irrupit.

II. Fabius Maximus Cunctatoris filius, apud Arpos præsidio Hannibalis occupatos, considerato situ urbis, sexcentos milites obscura nocte misit: qui per munitam eoque minus frequentatam oppidi partem scalis evecti in murum, portas revellerent: hi adiuti decidentium aquarum sono, qui operis strepitum obscurabat, iussa peragunt: ipse, dato signo ab alia parte aggressus, cepit Arpos.

III. Cn. Marius, bello Jugurthino, apud flumen Mulucham, cum oppugnaret castellum in monte saxeo situm, quod una & angusta semita adibatur, cætera parte (velut consulto) præcipiti, nuntiato sibi per Ligurem quendam ex auxiliis gregalem militem, qui forte aquatum progressus, dum per saxa montis cochleas legit, ad summū pervenerat, eripi posse castellum, paucos cen-

centuriones, quibus perfectiſſimos cum velociſſimis militibus æneatores immiſcuerat, miſit: capite pedibuſque nudis, ut proſpectus niſuſque per ſaxa facilior foret, ſcutis gladiiſque à tergo aptatis. hi Ligure duce & telis & clavis, quibus in aſcenſu nitebantur, adiuti, cum ad poſteriora & ob id vacua defenſoribus caſtelli, perveniſſent, concinere & tumultuari, ut præceptum erat, cœperunt: ad quod conſtitutum Marius conſtantius adhortatus ſuos, acrius inſtare caſtellanis cœpit: quos ab imbelli multitudine ſuorum revocatos, tanquam capti à tergo eſſent, inſecutus caſtellum cepit.

IV. L. Cornelius Cos. complura Sardiniæ cepit oppida, dum firmiſſimas partes copiarum noctu exponit, quibus præcipiebat, ut deliteſcerent, opperirenturque tempus, quod ipſe nactus appelleret: occurrentibus deinde adventanti hoſtibus, & ab ipſo per ſimulationem fugæ longius ad perſequendùm avocatis, illi in relictas ab eis urbes impetum facerent.

V. Pericles Athenienſium dux, cum oppugnaret quandam civitatem magno conſenſu defendentium tutam, nocte ab ea parte murorum, quæ mari adiacebat, claſſicum cani, clamoremque attolli iuſſit: hoſtes penetrari illac in oppidum rati, reliquerunt portas, per quas Pericles deſtitu-

ſtitutas præſidio irrupit.

VI. Alcibiades dux Athenienſium, Cyzicum oppugnandi eius cauſſa nocte improviſus acceſſit; & diverſa parte mœnium cornicines canere iuſſit: ſufficere propugnationi murorum poterant ad id latus, à quo ſolo ſe tentari putabant: cum confluerent, qua non obſiſtebatur, muros tranſcendit.

VII. Thraſybulus dux Mileſiorum, ut portum Sicyoniorum occuparet, à terra ſubinde oppidanos tentavit: & illo quo laceſſebantur converſis hoſtibus, claſſe inexpectata portum cepit.

VIII. Philippus in obſidione cuiuſdam maritimæ urbis, binas naves procul à conſpectu contabulavit, ſuperſtruxitque eis turres: aliis deinde turribus adortus à terra, domibus propugnatores diſtrinxit, turritas naves à mari applicuit, & qua non reſiſtebatur, ſubiit muros.

IX. Pericles Peloponneſiorum caſtellum oppugnaturus, in quod duo omnino erant acceſſus, alterum foſſa intercluſit, alterum munire inſtituit: caſtellani ſecuriores ab altera parte facti, eam ſolam, quam muniri videbant, cuſtodire cœperunt. Pericles, præparatis pontibus, iniectiſque ſuper foſſam, qua non cavebatur, ſubiit caſtellum.

X. Antiochus, adverſus Epheſios, Rhodiis

diis quos in auxilio habebat præcepit, ut nocte portum cum magno strepitu invaderent: ad quam partem omni multitudine cum tumultu decurrente, nudatis defensore reliquis munitionibus, ipse aggressus, ex adverso civitatem cepit.

CAP. X.

De insidiis, per quas eliciantur obsessi.

EXEMPLUM I.

CATO in conspectu Lacetanorum, quos obsidebat, reliquis suorum submotis, Suessanos quosdam ex auxiliaribus, maxime imbelles, aggredi mœnia iussit: hos cum facta irruptione Lacetani facile avertissent, & fugientes avide insecuti essent, illis, quas occultaverat, cohortibus oppidum cepit.

II. L. Scipio in Sardinia, cuiusdam civitatis per tumultum relicta oppugnatione quam instruxerat, speciem fugientis præstitit: insecutisque temere oppidanis, per eos, quos in proximo occultaverat, oppidum invasit.

III. Hannibal, cum obsideret civitatem Hymeram, castra sua capi de industria passus est, iussis recedere Pœnis, tanquam prævaleret hostis. Quo eventu Hymeræis ita deceptis, ut gaudio impulsi relicta urbe

urbe procurrerent ad Punicum vallum; Hannibal vacuam urbem, per eos, quos in insidiis ad hanc ipsam occasionem posuerat, cepit.

IV. Idem, ut Saguntinos eliceret, rara acie ad muros accedens, ad primam eruptionem oppidanorum simulata fuga cessit, interpositoque exercitu, ab oppido interclusos hostes à suis in medio trucidavit.

V. Himilco Carthaginiensis, apud Agrigentum, iuxta oppidum partem copiarũ in insidiis posuit: præcepitque his, ut cum processissent opidani, ligna humida incenderent, deinde cum reliqua parte exercitus luce ad eliciendos hostes progressus, simulata fuga persequentes oppidanos longius cedendo protraxit: insidiatores prope mœnia imperatum ignem acervis subiecerunt: unde obortum contemplati fumum Agrigentini, incensam civitatem suam existimaverunt: defendendæq; eius gratia, dũ trepide recurrunt, obviis eis qui insidiati iuxta muros erant, & à tergo instantibus quos persecuti fuerant, in medio trucidati sunt.

VI. Viriatus, disposito per occulta milite, paucos misit, qui abigerent pecora Segobrigensium: ad quæ illi vindicanda, cum frequentes procurrissent, simulantesque fugam prædatores persequerentur, deducti

ducti in insidias, cæsique sunt.

VII. Scordisci equites, cum Heracleæ duarum partium præsidio præpositus esset Lucullus, pecora abigere simulantes, provocarunt eruptionem: fugam deinde mentiti, sequentem Lucullum in insidias deduxerunt, & octingentos cum eo milites occiderunt.

VIII. Chares dux Atheniensium, civitatem aggressurus littori appositam, post quædam promontoria occulte habita classe, è navibus velocissimam præter hostilia præsidia ire iussit: qua visa, cum omnia navigia, quæ pro custodia portus agebantur, ad persequendam evolassent, Chares in indefensum portum cum reliqua classe invectus, etiam civitatem occupavit.

IX. Barca dux Pœnorum, in Sicilia Lilybæum nostris terra marique obsidentibus, partem classis suæ procul armatam iussit ostendi: ad eius conspectum cum evolassent nostri, ipse reliquis, quas in occulto tenuerat, navibus Lilybæi portum occupavit.

CAP.

CAP. XI.

De simulatione regressus.

EXEMLPUM I.

PHORMION dux Atheniensium, cum depopulatus esset agros Chalcidensium, legatis eorum de ea re querentibus benigne respondit: & nocte qua dimissurus illos erat, finxit, literas sibi supervenisse civium suorum, propter quas redeundum haberet, ac paulum regressus dimisit legatos. his omnia tuta & abisse Phormionem renuntiantibus, Chalcidenses, spe & oblatæ humanitatis, & abducti exercitus, remissa urbis custodia, cum confestim Phormion revertisset, prohibere inexpectatam vim non potuerunt.

II. Agesilaus dux Lacedæmoniorum, cum Phocenses obsideret, & intellexisset, eos, qui tunc præsidio illis erant, iam gravari belli incommodo, paululum regressus, tanquam ad alios actus, liberam occasionem recedendi his dedit: non multo post, milite reducto, destitutos Phocenses superavit.

III. Alcibiades, adversus Byzantios, qui se mœnibus continebant, insidias disposuit, &, simulato regressu, incautos eos oppressit.

IV. Vi-

IV. Viriatus, cum tridui iter discedens confecisset, idem illud uno die remensus, securos Segobrigenses & sacrificio tum cũ maxime occupatos oppressit.

V. Epaminondas, apud Mantinæam, cum Lacedæmonios in subsidium hosti venisse animadverteret, ratus posse Lacedæmonem occupari, si clam illo profectus esset, nocte crebros ignes fieri iussit, ut specie remanendi occultaret profectionem: sed à transfuga proditus, assecuto exercitu Lacedæmoniorum, itinere quidem, quo Spartam petebat, destitit: idem tamen concilium convertit ad Mantinienses; æque enim ignibus factis Lacedæmonios, quasi maneret, frustratus, per quadraginta millia passuum Mantinæam revertitur, eamque auxilio destitutam occupavit.

CAP. XII.

De excitanda cura suorum.

EXEMPLUM I.

ALCIBIADES Atheniensis, civitate sua à Lacedæmoniis obsessa, veritus negligentiam vigilum, denunciavit his qui in stationibus erant, ut observarent lumen quod nocte ostensurus esset ex arce, & ad conspectum eius ipsi quoque lumina attollerent: in quo munere qui cessasset, pœnam

pœnam passurum. Dum solicite expectatur signum ducis, pervigilatum ab omnibus, & suspectæ noctis periculum civitatum est.

II. Iphicrates dux Atheniensium, cum præsidio Corinthum teneret, & sub adventum hostium ipse vigilias circumiret, vigilem quem dormientem viderat, transfixit cuspide: quod factum quibusdam, tanquã sævum increpantibus, Qualem inveni, inquit, talem reliqui.

III. Epaminondas Thebanus idem fecisse dicitur.

CAP. XIII.

De emittendo & recipiendo nuntio.

EXEMPLUM I.

ROMANI obsessi in Capitolio ad Camillum ab exilio implorandum miserunt Pontium Cominum, qui ut stationes Gallorum falleret, per saxa Tarpeia dimissus, tranſnato Tiberi, Veios pervenit, & perpetrata legatione similiter ad suos rediit.

II. Campani diligenter Romanis, à quibus obsessi erant, custodias agentibus, quẽdam pro transfuga subornatum miserunt, qui occultatam balteo epistolam, inventa effugiendi occasione, ad Pœnos pertulit.

III. Ve-

III. Venationi quoque & pecoribus quidam insuerunt literas, membranis mandatas.

IV. Aliqui & iumentum in adversam partem infulserunt, dum stationes transeunt.

V. Nonnulli interiora vaginarum inscripserunt.

VI. L. Lucullus Cyzicenos obsessos à Mithridate, ut certiores adventus sui faceret, cum præsidiis hostium teneretur introitus urbis, qui unus & angustus ponte modico insulam continenti iungit, militem è suis, sciolum nandi, & nauticæ artis peritum, iussit, insidentem duobus inflatis utribus, literas insutas habentibus, quos ab inferiore parte duabus regulis inter se distantibus commiserat, ire septem millium passuum traiectum. Quod ita perite gregalis fecit, ut cruribus, velut gubernaculis dimissis, cursum dirigeret, & procul visentes, qui in statione erant, marinæ specie beluæ deciperet.

VII. Hircius Cos. ad Decimum Brutum, qui Mutinæ ab Antonio obsidebatur, literas subinde misit plumbo scriptas, quibus ad brachium religatis, milites Scultennam amnem transnabant.

VIII. Idem, columbis (quas inclusas ante tenebris & fame affecerat) epistolas ad collum seta religabat, easque à propinquo

quo inquantum poterat mœnibus loco emittebat: illæ lucis cibique avidæ, altiſſima ædificiorum petentes excipiebantur à Bruto, qui eo modo de omnibus rebus certior fiebat: utique poſtquam diſpoſito quibuſdam locis cibo columbas illuc devolare inſtituerat.

CAP. XIV.

De introducendis auxiliis, & commeatibus ſuggerendis.

EXEMPLUM I.

BELLO civili, cum Ategua urbs in Hiſpania Pompeianarum partium obſideretur, Maurus interrex, tanquam Cæſarianus Tribuni cornicularius, vigiles quoſdam excitavit, è quibus aliquos evitans, conſtãtia fallaciæ ſuæ per medias Cæſaris copias præſidium Pompeii traduxit.

II. Hannibale obſidente Caſilinum, Romani farinam doliis ſecunda aqua Vulturni fluminis demittebant, ut ab obſeſſis exciperetur: quibus cum obiecta per mediũ amnem catena Hannibal obſtitiſſet, nuces ſparſere; quæ cum aqua ferente ad oppidum defluerent, eo commeatu ſociorum neceſſitatem ſuſtentaverunt.

III. Hircius Cos. Mutinenſibus obſeſſis ab Antonio, ſalem, quo maxime indige-

bant, cuppis conditum, per amnem Saniturnum intromisit.

IV. Idem pecora secunda aqua dimisit, quæ excepta sustentaverunt necessariorum inopiam.

CAP. XV.

Quemadmodum efficiatur, ut quæ deerunt, abundare videantur.

EXEMPLUM I.

ROMANI, cũ à Gallis Capitolium obsideretur, in extrema iam fame panem in hostem iactaverunt: consecutique, ut abundare commeatibus viderentur, obsidionem, donec Camillus subveniret, toleraverunt.

II. Athenienses adversus Lacedæmonios idem fecisse dicuntur.

III. Hi, qui ab Hannibale Casilini obsidebantur, ad extremam famem pervenisse crediti, cum etiam herbas alimentis eorum Hannibal sæpe arato loco, qui erat inter castra ipsius & mœnia, præriperet, semina in præparatum locum iecerunt: consecuti, ut habere viderentur, quo victum sustentarent usque ad satorum proventum.

IV. Reliqui ex Variana clade, cum obsiderentur, quia defici frumento videbantur, horrea

horrea tota nocte circumduxerunt captivos: deinde præcisis manibus dimiserunt. hi circumsidentibus sui persuaserunt, ne spem maturæ expugnationis reponerent in fame Romanorum, quibus alimentorum ingens copia superesset.

V. Thraces in arduo monte obsessi, in quem hostibus accessus non erat, collato viritim exiguo tritico, aut caseo, paverunt pecora, & in hostium præsidia dimiserunt: quibus exceptis occisisque, cum frumenti vestigia in visceribus eorum apparuissent, opinatus hostis magnam vim tritici superesse eis, qui inde etiam pecora pascerent, recessit ab obsidione.

VI. Thrasybulus dux Milesiorum, cum longa obsidione milites sui angerentur ab Aliatte, qui sperabat eos ad deditionem fame posse compelli, sub adventum legatorum Aliattis frumentum omne in forum compellere iussit: & conviviis sub id tempus instructis per totam urbem epulas præstitit: atque ita persuasit hosti, superesse ipsis copias, quibus diuturnam sustinerent obsidionem.

CAP. XVI.

De introducendis auxiliis, & commeatibus suggerendis.

EXEMPLUM I.

L. MARCELLUS, cognito consilio Battei Nolani, qui corrumpere ad defectionem populares studebat, & Hannibali gratificabatur, quod illius beneficio curatus inter Cannenses saucius, & ex captivitate remissus ad suos erat, quia interficere eum (ne supplicio eius reliquos concitaret Nolanos) non audebat, accersitum ad se allocutus est, dicens, fortissimum eum militem esse, quod antea ignorasset: hortatusque est, ut secum moraretur: & super verborum honorem, equo quoque donavit. Qua benignitate non illius tantum fidem, sed etiam popularium, qui ex illo pendebant, sibi obligavit.

II. Hamilcar dux Pœnorum, cùm frequenter auxiliares Galli ad Romanos transirent, & iam ex consuetudine, ut socii, exciperentur, sibi fidelissimos subornavit, ad simulandam transitionem, qui Romanos excipiendorum caussa eorum progressos ceciderunt. Quæ solertia Hamilcari non tantum ad præsentem profuit successum, sed in posterum præstitit, ut Romanis

manis veri quoque transfugæ forent ſuſpecti.

III. Hanno Carthaginenſium Imperator in Sicilia, cum comperiſſet, Gallorum mercenariorum circiter quatuor millia conſpiraſſe ad transfugiendum ad Romanos, quod aliquot menſium mercedes non receperant, animadvertere autē in eos non auderet, metu ſeditionis, promiſit, prolationis iniuriam liberalitate penſaturum: quo nomine gratias agentibus Gallis, per tempus idoneum datis pollicitis, fideliſſimum diſpenſatorem, ad Otacilium Cos. miſit; qui, tanquā rationibus interverſis transfugiſſet, nuntiavit, nocte proxima Gallorum quatuor millia, quæ prædatum forent miſſa, poſſe excipi. Otacilius nec ſtatim credidit transfugæ, nec tamen rem ſpernendam ratus, diſpoſuit inſidiis lectiſſimam manum ſuorum: ab ea Galli excepti, dupliciter Hannonis conſilio ſatisfecerunt, & Romanos ceciderunt, & ipſi omnes interfecti ſunt.

IV. Hannibal ſimili conſilio ſe à tranſfugis ultus eſt. Nam cum aliquos ex militibus ſuis ſciret transfugiſſe proxima nocte, nec ignoraret, exploratores hoſtium in caſtris ſuis eſſe, palam pronunciavit, non debere tranfugas vocari ſolertiſſimos milites, qui ipſius iuſſu exierint ad excipienda hoſtium conſilia: auditis quæ pro-

nunciavit, retulerunt exploratores ad ſuos. Tum comprehenſi à Romanis transfugæ, & amputatis manibus, remiſſi ſunt.

V. Diodorus, cum præſidio Amphipolim tueretur, & duo millia Thracum ſuſpecta haberet, quæ videbantur urbem direptura, mentitus eſt, paucas hoſtium naves proximo litori applicuiſſe, eaſque diripi poſſe. Qua ſpe ſimulatos Thracas emiſit, ac deinde clauſis portis non recepit.

CAP. XVII.

De eruptionibus.

EXEMPLUM I.

ROMANI, qui in præſidio Panormitanorum erant, veniente ad obſidionem Haſdrubale, raros ex induſtria in muris poſuerunt defenſores: quorum paucitate contemta, cum incautus muris ſuccederet Haſdrubal, eruptione facta, ceciderunt eum.

II. Æmilius Paulus, univerſis Liguribus improviſo adortis caſtra eius, ſimulato timore militem diu continuit; deinde fatigato iam hoſte, à quatuor portis eruptione facta, ſtravit cepitque Ligures.

III. Velius Præfectus Romanorum, arcem

cem Tarentinorum tenens, misit ad Hasdrubalem legatos, uti abire sibi incolumi liceret: ea simulatione ad securitatem perductum hostem, eruptione facta, cecidit.

IV. Cn. Pompeius circumsessos ad Dyrrhachium non tantum obsidione liberavit suos, verum etiam post eruptionem, quam opportuno & loco & tempore fecerat, Cæsarem ad castellum, quod duplici munitione instructum erat, avide irrumpentem, exterior ipse circumfusus corona obligavit, ut ille inter eos, quos obsidebat, & eos qui extra circũvenerant, medius, non leve periculum & detrimentum senserit.

V. Flavius Fimbria, in Asia, apud Hildinacum, adversum filium Mithridatis, brachiis à latere ductis, deinde fossa in fronte percussa, quietum in vallo militem tenuit, donec hostilis equitatus intraret angustias munimentorum; tunc eruptione facta sex millia eorum cecidit.

VI. C. Cæsar in Gallia, deletis ab Ambiorige Titurii Sabini & Cottæ legatorũ copiis, cum à Q. Cicerone, qui & ipse oppugnabatur, certior factus, cum duabus legionibus adventaret, conversis hostibus metum simulavit, militesque in castris, quæ ampliora solito industria fecerat, tenuit: Galli præsumta iam victoria, velut ad prædã castrorum tendentes, fossas implere, & val-

lum detrahere cœperunt: qua re prœlio aptatos, Cæſar emiſſo repente undique milite trucidavit.

VII. Titurius Sabinus, adverſus Gallorum amplum exercitum, continendo militem iuxta munimenta, præſtitit eis ſuſpicionem metuentis: cuius augendæ cauſa perfugam miſit, qui affirmaret exercitum Romanum in deſperatione eſſe, ac fugam cogitare. Barbari oblata victoriæ ſpe concitati, lignis ſarmentiſque ſe oneraverunt, quibus foſſas complerent: ingentique curſu caſtra noſtra in colle poſita petiverunt. unde in eos Titurius univerſas immiſit copias: multiſque Gallorum cæſis plurimos in deditionem accepit.

VIII. Aſculani, oppugnaturo oppidum Pompeio, cum paucos ſenes ægros in muris oſtendiſſent, ob id ſecuros Romanos eruptione facta fugaverunt.

IX. Numantini obſeſſi, ne pro vallo quidem inſtruxerunt aciem; adeoque ſe continuerunt, ut Popilio Lænati fiducia fieret, ſcalis oppidum aggrediendi. Quo deinde ſuſpicante inſidias (quia ne tunc quidem obſiſtebatur) ac ſuos revocante, eruptione facta averſos & deſcendentes adorti ſunt.

CAP.

CAP. XVIII.

De constantia obsessorum.

EXEMPLUM I.

ROMANI assidente mœnibus Hannibale ostentandæ fiduciæ gratia, supplementum exercitibus, quos in Hispania habebant, diversa porta miserunt.

II. Iidem agrum, in quo castra Hannibal habebat, defuncto forte domino, venalem ad id pretium licendo perduxerunt, quo is ager ante bellum venierat.

III. Hi dum ab Hannibale obsiderentur, & ipsi obsiderent Capuam, decreverunt, ne nisi capta ea, revocaretur inde exercitus.

SEXTI IVLII FRONTINI, VIRI CONSULARIS, STRATEGEMATICΩN LIBER QUARTUS.

Multa lectione conquisitis Strategematibus, & non exiguo scrupulo digestis, ut promissum trium librorum implerem, si modo implevi; in hoc exhibebo ea, quæ parum apte descriptioni priorum ad speciem alligata subiici videbantur, & erant exempla potiùs strategicω̃n quam strategematicω̃n. Quæ idcirco separavi, quia quamvis clara, diversæ tamen erant substantiæ: ne si qui forte in aliqua ex his incidissent, simulitudine indocte prætermissa opinarentur: & sane velut residua expedienda sunt; in quo sicut antea, & ipse ordinem per species servare conabor.

Cap.

CAP. I.

De disciplina.

EXEMPLUM I.

P. SCIPIO ad Numantiam, corruptum superiorum ducum socordia exercitum correxit, dimisso ingenti lixarum numero, redactis ad munus quotidiana exercitatione militibus; quibus cum frequens iniungeret iter, portare complurium dierum cibaria imperavit, ita ut frigora & imbres pati, vada fluminum pedibus traiicere assuescerct miles: exprobrante subinde Imperatore timiditatem & ignaviam, frangente delicatioris usus ac parum necessaria expeditioni vasa. Quod maxime nobiliter accidit C. Mevio Tribuno; cui dixisse traditur Scipio, Mihi paulisper, tibi & Reipublicæ semper nequam eris.

II. Q. Metellus, bello Jugurthino, similiter lapsam militum disciplinam pari severitate restituit, cum insuper prohibuis-

ſet alia carne quam à ſe aſſa elixave milites uti.

III. Pyrrhus delectori ſuo fertur dixiſſe, Tu grandes elige, ego eos fortes reddam.

IV. L. Flacco & C. Varrone Coss. milites primo iureiurando facti ſunt: ante enim ſacramento tantummodo à tribunis rogabantur: cæterum ipſi inter ſe coniurabant, ſe fugæ atque formidinis cauſſa non abituros: neque ex ordine receſſuros, niſi teli petendi feriendive hoſtis aut civis ſervandi cauſſa.

V. Scipio Africanus, cum ornatum ſcutum elegantius cuiuſdam vidiſſet, dixit, non ſe mirari, quod tanta cura ornaſſet, in quo plus præſidii quam in gladio haberet.

VI. Philippus, cum primum exercitum conſtitueret, vehiculorum uſum omnibus interdixit, equitibus non amplius quam ſingulos calones habere permiſit: peditibus autem denis ſingulos, qui molas & funes ferrent in æſtiva exeuntibus, triginta dierum farinam collo portare imperavit.

VII. C. Marius, recidendorum impedimentorum gratia, quibus maxime exercitus agmen oneratur, vaſa & cibaria militum in faſciculos aptata furcis impoſuit, ſub quibus & habile onus & facilis requies

eſſet:

esset: unde & in proverbium tractum est, Muli Mariani.

VIII. Theagenes Atheniensis, cum exercitū Megaram duceret, petentibus ordines respondit, ibi se daturum, deinde clam equites præmisit, eosque hostium specie impetum in socios retorquere iussit: quo facto quos tum habebat, tanquam ad hostium occursum præpararentur, permisit ita ordinare aciem, ut quo quis voluisset loco consisteret: & cum inertissimus quisque retro se dedisset, strenui autem in fronte prosiluissent, ut quemque invenerat stantem, ita ad ordines militiæ provexit.

IX. Lysander Lacedæmonius, egressum via quendam castigabat: cui dicenti ad nullius rei rapinam se ab agmine recessisse, respondit, ne speciem quidem rapturi præbeas volo.

X. Antigonus, cum suum filium divertisse audisset in eius domum, cui tres filiæ insignes specie essent, Audio, inquit, fili, anguste habitare te; pluribus dominis domum possidentibus, hospitium laxius accipe: iussoque commigrare, edixit, ne quis minor quinquaginta annos natus, hospitio matrisfamilias uteretur.

XI. Q. Metellus Cos. quamvis nulla lege impediretur, quin filium contubernalem perpetuum haberet, maluit tamen, eum

eum in ordine merere.

XII. P. Rutilius Coss. cum secundum leges in contubernio suo filium posset habere, in legione militem fecit.

XIII. T. Scaurus filium, quod in saltu Tridentino loco hostibus cesserat, in conspectum suum venire vetuit: adolescens verecundia ignominiæ pressus, mortem sibi conscivit.

Castra antiquitus Romani, ceteræque gentes, passim per corpora cohortium velut mapalia constituere soliti erant, cum solos urbium muros nosset antiquitas. Pyrrhus Epirotarum rex, primus totum exercitum sub eodem vallo continere instituit. Romani deinde, victo eo in campis Arusinis, circa urbem Beneventum castris eius potiti, & ordinatione notata, paulatim ad hanc usque metationem, quæ nunc effecta est, pervenerunt.

XIV. P. Nasica in hybernis, quamvis classis usus non esset necessarius, ne tamen desidia miles corrumperetur, aut per otii licentiam sociis iniuriam inferret, naves ædificare instituit.

XV. M. Cato memoriæ tradidit, in furto comprehensis inter commilitones dextras esse præcisas: aut si lentius animadvertere voluissent in principes, sanguinem missum.

XVI,

XVI. Clearchus dux Lacedæmoniorũ exercitui dicebat, Imperatorem potius quam hostem metui debere: significans, eos, qui in prœlio dubiam mortem timuissent, certum, si deseruissent, manere supplicium.

XVII. Appii Claudii sententia, Senatus eos, qui à Pyrrho rege Epirotarum capti, & postea remissi erant, equites ad peditem redegit, pedites ad levem armaturam, omnibus extra vallum iussis tendere, donec bina hostium spolia singuli referent.

XVIII. Otacilius Crassus Coss. eos, qui ab Hannibale sub iugum missi redierant, tendere extra vallum iussit, ut immuniti assuescerent periculis, & adversus hostem audentiores fierent.

XIX. P. Cornelio Nasica, Decimo Junio Coss., qui exercitum deseruerant damnati, virgis cæsi publice venierunt.

XX. Domitius Corbulo in Armenia, duas alas & tres cohortes, quæ ad castellum initio hostibus cesserant, extra vallum iussit tendere, donec assiduo labore & prosperis excursionibus redimerent ignominiam.

XXI. Aurelius Cotta Cos. cum ad opus equites necessitate cogente iussisset accedere, eorumque pars detrectasset imperium, questus apud Censores, effecit, ut notarentur. A Patribus deinde

de obtinuit, ne eis præterita æra procederent.

XXII. Tribuni quoque plebis de eadem re ad populum pertulerunt, omniumque consensu stabilita disciplina est.

XXIII. Q. Metellus Macedonicus, in Hispania, quinque cohortes, quæ hostibus cesserant, testamentum facere iussas, ad locum recuperandum remisit: minatus, non nisi post victoriam receptum iri.

XXIV. P. Valerio Cos Senatus præcepit exercitum ad Sirim victum ducere Serinum, ibique castra munire, & hyemem sub tentoriis exigere.

XXV. Senatus, cum turpiter fugati eius milites essent, decrevit, ne auxilia eis submitterentur, nisi captis eius legionibus, quę Punico bello militiam detrectaverant. at in Siciliam velut relegatis per septem annos ordeum ex Senatusconsulto datum est.

XXVI. L. Piso Titium Præfectum cohortis, quod loco fugitivis cesserat, cincto togæ præciso, soluta tunica, nudis pedibus in principiis quotidie stare, dum vigiles venirent, iussit, cõviviisq; & balneo abstinere.

XXVII. Sylla cohortem & centuriones, quorum stationem hostis perruperat, galeatos & discinctos perstare in principiis iussit.

XXVIII. Domitius Corbulo in Armenia, Æmilio Rufo Præfecto equitum, quia hostibus cesserat, & parum instructam armis alam habebat, vestimenta per lictorem scindi, eidemque, ut erat fœdato habitu, perstare in principiis, donec mitterentur, imperavit.

XXIX. Attilius Regulus, cum ex Samnio in Lucernam transgrederetur, exercitusq; eius obviis hostibus aversus esset, opposita cohorte, iussit fugientes pro defectoribus cædi.

XXX. Cotta Cos. in Sicilia, in Valerium Nobilem Tribunum militum ex gente Valeria virgis animadvertit.

XXXI. Idem, P. Aurelium sanguine sibi iunctum, quem obsidioni Lipararum ipse ad auspicia repetenda Messanam transiturus præfecerat, cum agger incensus, & capta castra essent, virgis cæsum in numerum gregalium peditum referri, & muneribus fungi iussit.

XXXII. Fulvius Flaccus Censor Fulvium fratrem suum, quia legionem, in qua Tribunus militum erat, iniussu Consulis demiserat, à Senatu movit.

XXXIII. M Cato ab hostili littore, in quo per aliquot dies manserat, cum tradito profectionis signo classem solvisset, & relictus è militibus quidam alta voce & gestu expostularet, uti tolleretur, circumacta ad littus

littus universa classe comprehensum supplicio affici iussit; & quem occisuri per ignominiam hostes fuerant, exemplo potius impendit.

XXXIV. Appius Claudius ex his, qui loco cesserant, decimum quemque militẽ, sorte ductum, fuste percussit.

XXXV. Fabius Rullus Cos. ex duabus legionibus, quæ loco cesserant, sorte ductos in conspectu militum securi percussit.

XXXVI. Aquirius ternos ex centuriis, quorum statio ab hoste perrupta erat, securi percussit.

XXXVII. M. Antonius, cum agger ab hostibus incensus esset, ex his qui in opere fuerant, duarum cohortium militem decimavit, & in singulos ex his centuriones animadvertit, legatum cum ignominia demisit, reliquis ex legione ordeum dari iussit.

XXXVIII. In legionem, quæ Regium oppidum iniussu ducis diruerat, animadversum est, ita ut quatuor millia tradita custodiæ necarentur. Pręterea Senatusconsulto cautum est, ne quem ex iis sepelire vel lugere fas esset.

XXXIX. L. Papyrius Cursor Dictator Fabium Rutilium, Magistrum equitum, quod adversus edictum eius, quamvis prospere, pugnaverat, virgis poposcit cæsum, secu-

ſecuri percuſſurus: nec contentioni aut precibus militum conceſſit animadverſionem, eumque profugientem Romam perſecutus eſt: nec ibi quidem remiſſo prius ſupplicii metu, quã ad genua eius & Fabius cum patre provolveretur, ac pariter Senatus ac populus rogarent.

XL. Manlius, cui Imperioſo poſtea cognomen fuit, filium, quod is contra edictũ patris cum hoſte pugnaverat, quamvis victorẽ, in conſpectu exercitus virgis cæſum ſecuri percuſſit.

XLI. Manlius filius, exercitu pro ſe adverſus patrem ſeditionem parante, negavit tanti eſſe quenquam, ut propter illum diſciplina corrumperetur; & obtinuit, ut ipſum puniri paterentur.

XLII. Q. Fabius Maximus transfugarũm dexteras præcidit.

XLIII. C. Curio Cos. bello Dardanico, circa Dirrachium, cum ex quinque legionibus una, ſeditione facta, militiam detrectaſſet, ſecuturamque ſe temeritatem ducis in expeditionem aſperam & inſidioſam negaſſet, quatuor legiones eduxit armatas, & cõſiſtere omnibus, detectis armis velut in acie, iuſſit: poſt hæc ſeditioſam legionem inermem procedere, diſcinctamque in conſpectu armati exercitus, ſtramẽta coëgit ſecare; poſtero autem die ſimiliter foſſam diſcinctos milites facere: nulliſque

lisque precibus legionis ab eo impetrari potuit, ne signa eius submitteret, nomenque aboleret, milites autem in supplementum cæterarum legionum distribueret.

XLIV. Q.Fulvio, Appio Claudio Cos., milites ex pugna Cannensi in Siciliam à Senatu relegati postulaverant à Coss. M. Marcello, ut in prœlium ducerentur: ille Senatum consuluit: Senatus negavit, sibi placere committi his Rempublicam, quam deseruissent: Marcello tamen permisit facere quod videretur, dum ne quis eorum munere vacaret, neve donaretur, neve quod præmium ferret, aut in Italiam reportaretur, dum Pœni in ea fuissent.

XLV. M. Salinator Consularis damnatus est à populo, quod prædam non æqualiter diviserat militibus.

XLVI. Cum ab Liguribus in prœlio Q. Petilius Cos. interfectus esset, decrevit Senatus, uti ea legio, in cuius acie Coss. erat occisus, tota infrequens referretur, stipendium ei annuum non daretur, æraque rescinderentur.

Cap.

CAP. II.

De effectu disciplinæ.

EXEMPLUM I.

BRUTI & Cassii exercitus, memoriæ proditum est, bello civili, cum una per Macedoniam iter facerent, priorque Brutus ad fluvium, in quo pontem iungi oportebat, pervenisset, Cassii tamen exercitum & in efficiendo ponte, & in transitu maturando præcessisse. Qui vigor disciplinæ effecit, ne non solum in operibus, verum etiam in summa belli præstarent Cassiani Brutianis.

II. C. Marius, cum facultatem eligendi exercitus haberet, ex duobus, qui sub Rutilio, & qui sub Metello, ac postea sub se ipso meruerant, Rutilianum quendam minorem, qui certioris disciplinæ arbitrabatur, præoptavit.

III. Domitius Corbulo, duabus legionibus & paucissimis auxiliis disciplina correcta, Parthos sustinuit.

IV. Alexander Macedo quadraginta millibus hominum, iam inde à Philippo patre disciplinæ assuefactis, orbem terrarum aggressus, innumeras hostium copias vicit.

V. Cyrus, bello adversus Persas, qua-

tuor-

tuordecim millibus armatorum immenſas difficultates ſuperavit.

VI. Epaminondas dux Thebanorum, quatuor millibus hominum, ex quibus quadringenti tantum equites erant, Lacedæmoniorum exercitum viginti quatuor millium peditum, equitum mille ſexcentorum, vicit.

VII. A quatuordecim millibus Græcorum, qui numerus in auxiliis Cyri adverſus Artaxerxem fuit, centum millia barbarorum prœlio ſuperata ſunt.

VIII. Eadem Græcorum quatuordecim millia, prœlio amiſſis ducibus, reditus ſui cura uni ex corpore ſuo Xenophonti Athenienſi demandata, per iniqua & incognita loca, incolumia reverſa ſunt.

IX. Xerxes, à trecentis Lacedæmoniorum ad Thermopylas vexatus, cum vix eos confeciſſet, hoc ſe deceptum aiebat, quod multos quidem homines haberet, viros autem diſciplinæ tenaces nullos.

CAP. III.

De continentia.

EXEMPLUM I.

M. Catonem vino eodem, quo remiges, contentum fuisse traditur.

II. Fabricius, cum Cyneas legatus Epirotarum grande pondus auri dono ei daret; non accepto eo dixit, Malle se habentibus id imperare, quam habere.

III. Attilius Regulus, cum summis rebus præfuisset, adeo pauper fuit, ut se, coniugem, liberosque, toleraret agello, qui colebatur per unum villicum; cuius audita morte, scripsit Senatui de successore, destitutis rebus obitu servi, necessariam esse præsentiam suam.

IV. Cn. Scipio post res prospere gestas in Hispania, in summa paupertate decessit, ne ea quidem relicta pecunia, quæ sufficeret in dotem filiarum; quas ob inopiam publice dotavit Senatus.

V. Idem præstiterunt Athenienses filiis Aristidis, post amplissimarum rerum administrationem, in maxima paupertate defuncti.

VI. Epaminondas dux Thebanorum tantæ abstinentiæ fuit, ut in supellectili eius

eius præter ahenum & veru unicum nihil inveniretur.

VII. Hannibal ſurgere de nocte ſolitus, ante noctem non requieſcebat, crepuſculo demum ad cœnam vacabat: neque amplius quam duobus lectis diſcumbebatur apud eum.

VIII. Idem, cum ſub Haſdrubale Imperatore militaret, plerumque ſuper nudam humum, ſagulo tectus, ſomnos capiebat.

IX. Æmilianum Scipionem traditur in itinere cum amicis ambulantem, accepto pane, veſci ſolitum.

X. Idem & de Alexandro Macedone dicitur.

XI. Maſiniſſam, nonageſimum ætatis annum agentem, meridie ante tabernaculum ſtantem, vel ambulantem, capere ſolitum cibos legimus.

XII. M. Curius, cum victis ab eo Sabinis, ex Senatuſconſulto ampliaretur ei modus agri, quem conſummati milites accipiebant, gregaliũ portione contentus fuit: malum civem dicens, cui non eſſet id, quod cæteris, ſatis.

XIII. Univerſi quoque exercitus notabilis ſæpe fuit continentia. Sicuti eius, qui ſub M. Scauro meruit. Namque memoriæ tradidit Scaurus, pomiferam arborẽ, quam in pede caſtrorum fuerat complexa metatio,

tio, postero die abeunte exercitu intactis fructibus relictam.

XIV. Auspiciis Imperatoris Cæsaris Domitiani Augusti, Germanico bello, quod Julius Civilis in Gallia moverat, Lingonum opulentissima civitas, quæ ad Civilem desciverat, cum adveniente exercitu Cæsaris populationem timeret, quod contra expectationem inviolata, nihil ex rebus suis amiserat, ad obsequium redacta septuaginta millia armatorum ei tradidit.

XV. L. Mummius, qui Corintho capta non Italiam solum, sed etiam provinciam tabulis statuisque exornavit, adeo nihil ex tantis manubiis in suum convertit, ut filiam eius inopem Senatus ex publico dotaverit.

CAP. IV.

De iustitia.

EXEMPLUM I.

CAMILLO Faliscos obsidenti ludimagister liberos Faliscorum, tanquam ambulandi caussa extra murum eductos, tradidit, dicens, repetendis eis obsidibus necessario civitatem imperata facturam. Camillus non solum sprevit perfidiam, sed & restrictis post terga manibus magi-

strum virgis agendum ad parentes tradidit pueris: Adeptusque est beneficio victoriam, quam fraude non concupierat. Nam Falisci ob hanc iustitiam sponte ei se dediderunt.

II. Ad Fabricium ducem Romanorum medicus Pyrrhi Epirotarum regis pervenit, pollicitusque est daturum se Pyrrho venenum, si merces sibi, in qua operæ pretium foret, constitueretur: quo facinore Fabricius egere victoriam suam non arbitratus, regi medicum detexit: atque ea fide meruit, ut ad appetendam amicitiam Romanorum compelleret Pyrrhum.

CAP. V.

De constantia.

EXEMPLUM I.

CN. Pompeius minantibus direpturos pecuniam militibus, quæ in triumpho ferretur, Servilio & Glaucia cohortantibus ut divideret eam, ne seditio fieret, affirmavit, non triumphaturum se, sed potius moriturum, quam licentiæ militum succumberet: castigatisque oratione gravi laureatos fasces obiecit, ut ab illorum inciperent direptione; eaque invidia redegit eos ad modestiam.

II. C.

II. C. Cæsar seditione in tumultu civilium armorum, ac tum maxime tumentibus animis, legionem totam exauctoravit, ducibus seditionis securi percussis: mox eos, quos exauctoraverat, ignominiam deprecantes restituit, & optimos milites habuit.

III. Postumius Consularis cohortatus suos, cum interrogatus esset à militibus, quid imperaret, dixit, ut se imitarentur: & arrepto signo hostes primus invasit; quem secuti, victoriam adepti sunt.

IV. L. Marcellus, cum in manus Gallorum imprudens incidisset, circumspiciendæ regionis, qua evaderet, caussa, equum in orbem flexit: deinde cum omnia esse infesta vidisset, precatus Deos in medios hostes irrupit. quibus inopinata audacia perculsis, ducem quoque eorum trucidavit; atque ubi spes salutis vix superfuerat, inde opima retulit spolia.

V. L. Paulus, amisso ad Cannas exercitu, offerente equum Lentulo, quo fugeret, superesse cladi (quanquam non per ipsum contractæ) noluit, sed in eo saxo, cui se vulneratus acclinaverat, persedit, donec ab hostibus oppressus confoderetur.

VI. Varro collega eius vel maiore constantia post eandem cladem vixit, gratiæque ei à Senatu & populo actæ sunt, quod

non desperasset de Republica. Non autem vitæ cupiditate, sed Reipublicæ amore, se superfuisse reliquo ætatis suæ tempore approbavit. Nam & barbam capillumque submisit, & postea nunquam recubans cibum cepit, honoribusque, cum ei deferrentur à populo, renunciavit, dicens, felicioribus magistratibus Reipublicæ opus esse.

VII. Sempronius Tuditanus & C. Octavius Tribunus militum, omnibus fusis ad Cannas, cum in minoribus castris circumsederentur, suaserunt commilitonibus, ut stringerent gladios, & per hostium præsidia erumperent secum: id sibi esse animi, etiam si nemini ad erumpendum audacia fuisset, affirmantes. De cunctantibus duodecim omnino equitibus vel peditibus, qui comitari sustinuerant, repertis, incolumes Canusium pervenerunt.

VIII. C. Fonteius Crassus, in Hispania, cum tribus millibus hominum prædatum profectus, locoque iniquo circumventus ab Hasdrubale, ad primos tantum ordines relato consilio, incipiente nocte, (quo tempore minime exspectabatur) per stationes hostium erupit.

IX. P. Decius Tribunus militum, bello Samnitico, Cornelio Cosso Cos. iniquis locis deprehenso ab hostibus, suasit,

ſit, ut ad occupandum collem, qui in propinquo erat, modicam manum mitteret, ſeque ducem iis, qui mittebantur, obtulit: avocatus in diverſa hoſtis, emiſit Conſulem. Decium autem cinxit, obſeditque: illas quoque anguſtias, nocte eruptione facta, cum eluctatus eſſet Decius, incolumis cum militibus Conſuli acceſſit.

X. Idem fecit ſub Attilio Calatino Cos. is cuius varie traditur nomen. Alii Laberium, nonnulli Q. Cæditium, plurimi Calpurnium Flammam vocitatum ſcripſerunt. Hic cum demiſſum in eam vallem videret exercitum, cuius latera omnia ſuperiora hoſtis inſederat, depopoſcit, & accepit à Conſule trecentos milites; quos hortatus, ut virtute ſua exercitum ſervarent, in mediam vallem decurrit: ad opprimendos eos undique deſcendit hoſtis, longoque & aſpero prœlio retentus, occaſionem Conſuli ad extrahendum exercitum dedit.

XI. C. Cæſar adverſus Germanos & regem Arioviſtum pugnaturus, confuſis ſuorum animis, pro concione dixit, nullius ſe eo die opera, niſi decimæ legionis, uſurum: quo aſſecutus eſt, ut & decimani tanquam præcipuæ fortitudinis teſtimonio concitarentur, & cæteri pudore, ne penes alios gloria virtutis eſſet.

XII. Lacedæmonius quidam nobilis,

Philippo denunciante multis se prohibuturum, nisi civitas sibi traderetur: Num, inquit, & pro patria mori nos prohibebit?

XIII. Leonidas Lacedæmonius, cum dicerentur Persæ sagittarum multitudine nubes esse facturi, fertur dixisse, Melius in umbra propugnabimus.

XIV. Cælius Prætor Urbanus, cum ei ius dicenti picus in capitè insedisset, & aruspices respondissent, dimissa ave, hostium victoriam fore; necata, populum Romanum superiorem, ac Cælium cum familia periturum, avem occidit: qua occisa, nostro exercitu vincente, ipse cum quotuordecim Cæliis ex eadem familia in prœlio est occisus. Hunc quidam non Cælium, sed Lælium fuisse, & Lælios, non Cælios periisse credunt.

XV. P. Decius primo pater, postea filius, in magistratu se pro Republica devoverunt, admissisque in hostem equis, adepti victoriam patriæ contulerunt.

XVI. P. Crassus, cum bellum adversus Aristonicum in Asia gerens inter Æliam & Myrinam in hostium copias incidisset, vivusque abduceretur, exsecratus in Consule Romano captivitatem, virga, qua ad equum erat usus, Thraci (à quo tenebatur) oculum eruit, atque ab eo per dolorem concitato transverberatus, dedecus servitutis,

tutis, ut voluerat, effugit.

XVII. M. Cato Censorii filius, in acie decidente equo prolapsus, cum se recollegisset, animadvertissetque gladium excidisse vagina, veritus ignominiam rediit in hostem: ex eoque, aliquot vulneribus recuperato demum gladio, reversus est ad suos.

XVIII. Petilini, à Pœnis obsessi, parentes & liberos propter inopiam eiecerunt: ipsi coriis madefactis, & igne siccatis, foliisque arborum & omni genere animalium vitam trahentes undecim menses, obsidionem toleraverunt.

XIX. Hispani Arabricenses omnia eadem passi sunt, nec oppidum Herculeio tradiderunt.

XX. Cassilini, obsidente Hannibale, tantam inopiam perpessi sunt, ut centum denariis murem venisse, proditum memoriæ sit, eiusque venditorem fame periisse, emtorem autem vixisse: fidem tamen servare Romanis perseveraverunt.

XXI. Cyzicum cum oppugnaret Mithridates, captivos eius urbis produxit, ostenditque obsessis, arbitratus, futurum, ut miseratione suorum compelleret ad deditionem oppidanos: at illi, cohortati ad patiendum fortiter mortem captivos, servare Romanis fidem perseveraverunt.

XXII. Segobrigenſes, cum à Viriato liberi & coniuges cæderentur, præoptaverunt ſpectare ſupplicia pignorum ſuorum, quam à Romanis deficere.

XXIII. Numantini, ne ſe dederent, fame mori præfixis foribus domuum ſuarum maluerunt.

CAP. VI.

De affectu & moderatione.

EXEMLPUM I.

Q. Fabius, hortante filio, ut locum idoneum paucorum iactura caperet, Visne, inquit, tu ex illis paucis eſſe?

II. Xenophon, cum equo veheretur, & pedites iugum quoddam occupare iuſſiſſet, unum ex eis obmurmurantem, quod diceret, facile tam laborioſa ſedentem imperare, deſiliit, & gregalem equo impoſuit, curſuque ipſe pedeſtri ad deſtinatum iugum contendens pervenit; cuius facti ruborem cum perpeti miles non poſſet, irridentibus commilitonibus ſponte deſcendit: Xenophontem vix univerſi perpulerunt, ut conſcenderet equum, & laborem ſuum in neceſſaria duci munera reſervaret.

III. Alexander, cum hyeme duceret exer-

exercitum, resîdens ad ignem recognoscere prætereuntes copias cœpit: cumque conspexisset quendam prope exanimatum frigore, considere loco suo iussit, dixitque ei, Si in Persis natus esses, in regia sella resedisse tibi capitale foret, in Macedonia nato conceditur.

IV. D. Augustus Vespasianus, cum quendam adolescentem honeste natum militiæ inhabilem, angustiarum rei familiaris causa deductum ad longiorem ordinem rescisset, censu constituto, honesta missione exauctoravit.

CAP. VII.

De variis consiliis.

EXEMPLUM I.

CÆSAR dicebat, idem esse sibi consilium adversus hostem, quod plerisque medicis contra vitia corporum, fame potius quam ferro superandi.

II. Domitius Corbulo dolabra, id est, operibus, hostem vincendum esse dicebat.

III. L. Paullus Imperatorem senem moribus dicebat esse oportere, significans, moderatiora sequenda consilia.

IV. Scipio Africanus fertur dixiſſe, cum eum parum quidam pugnacem dicerent, Imperatorem me mater, non bellatorem peperit.

V. C. Marius Teutono, provocanti eum & poſtulanti ut prodiret, reſpondit, Si cupidus mortis eſſet, laqueo eum vitam poſſe finire: cumque demonſtraret ei gladiatorem contemtæ ſtaturæ & prope exactæ ætatis, obiecit ei, dixitque, Si eum ſuperaſſet, cum victore congreſſurum.

VI. Q. Sertorius, quod experimento didicerat, imparem ſe univerſo Romanorum exercitui, ut barbaros quoque inconſulte pugnam depoſcentes doceret, adductis in conſpectum duobus equis, eorum prævalido alteri, alteri admodum exili, duos admovit iuvenes ſimiliter affectos, robuſtum & gracilem: robuſtiori imperavit, equi exilis univerſam caudam abrumpere: gracili autem, valentioris per ſingulos pilos vellere: cumque gracili ſucceſſiſſet quod imperatum erat, validiſſimus cum infirmi equi cauda ſine effectu luctaretur, Iam, inquit Sertorius, naturam Romanarum cohortium per hoc vobis exemplum oſtendi, milites: inſuperabiles ſunt univerſas aggredienti; eos lacerabit & carpet qui per partes attentaverit.

VII. Va-

VII. Valerius Levinus Cos. cum intra castra sua exploratorem hostium deprehendisset, magnamque copiarum suarum fiduciam haberet, circumduci eum iussit; terrendique hostis caussa, exercitus suos visendos speculatoribus eorum, quoties voluissent, patere.

VIII. Cælius Primipilaris, qui in Germania post Varianam cladem obsessis nostris pro duce fuit, veritus, ne barbari ligna, quæ congesta erant, vallo admoverent, & castra eius incenderent, simulata lignorum inopia, missis undique qui ea furarentur, effecit, ut Germani universos truncos amolirentur.

IX. Cn. Scipio, bello navali, amphoras pice & teda plenas in hostium classem iaculatus est, quarum iactus & pondere foret noxius, & diffundendo quæ continuerant, alimentum præstaret incendio.

X. Hannibal Regi Antiocho monstravit, ut in hostium classem vascula iacularetur viperis plena, quarum metu perterriti milites à dimicatione & nauticis ministeriis impedirentur.

XI. Idem fecit iam cedente classe sua Prusias.

XII. M. Porcius impetu in classem hostium cum transiluisset, deturbatis ex ea Pœnis, eorumque armis & insignibus

inter suos distributis, multas naves hostium, quos sociali habitu fefellerat, mersit.

XIII. Athenienses, cum subinde à Lacedæmoniis infestarentur, diebus festis, quos sacros Minervæ extra urbem celebrabant, omnem quidem colentium imitationem expresserunt, armis tantum veste celatis: peracto ritu suo, non statim Athenas reversi, sed protenus inde raptim acto Lacedæmonem versus agmine, eo tempore quo minime timebantur, agrum hostium, quibus subinde prædæ fuerant, ultro depopulati sunt.

XIV. Cassius onerarias naves, non magni ad alia usus, accensas opportuno vento in classem hostium misit, & incendio eam consumsit.

XV. M. Livius, fuso Hasdrubale, hortantibus eum quibusdam, ut hostem ad internecionem persequeretur, respondit: Aliqui & supersint, qui de victoria nostra hostibus nuntient.

XVI. Scipio Aphricanus dicere solitus est, hosti non solum dandam esse viam fugiendi, sed etiam muniendam.

XVII. Pericles Athensensis affirmavit, incolumes futuros hostes, si deponerent ferrum: eiusque obsecutos conditionibus, universos, qui in sagulis ferreas fibulas habuis-

habuissent, interfici iussit.

XVIII. Hasdrubal subigendorum Numidarum caussa ingressus fines eorum, resistere parantibus affirmavit, ad capiendos se venisse elephantos, quibus ferax est Numidia: ut hoc permitterent, poscentibus securitatem promisit, & ex ea persuasione avocatos adortus sub leges redegit.

XIX. Alcetas Lacedæmonius, ut Thebanorum commeatum facilius ex inopinato aggrederetur, in occulto paratis navibus, tanquam unam omnino haberet triremem, vicibus in ea remigem exercebat: quodam deinde tempore omnes naves in Thebanos transnavigantes immisit, & commeatibus eorum potitus est.

XX. Ptolemæus adversus Perdiccam exercitu prævalentem ipse invalidus, omne pecudum genus, religatis ad tergum quæ traherent carpentis, agendum per paucos curavit equites: ipse prægressus cum copiis, quas habebat, effecit, ut pulvis, quem pecora excitaverant, speciem magni sequentis exercitus moveret, cuius exspectatione territum vicit hostem.

XXI. Myronides Atheniensis adversus Thebanos equitatu prævalentes pugnaturus, in campis suos edocuit, manentibus

tibus esse spem aliquam salutis, cedentibus autem perniciosissimum: qua ratione confirmatis militibus, victoriam consecutus est.

XXII. L. Pinarius in Sicilia præsidio Ennæ præpositus claves portarum, quas penes se habebat, reposcentibus magistratibus Ennensium, quod suspectos eos, tanquam transitionem ad Pœnum pararent, habebat, petiit unius noctis ad deliberationem spacium: indicataque militibus fraude Græcorum, cum præcepisset, ut parati postera die signum expectarent, prima luce assistentibus redditurum se claves dixit, si idem omnes Ennenses censuissent: ob eam causam universa multitudine convocata in theatrum, & idem flagitante, manifesta deficiendi voluntate, signo militibus dato, universos Ennenses cecidit.

XXIII. Iphicrates, dux Atheniensium, classem suam hostili habitu instruxit, & ad eos, quos suspectos habebat, invectus, cum effuso studio exciperetur, deprehensa eorũ perfidia, oppidum diripuit.

XXIV. Tiberius Gracchus, cum edixisset, futurum, ut ex volonum numero, fortibus libertatem daret, ignavos crucibus affigeret, & quatuor millia ex his, quia segnius pugnaverant, metu pœnæ in quendam munitum collem coissent, misit qui

eis dicerent, totum sibi exercitum volonum vicisse videri, quod hostes fugissent: & sic eos, & sua fide, & ipsorum metu exolutos, recepit.

XXV. Hannibal post prœlium, quo ingentem cladem ad Thrasymenum Romani acceperunt, cum sex millia hostium, interposita pactione, in potestatem suam redegisset, socios Latini nominis benigne in civitates suas dimisit, dictitans, se Italiæ liberandæ caussa bellum gerere; eorumque opera aliquot populos in deditionem accepit.

XXVI. Mago, cum Locri obsiderentur à Crispino, classis nostræ præfecto, diffudit ad Romana castra rumorem, Hannibalem cæso Marcello ad liberandos obsidione Locros venire; clam deinde equites emissos iussit à montibus, qui in conspectu erant, se ostendere: quo facto effecit, ut Crispinus Hannibalem adesse ratus conscenderet naves, ac fugeret.

XXVII. Scipio Æmilianus, ad Numantiam, omnibus non cohortibus tantum sed cẽturiis sagittarios & funditores interposuit.

XXVIII. Pelopidas Thebanus, cum à Thessalis in fugam versus, flumen in quo tumultuarium fecerat pontem liberasset,

rasset,ne sequentibus hostibus idem transitus maneret, novissimo agmini praecepit, incenderent pontem.

XXIX. Romani cum Campanis equitibus nullo modo pares essent, Q. Naevius Centurio in exercitu Fulvii Flacci Procos. excogitavit, ut delectos ex toto exercitu, qui velocissimi videbantur, & mediocris staturae erant, parmulis non amplis, & galericulis gladiisque, ac septenis singulos hastis quaternorum circiter pedum armare, eosque adiunctos equitibus, iuberet usque ad moenia provehi: deinde ibi positis nostris equitibus incipere inter hostium equitatum proeliari. quo facto, vehementer & ipsi Campani afflicti sunt, & maxime equi eorum; quibus turbatis, prona nostris victoria fuit.

XXX. P. Scipio in Lydia, cum die ac nocte imbre continuo vexatum exercitum Antiochi videret; nec homines tantum aut equos deficere, verum arcus quoque madentibus nervis inhabiles factos, exhortatus est fratrem, ut postero, quamvis religioso die, committeretur proelium: quam sententiam secuta victoria est.

XXXI. Catonem, vastantem Hispaniam, legati Ilergetum, qui sociorum populus erat, adierunt, oraveruntq; auxilia: ille

ne

ne aut abnegato adiutorio socios alienaret, aut diducto exercitu vires minueret, tertiam partem militum cibaria parare, & naves ascendere iussit, dato præcepto, ut causati ventos, retro redirent: præcedens interim adventantis auxilii rumor, ut Ilergetum excitavit animos, ita hostium consilia discussit.

XXXII. C. Cæsar, cum in partibus Pompeianis magna equitum Romanorum esset manus, eaque armorum scientia milites conficeret, ora oculosque eorum gladiis peti iussit, & sic adversam faciem cædere coëgit.

XXXIII. Vaccei, cum à Sempronio Graccho collatis signis urgerentur, universas copias cinxere plaustris, quæ impleverant fortissimis viris, muliebri veste tectis. Sempronium quoque, tanquam adversus fœminas, audentius ad obsidendos hostes consurgentem, hi qui in plaustris erant aggressi, fugaverunt.

XXXIV. Eumenes Cardianus ex successoribus Alexandri, in castello quodam clausus, quo exercere equos non poterat, certis quotidie horis ita suspendebat, ut posterioribus pedibus innixi, prioribus allevatis, cum naturalem assistendi appetunt consuetudinem, ad sudorem undique crura iactarent.

XXXV. M. Cato, pollicentibus barbaris

baris duces itinerum, & insuper præsidium, si magna summa eis promitteretur, non dubitavit polliceri: quia aut victoribus ex spoliis hostilibus poterat dare, aut interfectis exsolvebatur promissio.

XXXVI. Q. Maximus transfugere ad hostes volentem Statilium, nobilem claræ operæ equitem, vocari ad se iussit: eique excusavit, quod invidia commilitonum, virtutes illius ad id tempus ignorasset: tum donato ei equo, pecuniam insuper largitus, obtinuit, ut quem ex conscientia trepidum accersierat, lętum dimitteret, & ex dubio in reliquum non minus fidentem quam fortem haberet equitem.

XXXVII. Philippus, cum audisset, Pythiam quendam, bonum pugnatorem, alienatum sibi, quod tres filias inops vix aleret, nec à rege adiuvaretur, monentibus quibusdam uti eum caveret: Quid si, inquit, partem ægram corporis haberem, abscinderem potius, quam curarem? Deinde familiariter secreto elicitum Pythiam, accepta difficultate necessitatum domesticarum, pecunia instruxit: ac meliorem fideli oremque habuit, quam habuerat, antequam offenderet.

XXXVIII. T. Quintius Crispinus, post infaustam adversus Pœnos dimicationem, qua collegam Marcellum amiserat,

cum

cum comperisset, potitum annulo interfecti Hannibalem, litteras circa municipia totius Italiæ dimisit, ne crederent epistolis, si quæ Marcelli annulo obsignatæ perferrentur: monitione consecutus est, ut Salapia, & aliæ urbes frustra Hannibalis dolis tentarentur.

XXXIX. Post Cannensem cladem, perculsis ita Romanorum animis, ut pars magna reliquiarum nobilissimis auctoribus deserendę Italię iniret consilium, P. Scipio, adolescens admodum, impetu facto, in eo ipso in quo talia agitabantur cœtu pronuntiavit, manu se sua interfecturum, nisi qui iurasset, non esse sibi mentem destituendæ Reipublicæ: cumque ipse se primus religione tali obligasset, stricto gladio mortem uni ex proximis minatus, nisi acciperet sacramentum; illum metu, cæteros etiam exemplo coëgit ad iurandum.

XL. Volscorum castra cum prope à virgultis silvaque posita essent, Camillus ea omnia, quæ conceptum ignem usque in vallum perferre poterant, incendit, & sic adversarios exuit castris.

XLI. Crassus, bello sociali, eodem modo prope cum copiis omnibus interceptus est

XLII. Q. Metellus in Hispania castra moturus, cum in agmine milites continerent

nerent se intra castra. Hermocrates detentos eos, postero die habilioribus iam suis tradidit, bellumque confecit.

XLIII. Miltiades, cum ingentem Persarum multitudinem apud Marathonem fudisset, Athenienses circa gratulationem morantes, compulit, ut festinarent ad opem urbi ferendam, quam classis Persarum petebat: cumque præcurrisset, impleſſetque mœnia armatis, Persæ rati ingentem esse numerum Atheniensium, & alio milite apud Marathonem pugnatum, alium pro muris suis opponi, circumactis extemplo navibus, Asiam repetierunt.

XLIV. Pisistratus Atheniensis, cum excepisset Megarensium classem, qua illi ad Eleusin noctu applicuerant, ut operatas Cereris sacro fœminas Atheniensium raperent, magnaque edita cæde eorum ultus esset suos, eadem quæ ceperat navigia Atheniensi milite complevit, quibusdam matronis habitu captivarum in conspectu locatis: qua facie decepti Megarenses, tanquam suis, & cum successu renavigantibus, effusi obvii, inermesque, rursus oppressi sunt.

XLV. Cimon dux Atheniensium, victa classe Persarum apud insulam Cypron, milites suos captivis armis induit, & iisdem barbarorum navibus ad hostem navigavit in Pamphyliam apud flumen Eury-

medon-

medonta. Perſæ, quia & navigia & habitum ſuperſtantium agnoſcerent, nihil caverunt: ſubito itaque oppreſſi, eodem die & navali & pedeſtri prœlio victi ſunt.

SEXTI

JULII FRONTINI

V. C.

STRATEGICΩN,

Ex recenſione PETRI SCRIVERII,

FINIS.

NOMINA EORUM, QUORUM STRATEGEMATA A FRONTINO RECENSENTUR.

A.

Ari-

B.

C.

Chabrias.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

Phor-

Q.

R.

S.

T.

Themi-

V.

X.

INDICIS FINIS.

VETUSTISSIMI SCRIPTORIS

ÆNEÆ

POLIORCETICUS,

Sive

DE TOLERANDA OBSIDIONE.

ISAACO CASAUBONO

Interprete.

ÆNEÆ COMMENTARIVS TACTICVS, ET OBSIDIONALIS, Sive *De toleranda obſidione.*

PRÆFATIO.

QUOTIES aliqui mortalium, relicta patria certamina & pericula extra fines ſuos ſubeunt; ii ſi quam terra marive fortunam adverſam fuerint experti, ſuperſtitibus illorum propria regio atque urbs manent ſalvæ: ut perire cuncti funditus non queant. iis vero, qui de rebus omnium maximis ſunt periclitaturi, ſacris, patria, parentibus, liberis, atque aliis, nec par nec ſimile propoſitum eſt certamen. nam hi ſi ſalvi evaſerint, & hoſtes fortiter repulerint, terribiles adverſariis evadent; ut nemo facile in poſterum moliri aliquid adverſus eos velit: ſin autem ignavos in defendendis periculis ſeſe præbuerint; nulla de cætero ſpes ſalutis reſtat reliqua. De talibus igitur

tantisque rebus decertaturos, neque in belli apparatibus, neque in alacritate animorum, fas est quicquam prætermittere: quin potius, multis, atque adeo omne genus rebus est eis prospiciendum, quo ne culpa, saltem suamet ipsorum, detrimentum ullum accipiant: aut si casus aliquis intervenerit; cæteri tamen, quibus Fortuna pepercerit, ut res lapsas in pristinum locum restituant: sicut Græcorum nonnulli, quum ad ultima pervenissent malorum, è calamitatibus tamen emerserunt.

CAP. I.

Hominum ordinatio, & obsessorum in varias manus tributio.

IN corporum ordinatione considerandum est, ut pro magnitudine civitatis, pro situ & conditione oppidi, pro eo vigilum numero qui est constituendus, pro aliis item ministeriis, quæ in urbe obsessa à certis corporibus obiri debent, partitio eorum instituatur. Et illi quidem qui extra muros proficiscuntur, secundum naturam locorum debent ordinari, ad quæ mittuntur, & per quæ transeundum; periculis puta exposita, aut munita, angustiis arctata, aut plana, edita in altum, aut insidiis locandis nata; item, in quibus hostes sint amnem traiecturi, aut ubi ex tali aliqua

occasione acie sit dimicandum. in illis vero instruendis copiis, quæ intra muros remansuræ sunt, custodiæ urbis deputatæ; non ea quæ modo diximus sunt spectanda; sed eorum potius locorum quæ in urbe sunt, ac præsentis periculi haberi ratio debet. Primum igitur prudentissimos quosque, rei bellicæ peritissimos eximere oportet, qui magistratibus præsto semper sint futuri: tum autem è cæteris corpora seligenda sunt, laboris patientissima; atque ex his certæ militum manus conscribendę; qui ad erumpendum in hostem, ad circuitiones urbanarum vigiliarum, ad submittenda pressis auxilia, & similia his alia ministeria destinati, iis muneribus exequendis futuri sint pares. Porro istos bene in civitatem esse animatos, & in præsente rerum statu acquiescere oportet. nam adversus clandestinas aliorum molitiones, corpus hoc congregatum, instar arcis cuiusdam, magno fuerit præsidio. metu enim continebitur factio contraria, si qua in urbe fuerit. Ducatus vero & cura horum viro tradatur, cum cætera prudenti, & robusto; tum etiã, quem ex mutatione rerum plurima pericula maneant. è reliquis, valentissimi quique statura corporis & iuventa eligendi, qui in excubiis atque mœnibus collocentur. iam quæ superest multitudo, pro longitudine noctium & modo vigiliarum, in

plures

plures pauciorésve manipulos debet descri-bi. è plebis vero turba, alii in foro, alii in theatro collocantor; alii in vacuis areis, si quæ sunt in urbe; ne qua penitus illius pars defensoribus sit nudata.

CAP. II.

De areis in urbe vacuis, & quomodo sint obstruenda.

ENIMVERO plures in urbe areas esse inutiles, nihil quicquam iuvat. ne si qui forte res novare voluerint, & in illis occupandis aliorum conatus antevertere, diversis opus sit militum agminibus, qui fossis cavatis eas obstruant, & quam maxime fieri potest reddant impervias, si qui forte res novas moliri, atque illos occupare, voluerint. Lacedæmonii, quum in eorum agrum Thebani irrupissent, proximas sibi quisque ædes demoliendo, & è maceriis murisque, alii alibi saccos terra & lapidibus opplendo; atque, ut aiunt, sacris ex ære tripodibus, qui penes eos erant multi & magni, in eam rem utendo; quum hisce omnibus aditus transitusque oppidi sui, & vacuas omnes areas, obturate occupassent, hostem perrumpere intra muros conantem repressérunt. Platæenses, quum Thebanos silentio noctis urbem suam esse ingressos didicissent; animadversa paucitate illo-rum;

rum: cognito etiam, ipsos nihil earum rerum curare, quibus attendere debebant, qui tamen in sua iam potestate urbem esse sibi persuadebant: existimarunt, si hostem adorirentur, non difficilem sibi fore victoriam. dolum igitur è vestigio hunc comminiscuntur. Magistratuum alii in foro de pactorum conditionibus cum Thebanis agunt: alii cæteris civibus clam præcipiunt, ut separatim quidem è domibus suis ne egrederentur; sed singuli aut bini simul, parietibus intergerrivis perfossis, occulte alii apud alios congregarentur. ubi idonea multitudo convenit, *vias* urbis & vicos plaustris absque iumentis obstruxerunt; deinde ad datum signum manu facta, in Thebanos irruerunt. simul & mulierculæ & famuli in tectis stabant. Ex quo evenit, ut Thebanis per tenebras rem gerere volentibus, & defendere sese, non minus damni plaustra afferrent, quam qui ipsos urgebant Platæenses. nam illi quidem, utpote qua evadendum esset ignari, propter plausttorum sepimenta hærebant: hi vero contra, cum certa scientia hostem persequentes, cito multos eorum occiderunt. Sed & rationes his contrariæ in medium sunt adducendæ. quippe si una duntaxat sit area vacua, atque eam coniurati sibi asserere anteverterint, magno in periculo oppidani versentur. nam ubi unicus tan-

tantum est locus eiusmodi, omnibus communis, in præoccupantium diligentia posità est palma. sin autem loca eiusmodi fuerint duo aut tria, hæc sequentur commoda. si factio contraria unum alterumve eorum ceperit, reliquus saltem diversa sentientibus restat: sin omnia loca conspirati occuparint, separati hoc pacto & divisi infirmiores erunt ad resistendum adversariis, in unum conglobatis; utpote qui per singulas urbis partes divisi non erunt. atque ita etiam in cæteris deliberationibus, quæ insunt contraria doctrinæ iam scriptæ, suspicari & cogitare oportet; ne quid forte secius inconsiderate eligas.

CAP. III.

Ubi metus repentinus oppidanos invasit, quid opus facto.

SI fuerit urbs inordinata, atque eam subitus terror invaserit, facile aliquis cives ordinaverit, & in opportunis ad tuitionem oppidi locis collocaverit, si unicuique tribuum certam murorum partem sorte attribuerit, ad cuius defensionem earum singulę, simul atque aliquid increpuerit, sese conferant. pro multitudine autem civium, qui in quaque tribu censentur, partem murorum custodiunto. his ita constitutis,

tutis, è quaque tribu eos qui firmiſſimo ſunt ad labores corpore, ſeligere convenit, ad ſtationem in foro habendam, aut ad circuitiones, aut ſi quid eſt aliud, in quo talium hominum opera ſit neceſſaria. Similiter ubi munitio aliqua ſociorum præſidio tenetur, ſingulis *gentibus* pars certa murorum cuſtodienda attribuitor. Si cives inter ſe mutuis ſuſpicionibus laborent, ad loca ſingula, unde in muros aſcenditur, fidos homines collocare oportet, qui, ſi quis alius conetur conſcendere, ſint impedituri. Pacis tempore ita ordinandi cives ſunt. Ante omnia unicuique vicorum rhymarcha, ſive vicanus præfectus eſt præponendus, vir moderatiſſimus & prudentiſſimus: ad quem, ſi quid noctu ex inopinato contigerit, ſint conventuri: & proximos quidem foro vicos in forum deducent præfecti; theatro vero proximos, in theatrum; & ita ſinguli præfecti cum iis qui arma domo attulerint, ad proximas ſibi areas convenient. hoc namque pacto fiet, ut & citiſſime, & ad convenientia ſibi loca, quique perveniant; utque domibus ſuis proximi, miſſitando ad domeſticos, liberos atque uxores, propria negotia curent; non longo à ſuis intervallo diſſiti. Iam ipſos quoque magiſtratus, ſorte loca urbis diviſiſſe prius inter ſe oportet; ut ſciant, quo quiſque profectus, partem copiarum, quæ coierint,

rint, ad muros mittent.: qui etiam ad cætera munia cum cura obeunda, duces aliis se præbebunt, si statim isto pacto civibus præiverint.

CAP. IV.

De signis.

OMNIUM vero primum signa obsessos instituisse oportet, per quæ eos dignoscere qui ad se accedent poterunt. iam enim ante tale quid evenit. Chalcis urbs est ad Euripum; hanc quidam exul, Eretria profectus, occupavit: quum civium aliquis huiusmodi strategemate esset usus. In parte urbis omnium maxime deserta, & cuius portæ non aperiebantur, sive ad excubias, sive ad vigilias iret, ignem in testa deferebat. atque is portarum obicem quum nemine animadvertente serra noctu secuisset, eo patefacto aditu milites admisit. postquam in forum ad duo millia hominũ convenissent, classicum sonari acriter cœpit. ibi tum multi Chalcidensium per ignorantiam interierunt. quippe, qui metu perculsi, arma sumunt, & hostibus se adiungunt; quum unusquisque illorum serius ad eos, ceu ad amicos, perv:nisse se arbitraretur. ita plurimi eorum modo singuli, modo bini interficiebantur; donec tandem urbe iam capta, quid rei gestum esset cognoverunt.

runt. Qui igitur bellum gerunt, & quidem propinquo hoste, ante omnia eos oportet, si quos terra marive ad facinus aliquod perpetrãdum urbe emittant, sic mittere, ut signa composita habeant, qua diurna, qua nocturna, per quæ, sicunde hostis apparuerit, dignoscere valeant, amicine sint an inimici. atque ubi rei gerendæ causa fuerint quidam profecti, mittendi etiam sunt, qui omnia significent; ut & eiusmodi expeditionum casus, qui in urbe remanent, vel à longissimo intervallo & quam primũ, notos habeant. multum namque iuverit, tẽporis amplius habuisse, quo te adversus imminens periculum præpares. Quę porro iis acciderint, qui hoc non observant, ante gestorum narratione declarabitur: ut ad rectum consilium diligendum, sit exempli & liquidi testimonii copia. Pisistrato Atheniensium imperatori nuntiatum est, decrevisse Megarenses, ubi ad littus Atticum appulissent, coniugibus Atheniensium, Thesmophoria Eleusine celebrantibus, noctu insidias parare. eo cognito Pisistratus prævertit, & Megarensibus dolum struit. qui ut egressi in littus sunt, quasi nemo eos animadvertisset, & à mari aliquanto longius processerunt, exurgens Pisistratus insidiatoribus superior extitit, plurimosque adeo illorum occidit, & naves quibus fuerant delati cepit. deinde navigiis è vestigio milite com-

completis, mulieres Atticas, quæ commodissime navigare simul poterant, secum assumsit; & Megara sub vesperam paullo ab urbe longius naves appulit. Multi igitur Megarensium, ut vident naves adventare, prodeunt obviam; cum omnes simul magistratus, tum cæteri; quo videlicet, captivarum mulierum quamplurimarum spectaculo fruerentur. Athenienses exscensione facta, partim conficere Megarenses iubentur; partim ut quam possent plurimos ex illustrissimis civium in naveis corriperent. & ita factum est. Ex quo potest intelligi, sive cogendus sit miles, sive ad res gerendas mittendus, signis compositis, ut se invicem ignorare nequeant, id esse faciendum.

CAP. V.

De portarum custodibus.

SECUNDUM hæc custodes portarum constituere oportet, non temere quosvis, sed viros prudentes ac solertes, quique omnia quæ in urbem inferentur, valeant suspectare: ad hæc in re lauta versantes, & quibus præsto sint in urbe fidei pignora; liberos dico, & coniugia: non autem eos, qui propter egestatem, aut aliquam necessitatem, quam contrahendo sibi imposuerint, aut ob aliud inopiæ genus, situri sint se à non-

nonnullis impelli, aut ipſi alios impulſuri ad res novandas. Leuco vero Boſphori tyrannus, etiam milites præſidiarios, qui propter aleam, aut aliud intemperantiæ genus, æs alienum contraxiſſent, ære dirutos faciebat.

CAP. VI.

De diurnis ſpeculatoribus.

PRÆTEREA oportet hemeroſcopos (*ii ſunt diurni ſpeculatores*) in loco edito, & qui è longiſſimo intervallo ſit conſpicuus, collocare. in ſingulis autem ſpecularum locis, tres minimum hemeroſcopos ſtationem agere, neceſſe: atque eos, non quos caſus fortuitus obiecerit, ſed belli peritos: ne ſpeculator præ imperitia aliquid opinatus, det eius rei ſignum, aut nuntium in urbem deferat, & ſine cauſa negotium oppidanis faceſſat. Solet hoc evenire eis, qui rationes diſponendæ aciei, aut gerendi belli quum ignorent; quoties aliquid hoſtes faciunt aut agunt, utrum deſtinato conſilio, an caſu aliquo ea gerantur, non intelligunt. at peritus, quem hoſtilis apparatus non fugit, non multitudo, non iter, & ſi qui alii ſunt exercituum motus; is demum veritatem renuntiabit. Si loca eiuſmodi non reperiantur, è quibus data ſigna videri

videri in urbe queant ; alios aliis in locis collocabis , qui ſublata in altum ſigna ſuſcipient , atque ea porro in oppidum tranſmittent. Hoc amplius, hemeroſcopi pedum celeritate pollentes ſunto: ut, ſi qua inciderint , quæ ſignis declarari nequeant , ſcitu tamen neceſſaria , celeriter advenire poſſint , & , quoad eius fieri queat , è longinquo intervallo nuntium deferant. Optimum vero fuerit , ſi equitationi apta ſint loca , & equi ſuppeditent , equites cæteris ſpeculatoribus adiungere , ut per illos eo citius omnia nuntientur . Emittendi autem ſunt urbe hemeroſcopi , mane ſummo, aut noctu ; ne ſpeculatores hoſtium eos ad ſuas ſpeculas euntes deprehendant . Teſſeram hemeroſcopi unam atque eandem habento , *ab urbana diverſam:* ne ſi forte ab hoſte capiantur, aut volentes aut nolentes, oppidanorum teſſeram poſſint prodere. Monentor etiam hemeroſcopi, ut ſigna interdum ita attollant , ſicut pyrſeutæ ſolent faces, quas πυρσοὺς Græci dicunt.

CAP. VII.

Quomodo cogendi ſint in urbem, qui extra urbem ſunt in agris.

QUOTIES vicino hoſte ſunt in agris fruges fructuſque, veriſimile fit, eorum

rum cupiditate multos oppidanorum rure versari. hos igitur cogere in urbem isto pacto oportet. Primo sub occasum Solis detur signum iis qui extra muros sunt, abeundi in urbem: qui si per plures agri partes fuerint dissipati; per alios signorum susceptores significetur eis, ut vel omnes vel quamplurimi in oppidum veniant. Ubi signum istis datum fuerit concedendi intra muros; oppidani cœnam sumere alio signo iubentor. tertium deinceps esto, ut ad constituendas vigilias eatur. quomodo autem hæc fieri debeant, & quo pacto faces à pyrseutis attollendæ sint, in libro De rei bellicæ apparatibus uberius est dictum. inde petatur eius rei scientia; ne bis de iisdem scribere nobis contingat:

CAP. VIII.

Qua ratione aditus in regionem difficiles & impeditos reddere oporteat.

HIs provisis, ubi plures maioresque hostium copiæ exspectantur; regionem primo ita concinnare oportet, ut quā difficillimus sit in illam aditus; item fluvios ut traiici ægre queant; atque ii ut sint plures efficere. Præterea hostibus, qui sive in sabuleta, sive in terram firmam applicue-

plicuerint, quæ & quantæ dum appellunt fraudes ſint ſtruendæ; nec non portus, qui in urbe ditioneve fuerint, qua arte conſepiendi ſint, ut ne illos quiſquam ingrediatur, aut ſi quid fuerit ingreſſum, ne egredi inde valeat: tum autem ea quæ relinquere ipſe quidem volueris, hoſtibus tamen alicui poſſint eſſe uſui, (puta ad muros ædificandos, aut tabernacula facienda, aut rem ullam aliam:) quomodo hæc reddenda ſint inutilia, aut qua ratione corrumpenda & penitus perdenda, ſive ea ſint eſculenta, ſive potulenta, aut fruges fructuſve qui in agris reperiuntur, aut res aliæ; item aquæ regionis non fluentes, quo pacto ad bibendum inhabiles reddi queant: omnium, inquam, iſtorum efficiendi rationes hic quidē prætermittuntur; ne ſi illa declarentur, creſceret in immenſum hoc volumen: at in libro De rei bellicæ apparatibus de iis perfecte eſt actum.

CAP. IX.

Si hoſtis ſeſe inferat audacius, quid opus facto.

SI ii qui te invadunt maiore audacia adverſus te ferantur, ita agendum. Omniū primo, loca quædam regionis tuæ, per eam quæ fuit ordinata militiam, debes occu-

occupare: deinde militibus tuis aut civibus in concionem vocatis, cum alia prædicere illis convenit, quasi dolus quidam in hostes à te paretur, tum ut per noctem, simul ac tuba cecinerit, omnes militaris ætatis iuvenes armis induti, & certo in loco congregati, ducem suum sequantur. cuius rei nuntius ad castra oppidumve hostium perlatus, idoneus est avertere eos à suis inceptis. atque hæc ita si gesseris, amicis animum addideris, ut qui tentare aliquid audeas, neque metuas: hostibus vero terrorem incusseris; ut propterea in suis finibus quieti sese contineant.

CAP. X.

Præcepta ad urbis custodiam pertinentia.

DANDUM insuper est hoc quoque præceptum: ut cives, qui iumenta possidebunt, vel mancipia, ad vicinos populos ea furtim traducant: quippe qui in oppidum illa non sint introducturi. quibus hospitii ius cum nemine intercedit, ut apud eum sua deponant; hi, proviso unde alentur corpora subducenda, apud finitimos populos magistratibus ea commendent. Deinde autem, per certa temporis intervalla præconis voce edicendum, terrendi gratia inimicos insidiantes, & ab inceptis suis

 aver-

avertendi; ut liberæ perſonæ, & fructus univerſi, intra muros covehantur: ſi quis non paruerit, ius faſque eſſe volentibus, agere ferre omnia quæ fuerint cunque in agris reperta. Dies feſti in urbe agitentur. Conventus privati nulli uſquam, neque interdiu, neque noctu coguntor: neceſſarii publicis de rebus, aut in Prytaneo, aut in Curia, aut in alio omnibus conſpicuo loco habentor. Ne quis vates privatim & ſine magiſtratu ſacrificato. Nulla item una cœnantium convivia agitantor: ſed unuſquiſque in ſuis ædibus cœnato: præterquam ſi nuptiarum epulæ celebrentur, aut è funere ſilicerniū: idque magiſtratibus fuerit prius ſignificatum. Si exulabunt ab urbe nonnulli, edicendum erit, ſi quis civium, aut peregrinorum, aut ſervorum, pedem porta extulerit, quæ pœnæ quemque eorum maneant: ſi quis item aliquem exulum conveniat, aut eum qui ab exule miſſus fuerit, aut literas mittat, recipiatve, periculum aliquod fore illi adeundum, aut pœnam luendam. Epiſtolarum quæ ad exteros mittuntur, aut quæ in urbem admittuntur, ſunto inſpectores, ad quos prius deferantur. Arma ſi quis plura unis habeat, apud magiſtratum profitetor: nemo genus ullum armorum urbe efferto; neque pignoris loco capito. Milites conducendi, aut ad militiam locandi operam ſuam, ſine aucto-

ritate

ritate magistratus, nemini ius esto. Nullus neque civis neque inquilinus absque commeatu navem solvito. appellentibus navigiis denunciator, ut eo loco stationem capiant, qui portæ, advenientibus indicandæ, fuerit proximus. Peregrini cum in urbe accedent, arma in aperto & præ manibus ferunto: atque ea statim illis adimuntor. hospites ne quis suscipiat, ne ipsi quidem caupones, insciis magistratibus: tum autem magistratus adnotanto apud quem & quando peregrinus aliquis divertit. iidem etiam quot noctibus cauponas ab exteriore parte claudunto. Per certa intervalla temporis, qui miseri & inutiles facti fuerint, præconio exire oppido iubeantur. Finitimi, qui vel studiorum gratia, vel quamlibet aliam ob caussam in urbe fuerint, nomina apud magistratum profitentor. Cum legationibus, quas civitates, tyranni *vel* principes, aut exercitus publice miserint, sermones serere, promiscue omnibus qui voluerint, ne impune liceat: quin potius fidelissimi civium deliguntor, qui perpetuo cum legatis, quamdiu manebunt in urbe, sunt futuri. Quarum rerum in urbe fuerit inopia, frumenti, olei, aut similis alius, si quis eas invexerit; huic pro copia rerum invectarum propositæ sunto usuræ; & corona detur eidem honoris gratia: nauclero item immunis concedatur

evectio atque advectio, lustrationes armatorum sæpius fiunto. peregrini qui forte illo tempore in urbe versabuntur, in certum locum traducuntor; aut in ædibus manento: qui eorum alio loco fuerit conspectus, huic, tanquam auctori iniuriæ, multa dicta esto. horum item emporia, & loca ubi commercia exercent, simul ac datum erit signũ, ut claudantur; lucernę ut extinguantur; ac ne aliorum quidem quisquam ut adsit; necessitas si quem urgeat, cum laterna ingrediatur: donec præceptum fuerit, *ne quis exeat.* Si quis alium in Rempublicam conspirantem indicaverit, aut eorum quæ ante scripta sunt aliquid agentem detulerit; huic ut certa pecunia pronuntietur: & ut summa pronuntiata, in foro palam sit exposita, aut supra ara, aut in æde sacra; quo tanto libentius aliquis indicium eorum, quæ superius scripta sunt, profiteri audeat. ubi vero de monarcho agitur, aut belli duce, aut exule dominationem obtinente; præconio hoc amplius est addendũ; QUOD SI QUID EI ACCIDERIT, QUI ILLUM PEREMERIT, PECUNIA PRONUNTIATA LIBERIS EIUS REDDETUR: SI LIBEROS NON HABEAT, PROXIMO AGNATO. Si quis è familiaribus aut domesticis exulis, aut tyranni, aut ducis, aliquid eorum quæ præcedunt patrarit; depẽdi huic dicta summa debet, ac pręterea reditus ab exilio concedi:

cedi: isto enim pacto invitati, promptius rem aggredientur. Si de mercenario exercitu agetur, oportet imperato silentio, omnibus audientibus hæc edicere: SI QUIS, QUOD PRÆSENTEM RERUM STATUM NON PROBET, VELIT ABIRE; ABCEDENDI IUS ILLI ESSE; POSTEA IDEM HOC SI TENTAVERIT, VÆNUM DABITUR. Minora istis peccata ex lege proposita puniantur vinculis aut multa. Si quis exercitui nocere deprehendatur, aut numerum copiarum imminuere, capitale esto. Secundum hæc, cæteris ordinibus prospiciendum est: & primo illud inquirendum, an sit inter cives concordia; quoniam obsidii tempore summum id est bonum, si non consentiant, contrariæ factionis capita præcipue; & eos, qui auctores Reipublicæ fuerint ut aliquid faceret *unde orta est discordia*, transferre alio nihil tale suspicantes oportet, & honesto quodam prætextu emittere; velut ad legationem obeundam, aut alia civitatis negotia gerenda. Exemplo sit, quod Dionysius fecit. qui Leptinem fratrem habens, Syracusiorum populo valde charum, magnis præsidiis fultam eius potentiam quum animadverteret, atque ipse eius fidem suspectaret; traducere eum alio cupiens, palam ille quidem fratrem eiicere non instituit; gnarus, civium benevolentiam magnas illi vires conciliaturam, & o-

 mnino

mnino tumultum aliquem exoriturum. igitur Dionysius Leptinem hac arte aggreditur: mittit illum cum exigua stipendiariorum manu in urbem nomine Himeram; iussum, quod erat ibi præsidium educere, & novum inducere. ubi Himeram Leptines pervenit, misit qui iuberent tantisper ibi manere, usque dum ipse acciret. Cum urbs aliqua obsides hosti dedit, adventante eius exercitu parentes obsidum & genere propinquos secedere urbe oportet, donec finita sit obsidio: ne dum adversarii machinas ad muros admovent, liberos itidem suos admoveri & ultima pati supplicia videant. fieri enim potest, ut hi si tum in oppido reperiantur, aliquid contra utilitatem publicam moliantur. quod si durum est, eiusmodi metus prætexentē illos emittere; sic sunt habendi, ut quæ publice fiunt aut aguntur, rarenter admodum participent: neque prius rescifcant ubi sint collocandi, aut quid acturi. danda etiam opera est, ut quam rarissime aut interdiu aut noctu soli ipsi inter se agitent: sed in aliis atque aliis actionibus & munerum functionibus occupentur, per quæ omni amota suspicione, multitudo hominum ad eas confluet; inter quos custodientur potius, quam ut ipsi quicquam custodiant. Sunto autem ita divisi, ut unum terni observent. Sic enim efficietur, ut seditionem ciere minime queant.

queant. Ad hæc videndum, ne ad vigiliarum stationes laternæ ferantur, aut ullum aliud lumen nocturnum. Reperti namque sunt rerum novarum cupidi, qui postquam erat eis præcisa facultas omnis exequendi quod volebant, & cum hoste clandestina consilia communicandi, dolo huiusmodi uterentur: comitati pedissequis stragula sibi deferentibus quando excubitum eunt, alii lucernas, alii tædas, *aut faces*, alii laternas ferunt; ut per hoc lumen signum dent, ad quam muri urbisve partem vigilias agant. quare hæc omnia suspecta esse debent.

CAP. XI.

De insidiis.

SED & cives erga civitatem male animatos observare attente oportet, neque cito eorum consilium ullum amplecti, propter ea quæ iam dicentur. nam exempli gratia, deinceps afferentur è libro *exemplorum* coniurationes urbanæ à magistratibus aut privatis initæ; & quomodo earum nonnullæ obiecto impedimento dissipatæ fuerint. Quum proditio ageretur urbis Chii, unus è magistratibus proditionis particeps collegas suos decipiens, hac illis oratione quod voluit persuasit. Nam quia pax esset, dixit, portus claustrum, in terram ex-

extractũm, ſiccandum eſſe & pice inungendum: vetera navium armamenta vendenda: è navalibus ea reficienda, quæ compluta ſtillas tranſmittant: coniunctam item navalibus porticum, necnon turrim in qua magiſtratus plurimũ degebant, ipſam quoque navalibus iunctam; ut hac occaſione iis, qui navalia, porticum & turrim erant occupaturi, ſcalæ eſſent præparatæ. dedit etiam conſilium ut multitudini militum præſidiariorum ſtipẽdia adimerentur: quo videlicet ſumptus civitas faceret quam minimos. alia item ſimilia his quum diceret, collegis perſuaſit, quæ proditoribus & inſidiantibus ad loca illa capienda futura erant uſui. quamobrem ad talium conſiliorum auctores animum ſemper oportet attendere. Simul de muro appendit retia capiendis cervis apta, & apris, fingens, velle ſe illa ſiccare: itemque alibi aprugna *alia*, quorum funes exterius pendebant. atque horum ope milites noctu aſcenderunt. In Argivorum urbe adverſus cives factioſos hoc geſtum eſt. Quum inibi eſſent divites, ut plebem ſecundo aggrederentur, & ea fine peregrinos milites accirent; Tribunus plebis cognito quid ageretur, duos viros è factione contraria populo quum arcana amicitia ſibi conciliaſſet, inimicos ſibi illos reddidit, atque adeo palam multum illis nocebat: cæterum clam idem per illos ad-

adversariorum consilia cognoscebat. ubi tempus venit, quo peregrinum militem divites erant in urbem recepturi; simul oppidanorum nonnullis ad eam rem paratis, adeo ut proxima nocte peragi opus deberet; visum est faciendum Tribuno plebis, ut concionem quam citissime convocaret: proditione interim, ne urbs tota perturbaretur, dissimulata. ibi cum alia, tum hæc quoque dixit: E re civitatis futurum, ut sequente nocte omnes cives cum armis quæ haberet quisque, in sua tribu adesset, ac centuria sua: quod si quis arma è domo sua transferret alio, aut id fecisse deprehenderetur; is tanquam proditor, & qui plebi insidiatur, luat has pœnas. hoc autem ideo fecit Tribunus, ut divisi per tribus divites non possent in unum congregati plebem cum peregrino milite adoriri: sed dispersi per suas quisque tribus, pauci tribules inter multos agerent. ita pulcro & subtili commento visus hic est proditionem, quæ parabatur, sine ullo discrimine impedisse. Simile huic est quod Heracleæ Ponticæ accidit. ubi cum penes plebem summum esset imperium, & divites plebi insidias pararent, ac iamiam adorturi eam essent, Tribuni plebis, qui prius resciverant quid ageretur, auctores plebi fuerunt ut civitatem antea divisam in tribus tres, centurias quadraginta, partirentur in centurias

ſexaginta : ut in his divites & vigilias & publicas omnes alias functiones obirent. evenit igitur, ut diſperſis per centurias divitibus, pauci in ſingulis ubiq; adeſſent inter plures è plebe. Simile item eſt, quod Lacedæmone antiquitus accidit. Magiſtratus delato ſibi indicio cognoverunt, eſſe in urbe coniurationem ; & coniuratis invadendi ſignum eſſe, quando pileum capite ſuſtuliſſent. illi coniuratos quo minus invaſionem facerent , huiuſmodi præconio inhibuerunt: QUI PILEUM COGITANT TOLLERE, NE TOLLANT. Corcyrę etiam, quum divites & qui ad paucos res trahebant, inſurrecturi adverſus plebem eſſent : (fuit tum in urbe & Chares dux populi Athenienſiũ, cum præſidio, qui coniuratis favebat:) tale vaframentum fuit excogitatum. Quidam è ducibus militis præſidiarii, poſtquam cucurbitulas ſibi admoviſſent, & ſectiones in corpore feciſſent , cruentati in forum procurrerunt, ceu vulneribus affecti: ſimul alii quoque milites, ad id præparati, arma è veſtigio efferunt. faciunt idem & Corcyrenſium quicunque erant conſpirationis conſcii , cæteris quid rerum ageretur ignorantibus. quibus in concionem vocatis , Tribuniſplebis tanquam ſeditionis auctoribus, manus eſt iniecta . ita divites omnia in civitate ad ſuam utilitatem commutarunt.

CAP.

CAP. XII.

De sociis, & quæ sint in ea parte prospicienda.

CUM in urbe erunt sociorum auxilia, cavendum est, ne unquam socii una agitent; sed ita dividantur, ut de male animatis in civitatem est dictum; idque ob illas ipsas, quæ expositæ sunt, caussas. Similiter etiam quoties peregrino ac mercenario milite uti cogitas, videndum, ut numero semper & viribus cives qui sequuntur signa peregrinis sint superiores. alioquin in potestate illorum & cives & urbs ipsa fuerit. Exemplo sunto Chalcedonenses; qui obsidione aliquando cincti, ac socios in urbe habentes, consilia sibi salutaria quum agitarent, negare præsidiarii milites, se permissuros, nisi Cycizenis illa fore sibi ex usu essent visa. adeo ut Chalcedonensibus terribilius esset præsidium intra muros receptum, hoste obsidente. Cavendum igitur est, ne in urbem tuam adsciti militis maiores copias admittas, quam civium tuorum sint vires. quod si peregrino & mercenario utaris auxilio, semper civiles copias vires externas multum superare est necesse. neque enim tutum est, præstare potentia in urbe peregrinos, & in mercenarii militis potestate cives esse. Testimonio

ſit caſus Heracleotarum ad Pontum, qui peregrinos Heracleam quum acciviſſent maiore quam par erat numero, primo factionem contrariam ſuſtulerunt, deinde & ſe & civitatem ſuam perdiderunt, occupata ab illo qui peregrinum militem induxerat, urbis tyrannide.

CAP. XIII.

Mercenarii militis alendi ratio.

QUOD ſi miles præſidiarius fuerit alendus, eius faciendi ratio hæc erit tutiſſima. Ditiſſimis quibuſque civium imperandum eſt, ut milites pro ſuis quiſque facultatibus, alii ternos, alii binos, quidam unum exhibeant. horum ubi idoneus numerus eſt coactus, deſcribendi ſunt ordines, quos Græci lochos dicunt, & lochagi ſive ductores ordinũ iis præficiendi è fideliſſimis civium. Mercedem & alimentum mercenarii ab iis qui conduxerunt accipiunto: partim ipſis de ſuo erogantibus, partim civitate nonnihil conferente. Manſio militum eſto in eorum ædibus, quibus operam ſuam locarunt. publica vero miniſteria, vigilias, & quæcumque alia magiſtratus imperaverint, à ductoribus ordinum congregati obeunto. Poſt aliquantum vero temporis iis qui in alendo milite impenſas prius fecerint, pecunia redditor: eo tamen

men deducto, quod tributi nomine singuli cives publico tenentur præstare. hoc namque pacto expeditissime, tutissime, & minimo sumptu mercenarius miles poterit ali. Et cum factiosis quidem civibus, rerum novarum cupidis, ita est agendum.

CAP. XIV.

Ad conservandam inter obsessos concordiam.

PORRO multitudo civium eo maxime tempore in concordiam debet adduci: cum aliis conciliando artibus, tum etiam obæratos usurarum exiguitate relevando, aut in totum usuras remittendo. quod si gravius periculum immineat, sortis quoque pars aliqua, vel etiam tota est remittēda: quoniam id genus homines, numero cæteris prævalentes & occasionibus imminentes, omnium maxime civitati sunt terribiles. Illi præterea qui victus quotidiani laborant inopia, ut eius copiam habeant prospiciendum. atque, hæc ut tributione æqua & sine molestia divitum, quoties usus postulaverit, procurari queant; quibus item rationibus pecunia in eos usus parari possit, videndum: de quibus omnibus nos in libro De præsidiis belli comparandis perspicue scripsimus.

CAP.

CAP. XV.

Qua ratione ad repellendum hostem urbe exire oporteat.

HIs ita provisis, si vel nuntius vel pyrseutæ significaverint submisso auxilio alicubi esse opus ; ad partes agri quas hostis incursat est proficiscendum. Statim igitur oportet, ut duces ipsi præsentes copias ordinent: ne passim, & simul pauci, ad sua quisque prædia properantes ab urbe, incompositi, & inutili labore vexati, pereant, hostibus insidias struentibus, & male eos accipientibus. Quin potius faciendum est, ut qui ad portas conveniunt, ad eam usque multidinem congregentur, quæ uni aut alteri locho, *manipulo aut cohorti*, sit suffectura: deinde istos in ordinem digestos, duce etiam imposito viro prudente, emittere oportet; ut servatis quam maxime fieri poterit ordinibus, ad hostem contendant. deinde alia item manus cogenda, atque ita emittenda, ac rursus alia, si ita fors ferat : donec videbuntur esse idonei qui auxiliatum exierint. ut cum in itinere agmen sit continuum, tum etiam, sive per partes, unam pluresve, opem ferre oporteat, sive omnes simul, facile coniungi invicem queant, neque curriculo procul adveniant. primos autem exire convenit ante horum

horum agmen, equites quos civitas habebit, & levem armaturam: ne hos quidem inexplorato, ſed omnia diligenter explorantes, & loca edita occupantes. ut quam primum reſciſcant cives, quid hoſtes agant, aut ubi ſint, & ut repentinum eis nihil contingat. tum autem circa prædiorum flexus, collium radices, viarum diverticula, & ubicunque trivia extiterint, ſigna poni debent, ne qui in extremo agmine fuerint relicti, circa illa loca, utpote itineris ignari, invicem ſeparentur. Sed & eos qui redeunt in urbem, multis de cauſſis pedē referre caute oportet: maxime autem, ne in præparatas ab hoſte inſidias præcipitent. Iam enim prioribus temporibus, cum ad ferendam preſſis opem parum caute oppidani exiiſſent, tale quid accidit. Fecerant Triballi in agrum Abderitarum impreſſionem: Abderitæ in hoſtem egreſſi, collatis ſignis victoriam pulcherrimam retulerunt. pugna enim commiſſa, multos proſtrarunt, & magnam atque pugnacem multitudinem devicerunt. Triballi detrimento accepto mæſti, ad ſua reverſi, poſt refectas vires, in Abderitarum fineis denuo redierunt. ac poſitis prius inſidiis, agrum eorum populabundi, eo perveniunt, ut non longe ab urbe Abderis abeſſent. Abderitæ enimvero victoria ante parta feroces, hoſtem contemnere, ac ſimul cuncti, totis viribus,

bus, ſumma alacritate in Triballos erumpere. illi contra, in inſidiarum locum Abderitas allicere. cum quidem dicitur cædes omnium maxima breviſſimo tempore fuiſſe edita, ut quidem ex uno oppido, eius magnitudinis. neque enim qui remanſerant audita cæde eorum qui prius exierant, accurrere ad ferendam opem deſinebant, ſed quum invicem ſeſe cohortarentur, unuſquiſque iis qui poſterius exiiſſent, auxiliatum feſtinabat, donec in deſerta urbe nemo amplius vir eſſet.

CAP. XVI.

Præcepta alia eodem ſpectantia.

MELIOR igitur fuerit modus alter ſuppetias ferendi, quoties hoſtis fines invaſit. Ac primo, non confeſtim auxiliatum eſt accurrendum. meminiſſe enim debemus, homines ante auroram cum in ordinem cogi poſſe ęgerrime, tum maxime eſſe imparatos, aliis ad præripienda inimicis quæ rure habent ſumma feſtinatione contendentibus: aliis ita territis, tum primum videlicet hoſtium adventu nuntiato, ut pericula ſubire detrectent: aliis penitus imparatis. Decet igitur ad ferendam opem ſeſe parare, copias, quanta maxima celeritate poterit, cogendo; hos pavore liberando, illis animos faciendo, inermes armis

armis instruendo. Sciendum namque tibi est, semper hostes, qui quidem iudicio & bellandi scientia sint præditi, ubi in hosticum pervenerunt, principio robur exercitus sui sub signis ducere: quod non defuturos existiment, qui adversus se prodeant, ad quos repellendos ipsi stant parati: atque interim pauci ex eorum numero per agros prædas agunt: alii fortasse insidiantur; illud præstolantes, ut vos agmine incomposito & vago suppetias veniatis. Quare non illico instare & urgere hostem convenit: sed sinendi sunt primi invasores fiduciam animo concipere, ut te contemnant, & ad populationem agrorum, ac prædam parandam se conferant. simul, par est futurum, ut cibo vinoque repleti, ac temulenti, curam remittant, & ducibus parere negligant. quæ ubi acciderint, quis dubitat male ipsos pugnaturos, & pedem ex acie relaturos? si modo tu opportune illos invaseris. tum demum autem ingruere in hostem sit commodum, quando tuæ quidem copiæ in condictum locum convenerunt, hostiles vero ad res diripiendas iam sunt dissipatæ. ita ut equitibus tuis loca occupes per quæ patebit reditus; selecto milite, insidias illi struas; alia tuorum parte, more velitum discurrendo illi appareas; te interim graviter armatos, non magno intervallo à præmissis distantes, denso agmine

sub

ſub ſignis ducente. Porro inimicos eo loci invade, ubi neque invitus ad pugnam cogi poteris; & pugnam capeſcens, nihilo quam hoſtis deteriore loco ſis futurus. Propter expoſitas igitur cauſſas, è re fuerit interdum hoſtem miſſum facere, & ſinere, quantam maximam volet agrorum partem perpopulari: quo videlicet, ex deprædatione genere omni ſpoliorum onuſti, tanto facilius tibi dent pœnas: namque & capta omnia recipientur, & qui te iniuriis laceſſiverunt, ſuppliciis quibus digni ſunt afficientur. Quod ſi præpropere ad repellendum hoſtem duxeris; tuos quidem utpote imparatos & inordinatos in periculũ conieceris; inimici vero, nondum magna ex maleficio parta præda, adhuc ſub ſignis manentes, prius evaſerint, quam ipſe pœnas ab iis exegeris. multo igitur ſit ſatius, connivendo, ut ante ſcriptum eſt, tunc cum minime cavebunt eos adoriri. Si prius quam reſciveris, aut paratus fueris, præda ex agro tuo fuerit abducta, cave in perſequendo hoſte, vias eaſdem ingrediaris, aut loca eadem adeas. ſed ab ea quidem parte fac pauci tuorum appareant; & ut perſequentes hoſtem non aſſequantur: idque de induſtria; ita tamen, ut fraudem inimici non ſuſpectent. aliam vero manum cum idoneis copiis quam citiſſime proficiſci iube, & aliis itineribus contendere. iſti poſt-

poſtquam hoſtem anteverterint, in illius finibus inſidias diſponunto. fit autem veriſimile, poſſe te antevertere, & priorem in eius fineis venire; quia grave præda agmen ſegnius iter conficit. Tunc autem impetum in hoſtem facito, quando cœna ſumitur. nam qui prædas abegerunt, ubi ad ſua redierunt, ſecuritatem iam nacti, ad otium & negligentiam converſi, incautius ut plurimum agunt. Vt autem recente ad pugnam milite utaris, optimum fuerit, ſi modo navium ſuppetet copia, ut hoſtem mari perſequaris: nam & prævertere inimicos, & alia omnia commode peragerē ſic poteris: cum hoc tamen, ſi te inimici navigantem non animadverterint. Fama eſt, Cyrenenſes, & Barcæos, atque alias quaſdam civitates, quadrigis aut bigis in viis curulibus ad itinera uti ſolitos, & cum longe aliquo ſuppetias eſſet eundum. deinde ut eo ventum quo tendebatur, curribus ordine locatis, & in unam ſeriem continuam diſpoſitis, degreſſi de vehiculis graviter armati, ac ſtatim in aciem ordinati, viribus integris cum hoſte manus conſerebant. Præclarum igitur commodum eſt, quod ex eo conſequuntur, quibus curruum facilis eſt copia: ut nimirum cito ac recens miles ad rem bene gerendam ſit comparatus. accedit, quod plauſtra etiam munimenti uſum caſtris brevi opera valent

præ-

præstare. præterea vulnerati, aut si qua alia calamitas interveniat, curribus deferri commodissime queant in urbem. Si regio faciles aditus non habeat, sed paucis locis adeatur, atque iis angustis; danda opera est, ut iis munitis quomodo antea dictum est, & tributis copiis, in omni aditu conantibus irrumpere, & ad oppidum tendentibus, te opponas: sed prius de signis convenisse oportet, ac facibus pyrseutarum, quibus alii aliorum casus notos sibi facient: ut singulæ copiarum partes opem ferre sibi invicem, si res postulaverit, queant. sin autem difficiles regio aditus non habeat, & multis è locis multi simul possint irrumpere, occupanda vobis sunt loca regionis, quæ difficilem hosti transitum ad urbem sint reddituta. si ne huiusmodi quidem loca reperiuntur; quod unum superest, tumulos ad urbem occupabis tibi amicos: unde & pugnare cum aliquo tuo commodo; & pugna excedere, fretus opportunitate loci, poteris, & quoties libuerit, urbem repetere. igitur, si fines ingressus hostis oppidum versus pergat, vos oportet iis locis profectos, pugna hostem lacessere. Quoties autem inimicos adorieris, curabis, ut aliquo maiore tuo commodo ob locorum peritiam, id fiat. quippe gnarus naturæ locorum, multo superior eris, pergens ad quæ volueris cunque loca, tibi

quidem

quidem nota, & apta sive ad cavendum, sive ad persequendum, item ad fugiendum, & recedendum in urbem, modo clam, modo palam: qui doctus accedes, qua in parte agri commeatus vobis parati habeantur; quum contra hostibus regio sit insueta, ipsi imperiti, & omnibus quæ dixi commodis destituti. non autem ignoratis, eum qui notitia regionis careat, non dicam eorum quæ animo destinat, perficere nihil posse, verum etiam, saluti suæ vix atque ægre consulere. si modo regionis incolæ adoriri hostem voluerint. nam sane, si nihil omnino audeant, omnia metuant, detrimentum ac cladem merito accipiant: qui quidem eorum quæ modo dicebamus nihil quicquam animi coniectura prospexerint. Enimvero periti imperitis tantum præstant, velint modo, quantum pugnantes interdiu pugnantibus noctu, si posset ulla ratione fieri, ut eo pacto dimicantium inter se pugna simul contingeret. Si rei navalis copia tibi fuerit, naves remigio cæterisque rebus sunt instruendæ. non enim minus hosti incommodabunt in navibus armati, si modo classis oram maritimam legens, loca mari proxima, & vias ad mare infestet: ut & à vobis negotium hosti tempore eodem facessatur, & à classico milite, à tergo illius in terram descendente. Hæc ita si feceritis, inimicos cum maxime imparatos

tos

tos adoriemini, & res illis vestræ longe aliter quam opinabantur succedent.

CAP. XVII.

Præcepta, super exitu ab urbe cum turba, die festo vel exequiarum gratia.

IN urbe parum concorde, & cuius cives sibi sunt invicem suspecti, providentia utendum, & illis diebus cavendum, quando populus ad facis accensæ *sive Lampadedromiæ* spectaculum, aut curules ludos, vel alia certamina extra muros magna turba se effundit. quoties videlicet sacra celebrantur, quæ extra urbem ab universo populo solent agitari; aut similes pompæ cum armis ducuntur. Illis item diebus cavendum, quando ad subducendas naves *cum maria clauduntur*, multitudo simul omnis effunditur; aut cum defunctorum exsequiæ celebrantur. potest enim fieri in divisa civitate, ut factio altera per eiusmodi occasionem supplantata corruat. In exemplum afferam casum qui accidit. In Argivorum urbe die quodam publicæ solemnitatis, cives pompam pubis frequentis armatæ extra muros duxerunt. coniuratorum item multi sese ornarunt, & pariter cum cæteris ad pompam celebrandam arma induerunt. ubi perventum est ad ædem sacram & altare; plerique civium armis longiuscule

giuſcule à templo depoſitis, ad preces & aram ſe contulerunt. coniurati, partim eo loco remanſerunt, ubi arma fuerant relicta; alii magiſtratibus & primoribus civitatis dum fiunt preces ſeſe adiungere; vir viro adſtare: & quidem cum pugionibus: quibus mox iſtos confoderunt. ac cæteri cum armis in urbem contenderunt. Pars altera inſidiantium, quæ in oppido remanſerat, armis ſuccincta quæ interim coëgerat, urbis loca tali incepto congruentia occupat. ita, ex iis qui extra muros erant, ſolos admiſerunt coniurati quos volebant: Quare ab huius generis inſidiis nullo non tempore magna cura eſt cavendum. Chii vero, quoties Liberalia agitabant, ſoliti pompas magnificas ad Liberi patris aram ducere, ante omnia cuſtodibus & magna vi armatorum vias muniunt, quibus itur in forum. quod inſtitutum, rerum novarum cupidis non mediocre adfert impedimentum. Optimum vero fuerit, ut magiſtratus primo cum iis quas diximus armatorum copiis ſacra faciant: deinde ubi è turba magiſtratus exceſſit; cæteri tum demum conveniant.

CAP. XVIII.

Quæ circa portarum feras peccari soleant.

POSTEA vero quam urbem ingressi omnes adsunt, ubi iam advesperascit, sumendæ cœnæ, & ad vigilias eundi dari signum debet. atque interim dum sese vigiles præparant, ut portæ recte claudantur, diligenter est curandum. quippe ubi duces molliter se ac segniter gerunt, circa portarum pessulos fraudes multę committuntur. Quando enim dux aliquis ad claudendas portas venit, nec tamen suamet ipsius manu id exsequitur, sed tradito custodi portę pessulo, eum iubet claudere; huiusmodi texuntur doli à portarum custodibus, qui hostes noctu volunt admittere. Quidam interdiu in eam claustri partem, quæ pessulum recipit, sabulum iniecit; adeo ut pessulus extra maneret, nec foramen suum ingrederetur. Aiunt etiam, pessulos qui immissi fuerant, sic fuisse exemtos. quum paulatim in receptaculum pessuli arena infunderetur, sine strepitu concutiebatur, ne quis intelligeret. igitur, quum pessulus propter accedens sabulum in altum sublatus fuisset, facile fuit eum eximere. Accidit etiam, ut portæ custos,

ſtos, qui peſſulum à duce acceperat immittendum; quum ſcalpro aut lima ipſum leviter inſecuiſſet, atque è filo laqueum circumieciſſet, ita peſſulum immitteret: deinde autem non multo poſt eundem filo retraheret. Alius rebus ante præparatis, in reticulum ſubtile, unde filum adnexum pendebat, peſſulum immiſit; idemque poſtea retraxit. interdum etiam peſſulus exemptus eſt, quum fuiſſet actus magna vi retorſum. exemtus item eſt & vaſculo, *ſive inſtrumento tenui, quod thermaſtium Græci vocant:* cuius quidem partem alteram ſipunculi *aut canaliculi* ſimilem oportet eſſe; alteram vero latam; ut parte ea, quæ canaliculum refert, peſſulum ſubtus comprehendat; altera vero parte deſuper apprehendat. Fuit qui obicem clam intorqueret, cum inibi eſſet, ut peſſulum immitteret, ne hic in foramen ſuum deſcenderet; quo poſtea impulſo, porta patuit. In Achaiæ urbe *Eræa*, proditores quidam peregrinum militem clam admittere volebant. hi primo peſſuli menſuras hoc pacto ceperunt. Quum de die mature in peſſuli foramen fili ſubtilis ac firmi laqueum demiſiſſent; fili autem capita extantia pendere ſiviſſent; ſic tamen ut nón apparerent: poſtquam orta nocte peſſulus eſt immiſſus, fili capita *proditor* retraxit, & ſimul tum laqueũ tum peſſulum: quem quidem, menſura-

rum ratione inita, rursus demiserunt. deinde ad exemplum acceptarum pessuli mēsurarum, claves hoc modo fecerunt. sipunculum & acum storeis consuendis aptam opera fabri ferrarii fabricarunt. & sipunculus quidem eadem, qua vulgo solet, figura est factus, acus vero partem quidem minorem, quæ in acumen desinit, ad similitudinem aliarum acuum fecerunt quibus tegetes consuuntur: ansa vero cava erat, sicut ferrum bipennis ac tuditis cavum habet, qua manubrium immittitur. & apud fabrum quidem, manubrium est immissum, postea vero quam inde res fuit ablata, manubrium est exemtum, ut pessulo admota ei aptaretur. magna autem providentia effectum videtur, ut nihil omnino faber ferrarius suspicaretur; neque de sipunculo, cuius gratia factus esset; neque acus quo spectaret. Quidam, quum esset pessulus in suo foramine, ambitus mensuram ita ceperunt. lutum figulinum linteo subtili ex omni parte illeverunt; deinde instrumento quodam id dimiserunt: tum autem circa pessulum prementes lutum, id postea retraxerunt. inde figuram & modum pessuli acceperunt: & ad id exemplum clavem fecerunt. Teon Rhodiorum civitatem satis magnam, à portæ custode proditam, in Temeni potestatem venire aliquando contigit. cum igitur de aliis antea inter eos con-

convenerat, cum ut illunem atque obscuram noctem observarent; qua nocte oportebat, custodem quidem portam aperire, Temenum vero cum militibus ingredi. cum autem postridie res geri deberet, sub noctem venit homo ad custodem, ubi advesperasset, quando iam in muro vigiliæ collocabantur, & portæ mox erant claudendæ. hic igitur ad primas tenebras urbe excessit, postquam fili glomerati, quod facile rumpi non posset, extremum portis alligasset, pergit deinde homo ire, fili glomum evolvens, ad passus ab urbe D CXXV, quo erant venturi, qui urbem cogitabant ingredi. Venit dux ad portas claudendas, qui ut erat solitus, custodi pessulum tradit indendum. custos eo accepto, lima aut scalpro, occulte sic ut nullus strepitus audiretur, pessulum insecuit; quo melius filum hæreret: deinde laqueum circa pessulum aptavit; cumque ita alligatum in foramen suum demisit. Secundum hæc ubi vectem commovisset, ac portam clausam duci ostendisset, mansit quietus. Post aliquantum temporis pessulum quum retraxisset, spartei funiculi extremum sibi alligavit. atque hoc eo consilio, ut si forte obdormiret, per funiculum tractus evigilaret. Temenus rebus omnibus instructus, iis comitatus quibuscũ erat urbem ingressurus, ad condictum locum adest, ubi ille

S 2 erat,

erat, qui glomum tenebat: ita autem cum portæ custode antea Temeno convenerat; ut postquam in eum locum venisset, funiculum traheret. quod si custos omnia quæ volebat parata haberet, debuit is ad caput funiculi villum *aut floccum* lanæ alligare; atque ita demittere: ut eo viso Temenus ad portas confestim accurreret: sin custos propositum exequi suum nequivisset, nulla re alligata funiculum dimittebat. ita fiebat ut Temenus, qui longo adeo spatio ab urbe distabat, in secuturos præverteret, ac prius quam animadvertisset quisquam, finibus Teiorum excederet: per funiculum enim, intra urbem alligatum, intelligebant, quando progredi ulterius non poterant. Sed & isto quoque pacto urbs fuit prodita à portæ custode. Quoties portæ erant claudendæ, consuetudinem servavit, accepta situla exeundi, ceu aquam peteret. ad fontem ubi venerat, lapides ponebat in loco hostibus noto. illi eo ventitabant, & è lapidibus positis, quæcunque custos urbis vellet significare, cognoscebant. nam si proditores prima vigilia custodiebant; in constituto loco lapidem unum ponebat: si secunda, duos: si tertia, tres: si quarta, quatuor. hoc amplius, designabat iste in qua parte muri, & in qua vigilum statione sors proditoribus cecidisset. atque hoc pacto

pacto quæ volebat significans, urbem prodidit. Quamobrem omnes hoc genus fraudes animo coniicere, & cavere par est: & ut portas dux ipse claudat, neque alii pessulum tradat. Quod si tale quid ipse moliaris, ne usquam obex comparet efficiendum: nam aliquando usuvenit, ut cives portam, quæ fuerat aperta, ad conspectum hostis per vim denuo clauderent. Quare omnibus hisc periculis est prospiciendum.

CAP. XIX.

Ratio dissecandi vectis, sive pessuli.

QUI vectem serra dissecat, oleum affundat: nam & citius & minore strepitu dissecabitur: quod si super serram superque obicem spongiam alligaveris, multo lenior obex erit. possent similia his multa alia adiici; verum ista quidem sunt omittenda.

CAP. XX.

Ratio impediendi fraudes circa portarum vectes & claustra solitas admitti.

AT ne fraus ulla huius generis tibi fieri queat; ante omnia oportet ut dux prius quam cœnet, ipse per se portas claudat, neque ita remissus sit ac deses, ut alii fidem habeat. quoties vero maius aliquod periculum imminet, in hoc negotio ducem vel maxime attentum & sollicitum esse oportet. ad hoc, obex ferreis laminis muniendus tribus aut quatuor, paris longitudinis cum ipso obice. ita enim serra differaci non poterit. deinde pessuli tres dissimilis figuræ sunt adhibendi; quorum singulos totidem duces custodiant: qui si plures tribus fuerint; illi custodiunto, quibus quotidie sors contigerit. Optimum etiam fuerit, ut pessulus exemtilis ne sit. sed ut ei continendo ferrea squama, *sive tabella* imponatur: ne forte dum attollitur, sublimius attollatur, à cancro, *sive forcipe*, quam sit necesse, ut cum portæ aperiuntur & clauduntur, obici supponatur. ipsum cancrum sic convenit esse fabricatum, ut sub tabella subsidat, & pessulum facile attollat. Apolloniatæ Pontici, postquam illis eorum aliquid accidisset, quæ commemoravimus; portas urbis ab ingenti malleo claudi curarunt,

rarunt, qui ſonum edit quam maximum: ut ex omni fere oppidi parte, cum clauduntur aut aperiuntur portæ, audiatur: adeo & malleus eſt grandis, & omnia clauſtra bene ſerrata. Idem fit etiam Æginæ. Porro ubi clauſæ ſunt portæ, vigilibus, qua teſſera, qua ſigna muta ſunt danda, ut iis acceptis ad ſtationes quiſque ſuas dimittantur.

Cap. XXI.

Obſidionalium inſtrumentorum præparatio, item alia.

Tractatio de inſtrumentorum præparatione, & de iis quæ in amica regione ſunt præſtruenda; de iis item quæ in tuo agro perdere oportet, aut inutilia hoſtibus reddere, hoc quidem loco à me prætermittitur; in libro vero De apparatibus perfecte ea declarantur. At de vigiliarum conſtitutione, de circuitionibus, de Panicis terroribus, nec non de teſſeris & aliis ſignis mutis, pluribus quidem in libro De caſtrametatione quomodo illa fiant ſcribendum; nonnulla tamen de iiſdem etiam hoc loco diſſeremus.

CAP. XXII.

De constitutione vigiliarum.

NOCTURNARUM vigiliarum, quoties periculum subest, & hostis ad urbem vel castra consedit, huiusmodi est ratio. Prætorem, qui summæ rei præest, & qui illum comitantur, circa Curiam, & forum, si quid in eo firmitudinis, stationem habere oportet: sin minus, locum urbis totius munitissimum, & qui è longissimo intervallo sit conspicuus, sibi delegisse convenit. Circa Prætorium autem tendere ac semper morari debent tibicen & dromoceryces, quos præcones cursores dicamus licet: ut sive dandum sit alicuius rei signum, sive aliquid imperandum, Prætori sint ad manum: & ut cum alii vigiles omnium quæ imminent fiant certiores, tum etiam circitores in quacunque parte oppidi eo tempore circuitionem obeant. Oportet deinde, ut custodes, quique in muris sunt, quique in foro aut curia stationes habent; necnon qui fori, theatri, & aliorum locorum, quæ præsidio tenentur, aditus observant, brevis temporis vigilias agant: ut & multæ earum sint stationes, & simul in singulis multi homines. Nam cum vigiles per brevia intervalla mutantur, nemo poterit facile per longitudinem temporis occul-

occulte aliquid cum hoste machinari, nec rerum novarum molitionem ad finem perducere. ad hæc, breveis agentibus vigilias minus obrepet somnus. quando autem plures simul custodiunt, facilius multo emanare poterit eorum aliquid quæ clam parantur. Præstat etiam quando aliquid existit periculi, quam plurimos vigilare, & omnia per noctem observare; quo in singulis vigilum stationibus plurimi sint procustodes: ita περιφύλακες *appellantor.* Quod si è paucis vigiliæ constent, atque illæ multarum sint horarum, & somnus facile obrepet propter longiores æquo vigilias, & si qui res novas moliantur, ipsa longitudo temporis hoc illis præstabit, ut ea quæ machinati cum hostibus fuerint, ad finem optatum perducant, & lateant. iccirco hæc quæ diximus non sunt ignoranda. Hoc amplius, ubi imminet periculum, hac providentia utendum: ut nemo vigilum norit, neque ubi stationem habebit, neque in qua urbis parte vigilabit. item, ut non semper iidem iisdem ducibus utantur, sed ut quam frequentissime rationes universæ quæ ad urbis custodiam pertinent, mutentur. hoc namque pacto minime poterit aliquis, urbem exteris prodens, aut significare eis aliquid, aut ab illis quicquam accipere, qui quidem nescient, in qua murorum parte ea nocte proditores erunt, nec

quibuſcum, ſed plane futuri erunt ignari. Etiam illud obſervandum, ut qui excubias interdiu egerunt, vigilias inſequente nocte non agant. negligit enim unuſquiſque id facere, cuius faciendi gratia ex inſtituto quodam ordinario in publicum prodit. E cuſtodibus qui ſtant in muro, procuſtodes ſuum munus ita obire poterunt. è ſingulis vigiliarum ſtationibus, per ſingulas vigilias ito procuſtos vir unus ad proximam ſtationem: ex illa item alius ad ſequentem: & ex aliis porro ſimiliter ad alias. præceptum autem eſto omnibus ut dato ſigno idem faciant. hoc pacto, & multi ſimul circuitionem facient, & parvum ſinguli ſpatium emetientur. neque autem apud eoſdem iidem ſimul diu morabuntur, quũ ſubinde alii procuſtodes apud alios vigiles ſint futuri. Hæc ſi ita adminiſtrentur, quoties res novas moliri vigiles fuerunt aggreſſi, *occulta conſilia explorandi procuſtodibus erit facultas.* Porro vigiles ſtare invicem adverſos expediet: quoniam ea ratione in omnem partem omnia ab illis conſpicientur: minimeque ab hoſtibus capientur, clam ad ipſos progreſſis: quod aliquoties iam circa hemeroſcoporum ſpeculas accidiſſe, antea demonſtravimus. Hibernis & caliginoſis noctibus, ſuadent nonnulli, ut extra muros alii atq; alii lapides iaciantur: & ut qui iacient, quaſi aliquos viderent,

rent,

rent, interrogent, Quinam sint? posse enim fieri, ut casu fortuito animadvertantur quidam muris appropinquantes. quod si ita fuerit visum, etiam intra urbem & partem alteram murorum idem posse fieri. Sunt alii qui noxium esse istud autument. nam hostes qui ad mœnia accedunt, præsentire nemo possit, cum propter circitorum vocem, tum propter lapidum coniectionem. melius namque in loco silente id posse fieri. Optimum vero sit, per tales noctes, extra muros canes vinciri, qui perpetem noctem ibi maneant. quippe hi è longiore intervallo, hostium speculatorem indicabunt, aut veterem transfugam muris clam succedentem, aut novum aliquo erumpentem. vigilem qui forte obdormierit, iidem excitabunt. In ea urbis parte qua facillime adiri potest, & quæ hostium insidiis maxime est oportuna, collocandi vigiles, qui plurimum possident, quique honoratissimi censentur, & in publicis rebus partem maximam obtinent. his enim potissimum convenit, non indulgere tum voluptatibus, sed potius, ut memores *magnitudinis periculi quod ipsos manet, attenti sint ad urbis custodiam.* Publicorum festorum diebus ad custodes urbanos attendendũ, qui per corpora in civitate instituta tributi, suis perfidiæ sunt suspecti, ut è stationibus dimissi, celebritatẽ festi in sua quisque domo

agitent. ſimul enim præcipuum quendam ſibi habitum honorem putabunt, ſimul clam aliquid moliendi facultate carebunt. horum autem loco alii ad ſtationes ſubmittendi, quorum fides integrior. nam diebus maxime feſtis, & per huiuſmodi occaſiones, cupidi rerum novarum tentare aliquid ſolent. quod autem calamitates occaſione talium temporum ſint acceptæ, aliis in ſcriptis declaratur. Hoc amplius, illud quoque egregium, ut ſcalæ, aut gradus, ad conſcendendos muros temere omnibus ne pateant, ſed ſint clauſi: ne cui urbem prodere hoſtibus volenti, occupare aſcenſum in mœnia liceat. ſed potius, quos ipſe volueris eſſe cuſtodes in muris, ii ut neceſſario ibi maneant, nunquam interim deſcendentes. quod ſi aliqui muros extrinſecus conſcenderint, nec fuerint animadverſi, *videndum* ut in urbem facile & celeriter deſcendere non queant: niſi voluerint alii in alios deſilientes, periculum adire, nec tamen latere, neque deſtinata perficere. Conveniat autem hæc circa gradus obſervatio etiam tyranni *aut principis* alicuius arci. Poſt navale ad Naxum certamen, Nicocles præſidii præfectus, multorum inſidiis appetitus, cluſiles aſcenſus quum feciſſet, cuſtodes in muris conſtituit, extra urbem autẽ circuitiones cum canibus obibat: exſpectabantur enim proditores

qui-

quidam extrinſecus adventuri. Vbi omnes idem in civitate ſentiunt; & nemo quicquam ſuſpicatur; in vigiliis per muros diſpoſitis noctu lucernas intra laternas lucere oportet: ut ad quoſcumque aliquis acceſſerit, illi hoſtile Prætori per laternam dent ſignum. ſi laterna, propter loci alicuius impedimentum, lumen ſuum ad Prætorem non tranſmittat, ſuccedito alius, qui ſignum ſuſcipiens, lumine laternæ rem ſignificet. Prætor eius quod fuerit ſibi indicatum, certiores alios vigiles tubæ clangore facito, aut per præcones curſores, ſive utro modo licuerit. Dum hæc fiunt, & omnes circa vigilias, ut dixi occupantur, reliquæ multitudini præcipiendum, ne poſtquam datum ſignum fuerit, domo quiſquam exeat: ſi quis coactus neceſſitate exierit, ut cum laterna ingrediatur, quo circitoribus è longinquo fiat manifeſtus. item, ne quis opifex artem manuariam exercens, opus faciat: ne forte ſoni à nonnullis eorum edendi ad vigiles perveniant. Cæterum, ut ſive longiores ſive breviores noctes fuerint, omnium vigiliarum par & communis ratio ſit, ad clepſydram vigiliæ agendæ. huius autem clepſydræ pars interior cera oblinenda; & cum productiores ſunt noctes, detrahendum de cera, quo plus aquæ capiatur: contractioribus vero noctibus amplius alimendum, quo minus capia-

capiatur. Ac de æqualitate quidem vigiliarum satis dictum esto. Quando autem minus est periculi, sufficerit ad vigilias & circuitiones, partem dimidiam eorum de quibus ante scripsimus attribui. ita fiet, ut pars altera exercitus singulis vigilet noctibus. ubi vero nullum plane periculum ostenditur, & pax viget; quam minimum negotii hominibus, atque id quam paucissimis, facessendum. Qui ad circuitionem à ducibus suis mittuntur, parvam scytalam habento, notatam à prætore. hanc circitor primo vigili ad quem venerit, tradito: hic proximo; alius alii; donec scytalis per totam circumlata urbem, orbe impleto ad prætorem fuerit relata. præmonendi autem sunt circitores, ne ultra proximos vigiles scytalidem perferant. Si, cum venit circitor, desertum à vigile locum invenerit; omnino faciendum illi, ut scytalidem ei reddat à quo accepit. ut Prætor rem intelligat, & eum vigilē cognoscat, qui non suscepit, sed stationem suam deseruit. Cuicumque autem *mercenariorum* vigiliæ ex ordine obeundæ fuerint, si ad condictum locum non se steterit, lochagus, sive centurio aut ductor ordinis, huius custodiam confestim vendito ei quem primum invenerit idoneum; atque alium vicem illius vigilias acturum substituito. deinde prior mercenarius illi qui vigiliam emerit, pre-
tium

tium de ſua pecunia numerato. die autem ſequente Tribunus multam legibus inſtitutam ab eo exigito.

CAP. XXIII.

Clam noctu exire ad invadendum hoſtem.

QUOTIES clandeſtinæ parantur eruptiones in hoſtem pro mœnibus caſtrametantem, hac utendum cautione. Ante omnia cavendum, ne quis ad inimicos transfugiat: deinde, ut nullum ſub divo lumen exiſtat: ne forte ferventioris ingenii aliquis, vel ſtudio erga civitatem, quod paratur manifeſtum faciat. Latratus item canum, & gallorum gallinacorum cantus, de medio tollendi: & parte aliqua corpore inuſta, vox illis eo tempore adimenda. nam hæc animalia diluculo vocem edentia, futuri dant ſignificationem. Fuerunt qui tale quid facerent. Seditione per ſimulationem ex probabili cauſa apud ſe excitata, dein captata opportunitate temporis, egreſſi urbe, atq; exopinato hoſtem adorti, rem bene geſſerunt. Quidam intra muros concluſi, erumpendi conſilio ſuſcepto, portas quidem in conſpectu hoſtium inædificarunt; quæ autem pars mœnium ad invadēdos inimicos erat commodiſſima, ab ea parte velum expanderunt; idque poſt temporis aliquantū ſuſtulerunt. initio mirari ho-

hostes; deinde quum sæpius fieri idem cernerent, rem neglexerunt. at oppidani, quũ in muro noctu foramẽ quantum volebant fecissent, & in locum diruti muri alium concinnassent, velum oppanderunt: deinde maturitate temporum exspectata, eruptionem faciunt, & nihil tale cogitantes inimicos invadunt: atque hæc illi dum parabant, ne quis interim ad hostem transiret, diligenter cavebant. quare nihil eiusmodi contemnendum. Sed vitandum & illud; ne inconsiderate cum turba noctu fiat eruptio: quo genere doli proditores interdum utuntur: dum alii intra urbem, alii extra, oppidanos ut temere prodeant his & similibus fraudibus conantur allicere: *puta* facibus accensis aliquid significarunt; aut navale succenderunt; aut gymnasium sacrum, ad universi populi usus expositum: aut *talem omnino locum*, cuius gratia multitudo hominum, atque eorum non vilium, sit extra muros preditura. quare multo ante ista providenda, nec temere similes nuntii suscipiendi. Proferetur vero etiam hic res gesta à Magistratibus. Hi, proviso ut tumultus in agris excitaretur; etiam ut ex agris in urbem de clandestina prædonum invasione nuntius afferretur, curarũt: gnari, oppidanos eo audito ad ferendam opem erupturos. Secundum hæc magistratus & qui in illorum partes transierant, cives hortari

tari

tari ut auxiliatum exirent. Ubi multitudo ad portas armis instructa convenit, hunc dolum comminiscuntur. monuerunt magistratus, coactas copias oportere ut in tres partes dividerentur, ad ponendas paulo ab urbe longius insidias: simul præcepta incepto convenientia, quæque audientibus nullam fraudis suspicionem moverent, eis dederunt. ita eductos cives locis idoneis collocarunt; insidias videlicet hosti fines ingresso structuros: ipsi plures manus è proditionis consciis assumunt, & tanquam exploraturi quæ nuntiata fuerant, agmen præcedunt: quippe ante alios velle se pericula adire, ut hoste conspecto pedem sensim referentes, in insidias scilicet eum protraherent. Verum isti ad certum locum profecti, ubi præparatæ ipsis erant peregrinæ copiæ, clam mari advectę, iis assumptis, prius quam animadverteret quisquam, in urbem eas introduxerunt, tanquam cives, qui in hostem exierant, reducerent. deinde quum mercenario illo milite urbem occupassent, civium in insidiis locatorum alios exilio mulctarunt; alios in urbem receperunt. Debent igitur omnia eiusmodi consilia esse suscepta, neque unquam noctu urbana multitudo in hostem temere educenda.

CAP.

CAP. XXIV.

De tesseris.

IN dandis tesseris cautio necessaria est, præsertim exercitu è colluvie plurium urbium aut populorum coacto, ne si unius rei duplex appellatio fuerit, cum ambiguitate tessera detur. verbi gratio DIOSCURI, TYNDARIDÆ. rei species una, nomina duo diversa. aut cum hæc dantur, MARS, ENYALIUS: MINERVA, PALLAS: GLADIOLUS, PUGIO: FAX, LUMEN: & similia his; quæ ubi discrepant a recepta appellatione apud singulas hominum gentes, difficulter memoriæ inhærent. potestque ea res damnum afferre; si quis exoticam appellationem rei omnibus communis det loco tesseræ. quare in exercitu è variarum atque inter se permixtarum gentium auxiliis conflato, aut inter socios populos, tessera eiusmodi non est utendum. Exemplo sit, quod Charidemo Oritæ, in Æolide rerum potienti, contigit, postquam Ilium hoc modo cepisset. Præfectus urbis Ilii famulum habuit, solitum ad prædas agendas semper egredi: maxime autem noctu & egrediebatur & ingrediebatur, quæ cœperat in urbem subinde introducens. interea loci Charidemus, cognito hæc illum factitare, hominem sibi conciliat.

ciliat, & clandestinum cum eo colloquium habet. ibi paciscuntur ambo, & persuadet famulo Charidemus, ut constituta nocte, quasi prædatum iret, oppido egrederetur. Iussit autem illum in equo nocte illa exire; ut porta illi penitus aperiretur; neque, ut alias erat solitus, per adaperras portæ fores, aut portula tantum sectitia patefacta ingrederetur. famulus urbe egressus & cum Charidemo collocutus, milites loricatos triginta, pugiones, clypeos, & galeas occultas habentes, ab eo accipit. quos ut silentio noctis abduxit, malis concinnavit indumentis, arma occuluit, & captivis aliis similes ipsos reddidit. ita cum cæteris mulieribus & puerulis, ipsis quoq; in speciem captivis, porta propter equum aperta, est ingressus. milites statim ut sunt intromissi, cædis initium faciunt: ac cæso portæ custode, ad alia immania conversi facinora, portas in potestatem redegerunt. à quibus non longe quum abesset Charidemus, armatorum ordines è vestigio accurrunt, & urbem occupant. mox etiã ipse cum universis viribus ingreditur. Simul, hoc etiam Charidemus fecit. partẽ exercitus in insidiis locavit; qui futurum provideret ut suppetias captæ urbi nonnulli venirent. atque ita accidit. nam Athenodorus Imbrius, qui non longe aberat, & exercitum habebat, ferre opem Iliensibus est cona-

conatus. qui etiam ipse vicissim, quod res erat coniectura assecutus, nequaquam per illas vias in quibus insidiæ fuerant disposi-tæ Ilium profectus, sed aliud insistens iter, per noctem latuit & ad portas accessit. quin & huius nonnulli milites in turba, quasi de Charidemi exercitu essent, fefellerunt cum cæteris ingredientes. verum isti, priusquam maiore numero ingrederentur, per tesseram sunt agniti. alii eorum foras se proripuerunt, alii circa portas perierunt. nam his quidem tessera data fuerat TYNDARIDÆ; illis vero DIOSCORI. adeo parum abfuit, quominus repente urbs ab Athenodoro denuo reciperetur. Dandæ igitur pro tesseris sunt voces facile recordabiles, & destinatis actionibus germane & maxime convenientes. Cuiusmodi sunt hæc: si venatum prædam eatur, DIANA AGROTERA venatrix. si ad facinus aliquod furtim gerendum; MERCURIUS DOLOSUS, sive dolorum præses. si ad vim faciendam, HERCULES. palam aliquid instituitur, SOL & LUNA. item alia his similia, atque omnibus communissima. Iphicrates vero præcipiebat, ut vigili ac circitori eadem tessera ne daretur, sed utrique diversæ. ut is qui prius fuerit interrogatus, respondeat, JUPITER SERVATOR, si contigerit hanc illi datam esse tesseram; posterius vero interrogatus, NEPTUNUS. hoc enim

pacto

pacto minime decipiatur ab hostibus: minimeque ad eosdem per transfugas tessera deferatur. Si per errorem vigiles à sese invicem aberrarint, sibilo inter se utantur. sed de eo prius oportet convenisse. nam præter eum qui fuerit conscius, nemo, neque Græcus, neque Barbarus, id signi intelliget. prius tamen de canibus cogitandum, ne propter sibilum aliquid ex iis capiatur incommodi. usi eo sunt Thebis, qui arce Cadmea capta dissipati sunt: qui quum alii alios ignorarent, ad sibilum sunt congregati. Porro de tessera interrogari communiter & circitores debent & procustodes: nam alterum dumtaxat interrogari, nihil attinet: quippe etiam hostis tanquam circitor, queat interrogare.

CAP. XXV.

De signis aliis præter tesseram.

NON desunt qui muto signo utantur, cum propter Panicos terrores, tum ut amicos melius dignoscant. hæc vero signa maxime propria utentibus, inimicis maxime ignota & ad cognoscendum difficillima esse debent. Exempla mutorum signorum hæc sunto. quando noctes sunt tenebrosæ, tesseram rogare, & hoc amplius vocem aliquam adiicere, ac sonum aliquē manifesto edere: eum vero qui fuerit interrogatus

rogatus, & tesseram respondere, & aliam insuper vocem adiicere, & sonum quendam manifesto edere. quando lux clara est, eum qui tesseram rogat, pileum detrahere; aut si manu teneat, capiti imponere. licet etiam in faciem pileum adducere, & à facie reducere. licet item hastam inter accedendum figere, aut transferre in sinistram; aut sublatam tenere vel attollere: eum vero qui rogatur, & tesseram respondere, & horum aliquid, de quo prius convenerit, facere.

CAP. XXVI.

De circuitionibus.

PERICULOSIS temporibus circuitio facienda est, primo quidem in foro duobus lochis, sive manipulis cohortibusve, congregatis: quæ alternis vicibus ad muros accedent, armis, quorum fuerit copia, probe instructæ: mutum item signum exacte debent tenere; ut è longiore intervallo sese invicem dignoscant. Primæ vigiliæ circitores incœnatos oportet circuire: nam qui primam cœnati circumeunt, negligentius & intemperantius munus suum obeunt. Circuire autem sine laterna convenit, nisi admodum sæviat hiems, & densæ sint tenebræ. sin aliter, laterna affulgeto: non in altum quidem; tegatur enim ali-

quo:

quo: ſed in terram duntaxat, & quæ ante pedes ſunt, lumen emittito. In urbe quæ equos alit, & equitationi eſt apta, equites ad circuitionem adhibendi. nam per frigora & pluvias, noctesque longas, citius abſolvatur circuitio. Quidam etiam ſuper muris circuitionem faciunt, ita ut alii quæ extra muros fiunt, obſervent; alii, quæ intra muros. Habento etiam circitores, cum noctes ſunt tenebris obſcuræ, lapides; & alium atque alium extra muros iaciunto. ſunt tamen qui hoc non laudent, quoties ſuſpecti alii aliis ſunt cives. Circuitiones ad imos muros fieri debent, circitoribus non aſcendentibus, præter vigiles. Si exercitus, poſtquã male pugnavit, afflictus eſt; aut ſi, quia multos ſuorum deſideravit, aut quia vulnera multa accepit, vel propter defectionem ſociorum, aut propter alium aliquem caſum, animis conciderit, atque ad humilitatem fuerit redactus; ac propterea in periculo res verſetur, vicino hoſte; omnia quidem obſervanda ſunt, quę de vigiliis & circuitionibus antea ſcripſimus: & circuitiones tali tẽpore ſæpius repetendæ ſunt: ſed cave id agas de induſtria, ut aliquos invenias è cuſtodibus aut procuſtodibus, qui propter ſomnũ aut laſſitudinem ex labore negligentius officio fungantur. non enim expedit, ſic miſere iam affecto exercitui animos magis

magis adhuc frangere: quod quidem futurũ, fit verisimile, si turpius aliquid admisisse fuerit deprehensus. quin danda tibi potius opera est, ut res afflictis procures, curando corpori & viribus reficiendis necessarias: & ut circitores eiusmodi temporibus, quando ad vigiles accedunt è longioris intervalli loco, fiant manifesti, voce aliqua procul edita, ut princeps custodum si dormiat excitetur, & ad respondendum quod fuerit interrogatus sese comparet. Optimum vero fuerit talibus temporibus, unumquemque ducum diligenter cum selectorum suorum manu circumire. quando autem contrario modo affectus est exercitus, impensiore studio & severitate à vigilibus disciplina est exigenda. Dux vero nunquam hora eadem circuire debet: sed privatim per se tempus sumere: ne milites multo ante notum habentes ducis adventum, ea potissimum hora intente custodiant. Sunt & qui monita huiusmodi probent: Præfecto enim urbi præceptum datur à nonnullis, si propter metum aliquem aut morbum nolit ipse circuire, scire tamen velit is, qui vigilum per singulas stationes officio non funguntur: hoc esse faciendum. Omnes qui in muro vigilias agunt de hoc prius oportet convenisse, ut laternas cuncti habeant: & ut una ex illis sit, ad quam principes vigilum omnes suas attollent: ea vero laterna

na è loco attollitor, unde omnes qui super muris sunt vigiles ipsam sunt visuri. si nullus in oppido extet locus eiusmodi, extruatur è nonnullis rebus moles quantæ maxime poterit altitudinis. inde illa unica laterna attollitor: & ad hanc è singulis stationibus vigiliarum suas quisque attollunto. numerus deinde ineatur: ita scietur, utrum omnes vigilum principes sustulerint; an vigilum numero aliquis defuerit.

CAP. XXVII.

De Panicis terroribus.

SOLENT cum in urbe tum in castris tumultus & timores repentini, qua noctu, qua interdiu excitari, qui à nonnullis Pania *sive Panica* dicuntur. est autem id nomen Peloponnesiorum proprium, maxime Arcadum. Eos igitur, qui huiusmodi tumultus sedare voluerint, iubent quidam ex compacto constituta cum oppidanis habere signa: quibus editis intelligent, Panicum esse terrorem. Sunto autem, exempli gratia: ignis signum aliquod, de quo prius convenerit, animadvertent in loco edi, qui omnibus in urbe, quoad eius fieri poterit, est conspicuus. Optimum vero sit, præmonitos esse omnes milites, ut ii apud quos pavoris initium fuerit exor-

tum, quieti in loco se contineant; alii PÆANA inclament, aut terrorem esse Panicum; quam vocem ut quisque audiverit, ad proximum transmittet. in qua igitur parte Pæanis acclamatio non fuerit reddita, scire licet apud eos metum versari. at si quid Prætor metuendum intellexerit, tuba dare signum debet. esto autem notum omnibus, eo signo hostem designari. Die pugnæ, cum accepta est clades, ut plurimum timor homines occupat: interdum quidem & de die; noctu vero vel maxime. hunc minorem aliquanto contingere necesse est, si omnibus militibus fuerit præceptum, ut quoad eius fieri poterit, perperem noctem in *stationibus* apud arma se teneant. fore enim ut aliquid ipsis accidat. fit igitur verisimile, ubi hoc milites cognoverint, non ex inopinato eventurum ipsis, si quid evenerit; neque ipsos subitis terroribus turbatum perditumque iri. Euphratas Lacedæmoniorum harmosta in Thracia, cum in eius exercitu frequentes timores nocturni exorirentur; quia sedare eos aliter non poterat, hoc mandatum dedit: Quando aliquis nocturnus tumultus extiterit, ut illico milites ad arma in stragulis residerent; exurgeret staretve rectus nemo: si quis stantem rectum aliquem vidisset, imperavit omnibus, ut pro hoste haberēt quicunque surrexisset. Sic enim cogitabat Euphratas;

tas; propter metum, quem hoc præceptum afferret, neminem eius obliturum. ad hæc, ut ſerio iſtud eſſe mandatum intelligeretur, & ut terror iniiceretur; orto tumultu vulneratus eſt è melioribus & honeſtioribus aliquis; at non lethaliter: è vilioribus vero nonnulli ſic, ut mors etiam ſequeretur. quo pacto paruere homines, & præ metu deſiere tumultuari, atque è cubilibus prætrepide exurgere. Etiam hoc modo Panicus terror eſt ſedatus. Tumultus nocturnus caſtra occupaverat: præco facta audientia pronuntiat, SI QUIS NOMEN EIUS DETULERIT, QUI EQUUM ADMISSUM PRIMUS FUERIT PERSECUTUS, PER QUEM TURBATUS EST EXERCITUS. Oportet autem, ſi quid in exercitu ſimile noctu contigerit, per ſingulas vigilias cuique locho, ſive cohorti, aut ordini, *centurionem unum aut alterum* in cornibus apponi, qui ſi aliquem è ſomno aut alia de cauſſa exorientem tumultum præſentiat, præſto confeſtim eſt futurus, & *militem* continebit, ac coërcebit. quod ad cæteram multitudinem; cuique contubernio unus ad cuſtodiendum apponatur: ut ſi qua exiſtat perturbatio, hi qui vanos metus eſſe cognoſcent, tumultum apud ſe quiſque eorum componat. contra ſi in hoſtili exercitu velis ipſe tumultum ciere: immitte in eorum caſtra vaccas armentales cum tintin-

nabulis, & iumenta quæ prius vino potaveris. Die orto vigiles è ſtationibus non ſtatim demittendi, priuſquam, inquiſitione habita, extra muros omnia eſſe tuta ab hoſtibus, ſignificatum fuerit. tum demum recedunto vigiles è ſtationibus; non tamen omnes *ſimul*; ſed per partes; ne cuſtodibus ſtationes unquam nudentur.

CAP. XXVIII.

Obſervationes variæ circa portas.

HUIC quoque rei, quando in metu civitas verſatur, providendum: ut cæteræ omnes portæ ſint clauſæ; una duntaxat aperta; qua difficillime urbs aditur; & unde videri è ſpatio quam longiſſimo poterunt, qui appropinquaverint. in hac porta eſto portula ſectitia; ut corpora, duntaxat hominum, & quidem ſingula, per eam ingrediantur atque egrediantur. nam hoc pacto (adſit modo cuſtos prudens) minime fallet aliquis; ſive transfuga exeat, ſive explorator introeat. totam portam iumentorum cauſſa & plauſtrorum aperiri atque eorum quæ venum afferuntur, periculoſum. Si quid frumenti aut olei, aut vini ſi forte, ſimiliumve rerum, vel plauſtris, vel multitudine baiulantium inferendum ſit in urbem: ad proximas portas ea-

res convehi debent; ac celeriter & facile, quoad eius fieri poterit, intra muros recipi. Omnino vero cavendum, ne primo mane portæ inconsideranter aperiantur; verum aliquanto serius. nemo item est emittendus, nisi prius exploratis locis circa urbem. Cavendum etiam, ne prope eas portas quæ aperientur naves appellant; sed aliquanto longius. nam apertis ambabus portis maiore minoreque, multæ iam antea molitiones clandestinæ sunt patratæ, fraudibus atque occasionibus huiusmodi: unum enim exemplum afferam, unde multa quæ similiter gesta sunt, poterunt intelligi. Pytho Clazomenius, & qui in urbe se illi adiunxerant, observata diei parte, qua maxima erat omnium quies, plaustris de industria præparatis, quæ dolia invehebant, Clazomenas occupavit: plaustris in ea porta subsistentibus, è regione cuius milites mercenarii non procul oppido clam locati: quum alios civiũ fefellissent, alios antevertissent, nonnulli etiam illorum intra mœnia inceptum adiuvissent, urbem cœperunt. Iphidiades Abydemus Parium ad Hellespontum occupare volens, cum alia ad conscendendos noctu muros clam præparavit, tum etiam plaustra virgultis spinisque implevit, & portis iam clausis, accedere ad muros iussit, tanquam civium Parianorum essent illa plaustra: quæ postquam portæ sese ad-

moverunt, noctem ibi sub dio, quasi hostes metuerent, egerunt. iussi autem erant, qui plaustra agebant, tempore constituto illa succendere, quo portæ fores cremarentur: ut postquam ad restinguendum incendium Pariani accurrissent, Iphidiades ab alia parte urbem ingrederetur. Huiusmodi exempla visum mihi colligere, ut omni tempore caveatis, neque præ simplicitate nimia temere quemquam suscipiatis.

CAP. XXIX.

Armorum clandestina illatio.

NUNC de vasis agemus & oneribus, sive instrumentis quæ res vehendas capiunt, quibus in urbem illatis, quum intra ipsa occultum aliquid lateret, urbs & arx aliquando sunt occupatæ. nam ab id genus fraudibus cavendum est, neque committendum, ut incogitantia circa illa peccetur. maxime vero ad portæ custodem ea cura certis temporibus pertinet, quãdo aliquid foris adveniens, intrare urbem est necesse. Exemplo erit res ita gesta. Nam urbs occupata fuit, quam nonnulli intus prodebant, per festi publici solemnitatem, isto pacto. Omnium primo, militibus mercede conductis, qui ob id ipsum prius in oppidum venerant; necnon civibus, qui armis carebant, & incepti participes erant futuri; tho-

thoraces linei, ſagula, galeæ, ſcuta, item ocreæ, gladii, arcus, ſagittæ, omnia hæc, inquam, intra urbem ſunt allata, in capſis, compoſita inſtar onerum quibus doſſuaria iumenta mercatorum onerantur, quaſi veſtes eſſent & merces aliæ. hæc quum vidiſſent publicani qui in portu ſtationẽ habent, ceu veſtimenta eſſent, & nihil præterea, ſigillo obſignarunt, donec mercatores qui invexerant merces indicarent. & hæ quidem capſæ prope forum conveniente loco ſunt repoſitæ. inter crates vero & viminea opera, & telam ſemitextam, illatæ ſunt haſtæ, & iacula involuta, poſitaque ſunt omnia iis locis ubi nullam ſuſpicionẽ erant allatura. iam in vaſis aceris & lanæ, peltæ parvique clypei inerant, acere & lana occultati· alia item, quæ propter molis ſuæ modum commodius geſtantur, ſportis inerant, uva paſſa & ficubus plenis: in orcis frumenti, caricarum & olivarum, erant pugiones. alii item in cucumeribus peponibus ſunt illati, quum nudi intra cucumerum ſemina eſſent adacti. at doli architectum ipſum & ducem, qui extra urbẽ erat, in virgultorum onus abditum intulerunt. Vbi nox advenit, poſtquam omnes conveniſſent & ſinguli tempus aptum captaſſent, quo alii è civibus pleni vino erant, alios publica ſolemnitas tenebat occupatos, agendi ſumtum eſt principium. Primo

igitur ſolutum eſt onus virgultorum : atque inde ſtatim emergens dux præſto fuit. dein alii crates evolvere ad ſumendas haſtas & iacula : alius vaſa aceris & lanæ aperire: quidam ſpartas reſcindere: nonnulli capſis apertis arma promere : alii orcas frangere: ut eo citius pugiones arriperent. atque hæc omnia, ad ſignum quod intra urbem datum fuerat, ſimul adminiſtrabantur, quum non magno ſpatio coniurati invicem diſtarent: eratque adeo quod tunc fiebat, ſimile, ut cum acies ad pugnam inſtruitur. Poſtquam omnes arma ſibi apta induerunt, pars coniuratorum ad turres occupandas abit, & portas quibus alios ſperabant ingreſſuros: pars curiam & inimicorum ſuorum domos invadunt: alii alia loca aggrediuntur. Quidam ſimilia his incepta quum pararent, & clypeis egerent; quoniam nulla ratio alia apparandi neceſſaria, & arma inferendi ſuppetebat, vimina & artifices ſimul, ita *uti diximus*, introduxerunt. hi palam quidem alia vaſa texebant, noctu vero arma, galeas, & clypeos, quibus anſas aptarunt coriaceas aut ligneas. Sed neque navigiorum, quæ nocte vel die appellunt, ſive illa ſint magna, ſive parva, cura atque inſpectio debent negligi: quinimo intrare in illa cuſtodes portus oportet; & ut Apoſtolei, (*ita rei maritimæ quoſdam præfectos dicebant*,) merces quæ adve-

advehuntur inquirant: memores, Sicyonios, hac observatione neglecta, detrimentum ingens accepisse.

Cap. XXX.

De iis qui arma pro mercimoniis invehunt.

PROSPICIENDUM etiam est armis illis, quæ vænalia inferuntur, & in foro promercalia exponuntur: item illis quæ in cauponis & pantopoliis solent reperiri: quę si fuerint unum in locum collata, multa erunt. Videndum igitur ne volentibus statum civitatis sollicitare parata hæc sint. facinus enim fit nimiæ stultitiæ, peregre advenientibus arma detrahere; quum interea in foro, & in amplissimis eorum diversoriis, multa extent congregata; nec non armaria clypeorum, & pugionum arcæ plenæ. Quamobrem quæcumque arma aut fuerint invecta, aut alias collecta reperientur in urbe, ea neque proferri in forum, neque usquam alibi locorum nisi in Digmate haberi noctu debent: omnia vero quæ contra hanc formã publice aliquis exposuerit, ea publico esse quæsita iudicari debent.

CAP. XXXI.

Ratio mittendi literas occultas.

QUOD attinet ad literas occultas, varia quidem & multiplex ratio eſt illas mittendi: ſed de quibuſdam privatim inter ſe conveniſſe prius oportet eum qui miſit, & eum qui accepit. Quæ maxime fallere poſſunt rationes hæ ſunt. Miſſa eſt epiſtola iſto pacto. Liber, aut poëtæ fabula, (cuiuſcumque magnitudinis aut vetuſtatis Codex eſſet) iniectus eſt in onera, aut alia vaſa. in libro autem ſcripta fuit epiſtola, punctis notatis ſuper literas *utiles*; puta, ſecundam, aut tertiam. puncta autem illa litteris impoſita, minima eſſe debent, & quæ minime appareant, niſi ei ad quem epiſtola mittitur. ubi deinde liber ad eum pervenit, cui deferendus erat, epiſtola eſt ab eo deſcripta. compunctas enim notis literas ordine collocans, è primo verſu ſelectas, deinde ſecundo, atque ita è cæteris, quæ in epiſtola fuerant comprehenſa cognovit. Quod ſi pauca literis ſignificare aliquis voluerit, hoc etiam modo, qui priori eſt affinis, utetur. Epiſtolam longiorem de rebus nonnullis palam & aperte ubi ſcripſerit; idem in iſta quoque epiſtola faciet, notas imponens literis, quicquid volueris ſignificaturas. nota autem eſto, quo-

ad

ad eius fieri poterit, parum manifesta, punctis quibusdam impositis, aut interductibus longiusculis. ita apud alios res suspicione omni carebit: ei vero ad quem mittitur, nota erit epistola. Mittatur homo nuntium aliquem ferens, aut etiam epistolam, de rebus aliis manifestis. in profecturi vero tabellarii solum calceorum indatur epistola atque consuatur, ipso inscio. ut autem nihil scriptis noceant neque lutum neque aquæ, scribatur in candido plumbo, quod malleo ad magnam tenuitatem fuerit ductum, ne literæ aquis deleantur. ubi tabellarius quo oportebat pervenerit, ipso noctu quiescẽte, solvat hospes suturas calceamentorum. postquam literas exemerit, legerit, alia clam scripserit, ipso adhuc dormiente, postremo insuerit, hominem dimittat, exaratis literis aliis quas dabit ei palam ferendas. hoc pacto nemo alius, ac ne tabellarius quidem ipse, consilii erit conscius. danda autem opera est, ut eiusmodi suturæ fiant, quæ nullo pacto manifestæ sint futuræ. Ephesum hoc modo literæ sunt allatæ, & in urbem admissæ. Homo quidam est missus, habens epistolã in foliis scriptam: folia autem ulceri imposita, ad tibiam erant alligata. Possit etiam inferri scriptura, auribus mulierum appensa, in plumbeis chartis convoluta, quæ pro inauribus erunt. Allata etiam est à proditore

quodam epiſtola de proditione, in caſtra hoſtium è regione caſtrametantium, iſto pacto. Equitum ad populandos inimicorum fines exeuntium, uni ſub thoracis alis conſuta eſt epiſtola; cui equiti mandatum fuerat, ut ſicunde hoſtes apparerent, de equo ſuo caderet; idque ſibi invito accidiſſe ſimularet, ac capi ſe vivum operam daret. poſtquam ad caſtra foret ventum, daret epiſtolam cui oportebat. Alius equitem urbe emittens, frenorum habenis epiſtolam inſuit. Accidit vero & huiuſmodi caſus circa literas. Urbs quædam obſidebatur. In hanc cum eſſet lator literarum ingreſſus, proditori quidem, cui eas afferebat, non tradidit, ſed ad magiſtratum adiit, rei indicium deferens, atque ei dat literas. ille, re cognita, epiſtolas quidem reddi eis iuſſit, cui afferebat: quas autem ab iis acciperet, ut eas, ſi vera eſſent quæ indicabat, ad ſe deferret. quod fuerat iuſſus index, fecit. magiſtratus literis acceptis, auctores earum accerſit, ſigna multorum eis oſtendit: fatentur illi ſua eſſe ſigna: tum apertis literis, rem omnem patefacit. Qui mihi videtur magna arte verum indagaſſe; quod literas ab exteris miſſas à tabellario non acceperit. proditores enim & negare, & ab aliquo ſibi inſidias ſtrui, dicere poterant. nunc reſponſa ad illas literas in poteſtate habens, fraudem ita arguit, ut proditores mu-

tire

tire contra nihil possent. Deferuntur etiam isto pacto. Vesicam magnitudine parem ampullæ, cuiuscumque illam magnitudinis eligere volueris pro copia rerum scribendarum, inflatam, dein firme ligatam, siccato. Postea atramento, cui plusculum glutini admixtum, scribe super ipsa quicquid volueris ubi iam literæ siccæ fuerint, flatum vesica exime; & compressam indito in ampullam. os autem vesicæ promineto ultra ampullæ operculum. secundum hæc, ubi vesicam, quæ ampullæ est indita, inflatam, ut quam maxime poterit fieri distendatur, oleo impleveris; quod prominet illius extra ampullam circuncide, & eius ori apta sic, ut nullum eius vestigium appareat. hanc ampullam probe obturatam feras in aperto licet. quippe oleum quod ei inest, pellucebit: neque aliud quicquam ei inesse apparebit. Factum antea hoc etiam est; quidam in tabella lignea quum scripsisset, ceram super illevit, & ceræ alia inscripsit. deinde ut ventum est ad eum cui scribebatur, is cera detersa, & lectis quæ scripta erant, postquam alia similiter scripsisset, hominem dimisit. Dicitur etiam quidam, in buxeam tabellam quum scripsisset atramento quam optimo, scripturam sivisse desiccari: tum autem albo illito, ne literæ apparerent, fecisse. postquam igitur ad eum ventum, cui epistola mittitur, is tabellam

in

in aquam immisit. ita quicquid fuerat scriptum in aqua apparebat. Scribi etiam queat in tabella pictoris quicquid volueris. Deinde hac dealbata & siccata, Lucifer eques pingendus, aut quidvis aliud pro libidine, puta, vestimentum album, equus albus, aut si mavis alius coloris, nigro excepto. deinde alicui tabella est danda, qui in templo, quod primum fuerit extra urbem obvium, eam pro donario suspendat, ceu religione voti obligatus. Quando autem legere quæ scripta sunt oportebit, ad ædem sacram accedendum, & per signum quod prius convenerit tabula agnita, & domum allata, in oleo ponere ipsam oportet. omnia igitur quæ scripta sunt fient manifesta. Declarabitur nunc à me ratio mittendi epistolas, illa quidem omnium occultissima, sed & operosissima. est autem hæc. In talo satis magno foramina quatuor & viginti facito: sena videlicet in quoque latere. Sunto autem talia foramina literæ *Græcorum*. tu vero memento in quo latere prima literarum Alpha fuerit locata, & illi proximæ. cum igitur sermonem aliquem volueris exprimere, fili traiectione per foramina id tibi faciendum. in traiectione autem fili, orsus ab eo tali latere ubi est Alpha, *atque per id foramen traiecto filo*, proxime notatas literas transgressus, postquam ad latus illud perveneris, ubi est Iota,

Iota, traiice rurſum. proximas deinde literas iterum omitte, donec illuc veneris ubi eſt *Delta*; ibi filum traiice. præteri denuo proxime ſequentes literas, uſque dum ſit ventum ad *Ypſilon*. eo loci filum, ut prius, traiice. atque ita fac in cæteris literis huius ſermonis, ΑΙ ΔΥΝΑΜΕΙΣ ΑΠΕΣΤΗΣΑΝ, EXERCITUS FIDEM MUTARUNT: ſcriptionis, inquam, loco, traiectione fili in cunctis literis utere, quaſi eſſet nomen unum. Erit igitur quod mitteretur, velut glomus quidam fili circa talum. illum vero qui iſta leget, literas per foramina deſignatas in pugillaribus aut tabellis deſcribere oportebit. porro exemtio contrario ordine fiet atque inſertio. ſed quod literæ inverſo ordine in pugillaribus deſcribentur, id vero nihil refert: non enim propterea minus ſermo cognoſcetur. quáquam plus ſane operis eſt in cognoſcendis quæ ſcripta ſunt, quam in opere ipſo conficiendo. Concinnius autem hoc fiet, ſi lignum unius quaſi ſpithamæ vel dodrantis, ſecundum literarum numerum fuerit perforatum: deinde filum per foramina traiiciatur. Quoties autem bis in idem foramen fuerit filum traiiciendum, ſicut litera eadem bis continenter ſcribitur: priuſquam poſteriorem traiectionem facias, filum circa lignum circumducito. Fiet idem & hoc pacto. Tali aut ligni loco orbem ligneum

ligneum lævigato: deinde in eius ambitu literarum XXIV. elementa perforato. vitandæ autem ſuſpicioni, alia quoque per medium orbem facito foramina: tum autem, per elementa continua ſerie ita diſpoſita, filum traiice. ſi quando autem litera eadem bis occurrat ſcribenda, filo prius inſerto in foramina medii circuli, iterum in literam eandem filum inſere. literas appello foramen unumquodque. Hoc quoque à nonnullis factum; ut in ſubtiliſſima charta, *ſive alia ad ſcribendum materia*, lõgos verſus literis ſubtilibus ſcriberent; ita ut epiſtola propter molis modum eſſet ad ferendum commodiſſima: deinde ea ſubiecta eſt tunicæ humero: & extrema tunica eandem in partem replicata. videtur igitur extra omnem ſuſpicionem futura epiſtolæ latio, ſive quis tunicam induat, ſive ita ferat. Quod autem eius rei quæ ſubdole immittitur, difficilis cautio ſit; teſtimonio probari poteſt. Nam qui Ilium colunt homines, à tanto tempore in eo laborantes, & tanta diligentia ad hoc diſpoſiti, nondum cavere poſſunt, quo minus Locrides Ilium ingrediantur; qui tamen in eam rem ſtudii tantum impendant, & tanta cautione utantur. ſed nimirum pauci ad fallendum attendentes fallunt; & ita multas in urbem Locridas inducunt. A vetuſtioribus vero etiam huiuſmodi dolus eſt uſurpatus.

patus. Quum Timoxenus Potidæam prodere Artabazo vellet; mutua inter ipsos conventione facta, constituerunt loca, alter urbis, alter castrorum, quo si quid invicem notum sibi facere optarent, sagittas mitterent. ipsi autem circa sagittæ crenas epistolam volventes, ac pennas deinde addentes, designata loca petebant. sed accidit, ut fraus Timoxeni Potidæam prodentis palam fieret. nam Artabazus quum in locum constitutum sagittas iaceret, à scopo aberrans virum Potidæatam in humero feriit. ad quem vulneratum turba undique, ut fieri amat in bello, accurrit. hi statim sagittam acceptam ad duces attulerunt, atque ita fraus patuit. Histiæus significare aliquid Aristagoræ cupiens, quum nulla ratione alia facere id posset: quippe custodibus vias obsidentibus; ut difficile esset ei qui literas ferret, latere: servorum fidelissimo caput rasit, rasum stigmatibus inussit, deinde eum donec renascens capillus succrevisset detinuit. quod ut primum accidit, Miletum proficisci ipsum iubet. nullum aliud notis inusto dans mandatum, nisi hoc; ut postquam Ephesum ad Aristagoram pervenisset, iuberet eum caput sibi stigmatiæ radere, atque illud inspicere. stigmata autem, quid esset opus facto, declarabant. Scribi potest etiam hoc modo. Convenire prius oportet, literarum vocalium loco, puncta

puncta positum iri : tot nempe puncta, quota est in ordine literarum vocalis notanda. Exemplum hoc esto :

Dionysius pulcher. D:. : : N :::S:. ::.SP::.LCH.. R
Heraclides venito. H. .R. CL:. D.. S V.. N:. T: :

Item alia ratio; In locum vocalium, quidvis aliud substituatur. Et literæ quidem istiusmodi in certum locum deferendæ sunt, ei notum ad quem diriguntur. ut hic, simulac tabellarius in urbem venerit, vendiderit, emeritve aliquid, eo ipso cognoscat literas sibi venisse; easque in eo qui convenit loco esse, Ita si fiat, neque is qui fert, cui ferat noverit: neque eum qui accepit, accepisse, notum cuiquam fuerit. Multi in Epiro canibus in eam rem sic utuntur. Canem vinctum abducunt : deinde lorum circa collum applicant, cui epistola est inscripta: mox noctu sive interdiu dimittunt, qui necessario ad eum locum abit, unde est abductus : atque hoc Thessalonicensium est inventum. Cæterum epistolæ de talibus rebus allatæ, statim sunt aperiendæ. Astyanacti tyranno Lampsaci missa epistola fuerat, indicium eius coniurationis continens, per quam periit: idque propterea quod literas non illico aperuit, neque iis contenta legit. quum igitur rem neglexisset, atque alia negotia huic prævertisset, epistolam digitis tenens interiit. Cadmea quoque Thebis eandem ob causam est capta. sed & Mitylene

nę in Lesbo similia his acciderunt. Glus Persæ navarchus ascenderat ad Regem: in cuius conspectum qui admittuntur, fas eis non est ullum commentarium in manibus habere. Quum igitur de multis magnisque rebus memoriter esset ipsi agendum, dicendorum capita in ipsis intervallis quæ digitos manus separant, scripsit. De his & similibus portæ custos debet esse solicitus; ne quid, sive armorum, sive literarum, clam in urbem inferatur.

CAP. XXXII.

Machina machinis opposita.

QUANDO autem hostis accessionem facit ad muros, sive machinis, sive hominum corporibus, sic resistendum. Ac primo adversus ea quæ supra muros attolluntur, è turribus vel malis, aut simili modo alio, oportet sublimiores machinas attollere, & funibus intendere; tegminibus munitas impenetrabilibus: suffitus quoque earum rerum adhibere, quæ fumi multum emittent. accendēdus etiam est ignis maximus. Turres quoque ligneæ ex adverso erigendæ, & aliæ moles altæ, è corbibus arena plenis, aut lapidibus, vel lateribus. Possint etiam tela repellere, crates ex arundinibus textæ qua erectis, qua transversariis. Ad hæc fuere, qui adversus arietem,

&

& id genus machinas, in mœnia irruentes, præparata munimina haberent; ſaccos aceribus plenos, pro muris appenſos, vaſa item lana referta, & utres inflatos è recente corio boum: nec non alia id genus ſimiliter impleta. quando portam vel aliam muri partem machina quatit, laqueo prominentem partem, ſive roſtrum, oportet avertere: quo machina murum ferire nequeat. Præparandum etiam eſt ſaxum plauſtrale, quod dimiſſum in terebram incidat, eamque conterat. atque id ſaxum è tignis proiectis eſt emittendum, cancri prehenſione ſuſpenſum. ut autem à terebra ſaxum non aberret, perpendiculum prius demittendum: quod ubi recta in terebram incidet, ſaxum protinus eſt laxandum. Plurimum etiam iuverit contra machinas mœnia perforantes: hæc eſſe præparata. cognito ad quam partem murorum hoſtis machinam ſit admoturus, oportet te quoque arietem arieti contrarium comparare; interiore muri parte perfoſſa, uſque ad lateres partis exterioris, ne prius inimici reſciſcant. ubi autem appropinquaverit tundentis machinæ roſtrum; tum demum intrinſecus ariete contrario tundendum; cuius quidem ictus ictu alterius eſt multo vehementior. Adverſus magnas machinas, ſuper quibus multi armati admoventur, & ex quibus tela mittuntur, cum

cum alia, tum catapultæ & fundæ, atque etiam in tecta arundinacea ſagittæ ignifera: adverſus iſta, inquam, machinamenta curare oppidani debent, ut qua acceſſionem ad muros ipſa ſunt factura, cuniculos occultos fodiant, quo machinarum rotæ impreſſæ ſidant, cuniculoſque ſubeant. Poſt iſta, è ſaccis arena impletis, & lapidibus, pro copia præſente, interior munitio erigenda, quæ ſupra machinam *hoſtium* erigetur, & tela illorum reddet inutilia. ſimul, tegendi cauſſa prætendi vel deſuper intendi nuda vela, cum alia tum nautica, debent, præſidio futura adverſus tela, quæ intra urbem immittentur: nam & tranſgredientia muros tela inhibebunt, & ut facilis eorum ſit collectio præſtabunt: quippe nullum eorum in terram cadet: atque hoc idem faciendum, quacunque in parte urbis tela ultra muros delata lędunt, vulneribuſque afficiunt miniſteria, & eos qui per vias ingrediuntur. Sicubi autem teſtudo admota muro, ſuffodere, aut deiicere partem eius aliquam potuerit, huic malo præparandum eſt hoc remedium. contra foramen quod hoſtis fodiendo fecerit, ingens excitandus eſt ignis. è regione autem deiecti muri foſſa interior ducenda, ne inimici ingrediantur. ſimul faciendum, ut murum *interiorem* contra ruinam ædificando attollas, prius quam murus ſuffoſ-
ſus

ſus cadat, ſi aliter conatum adverſariorum impedire nequeas.

CAP. XXXIII.

Incendium machinarum hoſtilium.

TESTUDINIBUS quas hoſtis admoverit, pix infundenda, ſtuppa item & ſulphur iniiciendum, deinde virgultorum faſcem inflammatum fune ſive amento coniicere in teſtudinem oportet. atque hæc & ſimilia de muro protenſa, machinis admovendis deſuper immittuntur. Modus autem eaſdem comburendi hic erit. Præparentur ligna ad inſtar ſagittarum, ſed prælonga & maiora multo. ad cuiuſque ligni extrema cum à ſuperiore, tum ab inferiore parte ſeparatim aptentur materiæ ad concipiendum ignem efficaces & validæ. eſto autem teli huius figura, quali ſolent fulmina depingi. hoc igitur in machinam quę admovetur coniicere oportet, ita præparatum, ut illi infigatur, & ut telo ſemel infixo ignis inhæreat duretque. Quod ſi in urbe aut muro turres aliquæ fuerint ligneę, proviſa his debent eſſe præſidia, quo ne cremari ab hoſtibus queant. *id præſtabunt cùm alia,* tum coria cruda, præſertim ſi plura iuncta opponantur. Si portis fuerit ignis iniectus, ligna ſunt aggerenda, & ignis maximus excitandus, donec foſſa interior ducta

cta fuerit. ad hoc quæ erunt necessaria, ex copia præsente, *suppeditandum:* sin minus, ruina proximorum ædificiorum *saluti consulendum.*

CAP. XXXIV.

Quæ ad restinguendum ignem valent.

SI hostis ad munitiones tuas incendendas, apparatus concipiendo igni efficaces & validos admoverint, incendium aceto restinguendum. non enim facile erit, ignem accendere. magis tamen iuverit, si prius ligna aceto linantur. nam à materia aceto illita ignis abstinet. Eos autem qui è locis summe editis ignem restinguunt, munimen aliquod faciei oppositum habere convenit, ut ab invadente flamma minus sentiant incommodi.

CAP. XXXV.

Ignem arte excitare.

IGNEM autem validum, & qui nulla arte restinguatur, ita parabis. picem, sulphur, stuppam, mannam, thus, *sive mannam thuris,* tædæ ramenta, accende, & adversus hostem admove, si quid illius succendi volueris.

CAP.

CAP. XXXVI.

Ratio impediendi ne admoveantur ſcalæ.

QUANDO ſcalæ applicantur, ſic reſiſtendum. Si ſcalæ admotæ ſumma ſuperent mœnia, poſtquam is qui ſcandit ad ſummum ſcalarum pervenit, tunc aut hominem, aut ipſas ſcalas lignea furca repellere oportet: ſiquidem alia ratione facere id nequeas, quod ex inferiore loco ſagittis petaris. Si ſcalæ iam *firmiter muris ſint aptatæ*, ipſæ quidem repelli non poſſunt, ſed quicunque ſcandendo ad ſumma pervenerint ſunt detrahendi. Si hæc vix poſſe fieri videantur, ex aſſeribus tabulatum inſtar forium conficiendum; deinde ubi ſcalæ admovebuntur, ipſis quæ applicantur ſcalis fores illæ obiiciendæ, atque adeo ſupponendæ ſunt. quando igitur ſcalæ ad fores acceſſerint, ſubductis foribus & ope vertibularum ante ſubiectarum retto actis, cadere ipſas neceſſum eſt: itaque è regione illius loci applicari non poterunt.

CAP.

CAP. XXXVII.

Cognoscere, & impedire eos qui cuniculos fodiunt.

EOs qui cavant cuniculos ita impedire oportet. Si videatur hostis cuniculos suffodere, fossa altissima extra muros percutienda; ut ad fossam cuniculus perveniat, & fossores oculis subiiciantur. debes etiam, si suppeditet copia, modicæ altitudinis murum in fossa, firmissimum è saxis maximis struere: si ad structuram muri saxa non suppetant, congeriem lignorum & quisquiliarum eo comportando. si cuniculus ad fossam fuerit perductus, ligna & quisquiliarum congeriem succende: atque alia omnia contegens effice ut fumus cuniculum ingrediatur, & cunicularios vexet. potest enim fieri, ut multos eorum fumus extinguat. Fuerunt etiam, qui vespis atque apibus in cuniculum immissis, magno ibi hostes incommodo affecerunt. Præterea oportet, ut quo in loco cuniculum hostis fodiet, ipse quoque contrarium cuniculum fodias; intra quem inimicis resistẽs, quicquid ex adverso pugnabit, combures. Narratur vetus historia huiusmodi. Amasis olim Barcæos obsidens, cuniculos fodere incepit. illi cognita Amasidis molitione, vehementer angi & magna sollicitu-

dine affici; ne forte hostis, prius quam deprehenderetur, voti compos fieret. de his apud se cogitans faber quidam ærarius, rationem hanc invenit. clypei æramentum circumferens, & supra murum ponens, aures ei parti admovebat. & alia quidem, ad quæ æs applicuerat, muta erant; qua vero regione cuniculus suffodiebatur, ibi sonus edebatur. Barcæi igitur, fossa è regione cavata, multos è fodientibus occiderunt. quare nunc quoque *viri militares* eo invento utuntur, ut locum deprehendant, ubi cuniculus suffoditur. Et machinationibus quidem adversariorum qua ratione sit resistendum, hactenus est expositum. at cuniculos agere si qui volent, validissimum adversus hostem sepimentum hoc fuerit. Duum plaustrorum temones in unum colligabis, utrumque in partem alteram plaustri sui porrigens, ita ut sublimes attollantur, eodem vergentes. tum autem varia ligna & texta viminea & quæcunque alia sepimentis faciendis apta, desuper iniecta inter se vincies. luto etiam interdum inungesi verum hoc fit rarissime. hanc igitur structuram ope rotarum, & adducere quocunque volueris, & reducere poteris. atque sub hoc munimento latebunt qui cuniculos agent.

CAP.

CAP. XXXVIII.

Ad hostem arcendum.

QUANDO autem hostes vel machinis, vel hominum vi muros adoriuntur; defensores intra oppidum in tres partes debent esse tributi: ut parte una pugnante, altera quiescat, tertia ad certamen se præparet: atque ita semper, qui muros propugnabunt, integris erunt corporis viribus. Oportet etiam selectorum aliam manum numerosiorem, una cum ipso Prætore, muros assidue lustrare: quæ subinde, ut quæque pars opprimetur, suppetias feret. hostes enim id quod postea accedit magis formidant, quã quod iam adest ac præsens est. Canes etiam hoc tempore vinciendi. qui alioquin, armis per urbẽ strepentibus & hominibus huc illuc currentibus, insolita specie moti, obvios appetẽt. Qui de muro pugnant, variis hortatibus, pro cuiusque meritis sunt excitandi: alios laudabis, alios rogabis: ira vero neminem inferioris sortis prosequeris. quippe alacritatem pugnandi hoc illis pacto imminueris. Quod si propter negligentiam aut immodestiam in aliquos oportuerit animadvertere; in eos potius qui plurimum possident, & qui in civitate plurimum possunt, animadvertito. simul enim alios quoque exem-

plo terrueris. quibus autem potissimum temporibus horum unumquodque debeat usurpari, in libro Auditarum narrationum est expositum. Saxa manualia ut temere iaciantur, permittendum non est. quo autem iacta interdiu, possint noctu legi, hoc apparatu est utendum. impositos cophinis viros funibus demittere oportet, qui coniecta saxa sint collecturi. quo etiam pacto, postquam saxa fuerint collecta, eos viros conscendere mœnia oportet, cophinis iterum per funes demissis. aut scalis in eam rem utendum, è funibus confectis: quas quidem scalas haberi à collectoribus binas convenit; ut si nonnulli eorum aliquid offenderint, protinus ascendant. nam portæ quidem noctu aperiendæ non sunt: sed scalis huiusmodi utendum, si usus postulaverit.

CAP. XXXIX.

Doli in hostem parandi.

PRÆTEREA obsessos dolis hoc genus uti par est. In porta, & quidem in parte interiore, fossa percutienda, transitu hinc atque hinc relicto. exeant deinde milites pauci, qui velitatione facta hostem alliciant; ut una cum ipsis fugientibus in urbem irrumpat. igitur oppidanis, qui intra muros fuga se recipient, per vias hinc inde

ad

ad tranſeundum relictas ingrediendum erit. at hoſtes, qui neque antea quicquam de foſſa cognoverint, neque præſentem videbunt, quippe ſuperpoſitis rebus quibuſdam occultatam, irruituros, atque intra urbem perituros, ſuadet ratio. illo vero tempore per oppidi vias & pro foſſa, armatorum partem ſtare diſpoſitam eſt neceſſe. Si plures hoſtes ſe inferant, & voluerris eos in poteſtate habere, portam *cataractam* de proiectura ſuſpenſam, quæ mediæ portæ deſuper incumbit, præparabis, è lignis craſſiſſimis compactam: atque eadem ferrata eſto. quoties igitur irruentes hoſtes libitum erit excipere, portam hanc recta deiicito: hæc enim & ingreſſis exeundi facultatem eripiet, & ne plures poſſint introire impediet. quum præſertim qui ſtant ſuper muros, portis appropinquantem hoſtem telis petant. Semper autem oppidanos & qui ab illis ſtant præmonitos eſſe oportet, ſi per vim denuo inimici irruperint, in qua parte urbis congregari omnes debeant, ut etiam loci diſcrimine amici à cæteris dignoſcantur. alioquin difficile, ut miſti è pluribus gentibus homines, qui cũ armis & tumultu irruperint, ſeſe invicẽ agnoſcant. Non defuere, qui plane iam audacter ſe inferenti hoſti & propius muros ſuccedenti ſive noctu ſive interdiu, laqueos præpararent, per diem quidem occultos,

per noctem vero non occultos, quo inimicos velitationibus quum pertraxissent, irretitos laqueis trahebant. is laqueus è fune validissimo confici debet: pars autem illa quæ trahet, catena esto duum cubitorum, ne abscindi queat. reliqua pars, quam apprehendunt qui hostem trahunt, è fune erit. omnino enim captus hostis aut prævalidis funibus, aut tollenonibus intra urbem suspensus trahitur. si hostes vincula resecare conentur, rursus obsessi tollenonibus utuntur, & *impedituros ne præcidantur* demittunt. catenæ enim ad talia, operosa res, ægre tractabilis, & simul inutilis.

CAP. XL.

Vrbis per paucos custodiendæ rationes variæ.

SI urbs magna fuerit, neque suffecerit numerus inclusorum ad illam in orbem cingendam; volueris tamen oppidum ea quæ adest hominum copia defendere: oportet in illis locis qua facilior patet aditus, moles quasdam altas exstruere, ex iis rebus quæ ad manum aderunt: ut, si qui hostium vel vi, vel clam conscenderint, consilii inopes, desilire è locis sublimibus nequeant: sed præcluso descensu nullam prorsus *viam destinata perficiendi inveniant*. porro ad latera molium extructarum, disponun-

ponuntur utrimq; præsidia, pro copia hominum quæ suppeteret, ut ii qui ex alto desilierint, eos occidant. Dionysius, urbis cuiusdam potitus, quum oppidani partim mortui essent, partim aufugissent, retinere eam in potestate volebat. quoniam autem maior ea erat quam ut à paucis custodiri posset, curatores quosdam è suis cum paucis è civibus qui reperiri potuerunt, oppido præficit: ut quisque autem civis plurimũ in civitate potuerat, huius servis filias, uxorem, sorores, nuptum dedit: rebatur enim Dionysius, hoc pacto se consequuturum, ut heris hostes infestissimi evaderent, sibi amicissimi. Sinopenses cum Datama bellum gerentes, ubi iam in periculum res erat adducta, viris deficientibus, mulieres, quarum erant ad hoc inceptum accommodatissima corpora, concinnarunt, & ad instar virorum quam maxime fieri poterat armarunt. armorum sive clypeorum loco & galearum, cados & similia his vasa ex ęre iis dederunt: deinde mulieres per illas maxime partes murorũ circumduxerunt, unde illas hostes erant conspecturi: cæterum tela iacere eas non sinebant; mulier enim iaciens, vel è longinquo spatio sese prodit. atque hæc cum facerent Sinopenses, ne per transfugas res emanaret, diligenter cavebant. Si volueris plures in muro circitores apparere; binos in circuitione proce-

dere oportet, ita diſpoſitos, ut unius ordinis milites ſuper humero ſiniſtro haſtas gerant, alter ſuper dextro. ita videbuntur eſſe quatuor. Si terni circumeant, primus ſuper dextro humero haſtam habeto, alter ſuper ſiniſtro: eadem ratiò in cæteris ſervanda. hoc pacto unus vir ſpeciem duorum præbebit. De alimentis, frumento, & cæteris, quibus ad tolerandam obſidionem eſt opus; item quomodo aquæ ad potum aptæ reddi queant, in libro De apparatibus eſt expoſitum.

FINIS.

INDEX CAPITUM

Quæ in Aeneę Commentario de toleranda obsidione continentur.

PRÆFATIO.

POPULI, VIRI, LOCA,
in exemplis ab ÆNEA allatis nominatim memorata.

Cifra caput indicat, non paginam.

A.

B.

C.

D.

E. EPHE-

E.

G.

H.

I.

L.

M.

N.

P.

R. RHO-

R.

S.

T.

FINIS.

POLYBII LYCORTÆ F.

MEGAPOLITANI

COMMENTARIVS POLEMICVS,

Sive

DE MILITIA & CASTRAMETATIONE ROMANORUM;

Ex Historiarum LIBRO VI.

ISAACO CASAUBONO Interprete.

Hoc elegantissimo Commentario continentur.

INSTITUTIO *Tribunorum militum, & dilectus qua legionum qua auxilorum.*

Armatura Romanorum.

Dispositio legionum in castrametationibus.

De pœnis maleficiorum, & virtutis præmiis.

Ratio movendi castra, ducendi agminis, & figendi tentoria.

POLYBII MEGAPOLITANI

POPULI ROMANI

INSTITVTA REI MILITARIS.

Institutio Tribunorum militum, & dilectus, qua legionum qua auxiliorum.

ROMANI posteaquam Consules designarunt, TRIBUNOS militum deinceps creant: quatuordecim quidem, ex iis qui annua iam quina stipendia habent: decem vero alios præter superiores ex iis qui dena. Civibus enim plane est necessum, stipendia facere intra annum ætatis quadragesimum sextum, equitibus quidem, dena, peditibus vero, sena dena: iis duntaxat exceptis, qui infra quaterna millia æris censi fuerint. hos omnes missos faciunt, in usus nauticos. quod si casus aliquis gravior urgeat, vicena stipendia annua peditibus sunt facienda. Urbanum vero magistratum capiendi ius nemini est, antequam dena stipendia emerita habeat. Porro quando Consules sunt conscripturi milites, diē populo edicunt, qua die Romanos omnes militaris ætatis sistere se oporteat. atque id faciunt

faciunt quotannis. ubi dies advenit, & Romam apti militiæ convenerunt, iidemque mox in Capitolio congregati sunt; ibi iuniores è Tribunis militum, ordine prout quisque eorum vel à populo, vel ab Imperatoribus fuerit constitutus, in quatuor dividere se partes solent. quia apud eos summa & prima divisio copiarum est in quatuor legiones. Et quatuor quidem illos qui primi creati fuerint, legioni quam vocant Primam, attribuunt; tres proximos, Secundæ; quatuor qui hos excipiunt, Tertiæ; tres novissimos, Quartæ. Seniorum autem, duos quidem primo creatos in Prima locant legione; tres secundo loco designatos, in Secunda; duos proximos, in Tertia; tres postremos in ultima. Peracta vero electione & divisione tribuum, sic ut singulæ legiones totidem duces habeant: separatim postea sedentes cuiusque legionis Tribuni sigillatim tribus sortiuntur, & ut cuique sors contigit, eam ad se vocant: tum ex ea quatuor iuvenes eligunt, pares, quoad eius fieri potest, ætate & habitu corporis. his propius admotis, primi electionem faciunt Primæ legionis Tribuni: secundi, Secundæ: tertii, Tertiæ: novissimi, Quartæ. rursusque aliis quatuor admotis, primi eligunt Secundæ legionis tribuni: & sic deinceps: ultimi vero Primæ. Secundum hæc aliis denuo quatuor adductis,

ctis, primi dilectum habent Tertiæ legionis tribuni: ultimi, legionis Secundæ. & ita, dum hac ratione semper idem electionis orbis volvitur; evenit illud, ut pares ac similes capiantur in quamque legionum milites. Postquam conscripserunt quam proposuerant multitudinem, (ea est quandoque in singulas legiones peditum quaternum millium & ducentorum: aliquando quinum milliũ, quoties maius aliquod ipsis imminet periculum:) mox equites, olim quidem posteriore loco moris erat deligere: & quaternis peditum millibus adiungere ducentos: nunc priore loco eos centuriant, è censu iam ante per censorem electos: atque illorum trecentos unicuique legioni assignant. Peracto dilectu eo quem diximus modo, Tribuni militum suę quisque legionis eos qui fuerunt conscripti, congregant, atque unum ex omnibus eligentes maxime idoneum, sacramento adigunt; FORE OMNINO UT PAREAT IMPERIO DUCUM, ET QUICQUID AB IIS FUERIT IUSSUS, PRO VIRIBUS PRÆSTET. Reliqui autem omnes procedentes alter post alterum in eadem verba iurant, & quod omnia facturi sint, sicut ille primus. Eodem etiam tempore qui consulatũ gerunt, magistratibus sociarum in Italia urbium, ex quibus auxilia eo bello secum militare volunt, denuntiant: numerum

&

& diem locumque ad conveniendum edicentes iis qui lecti fuerint. Civitates conscriptos à se milites & sacramento adactos, eodem quem iam exposui modo, Duce etiam constituto & Quæstore, mittunt. At Romæ Tribuni militum, postquam sacramento milites dixerunt, denuntiato legioni cuique die ac loco ad conveniendum sine armis, tunc quidem eos dimittunt. cæterum ubi ad dictam diem illi convenerunt: natu minimos & pauperrimos Tribuni seligunt in velites: proximos his in hastatos, uti vocant: ætatem florentissimam in principes: maximos natu Triarios. hæ sunt enim, nec plures istis differentiæ apud Romanos appellationum, ætatum & armaturæ in unaquaque legione. Ita autem hos dividunt, ut ætate maxime provecti, qui Triarii dicuntur, sint numero sexcenti. Principes mille ducenti; totidem Hastati: cæteri ac natu minimi velites: sin pluribus quam quatuor millibus constet legio, eadem proportione & cæterorum partitionem instituunt: nisi quod Triariorum numerus variat nunquam.

Ar-

Armatura Romanorum.

AC minimis quidem natu præcipiunt ut gladium ferant, haſtas & parmam. Parma & firmitatem habent, à ſtructura : & magnitudinem quæ ad defenſionem ſufficiat: quippe cui figura rotunda, demetiens pedis unius & ſemis. Inſuper adornatur velitum quiſque vili capitis tegumento: cui lupina interdum aut aliquid eiuſmodi imponitur; ſimul tutelæ cauſa, & indicii: ut in obeundis fortiter ſeciuſve præliis, dignoſci ab ordinum queant ductoribus. HASTA velitaris telum eſt habens haſtile, duos ut plurimum cubitos longum : craſſum vero digitum unum. ſpiculum illi dodrantis unius, eo tenuitatis atque acuminis perductum, ut neceſſario ſtatim à primo iactu reflectatur, neque remitti poſſit ab hoſtibus. alioquin commune eſt hoc telum. Ætate proximis quos vocant Haſtatos, præcipiunt ut iuſta arma domo afferant. ea ſunt apud Romanos : ante omnia SCUTUM ; latum in ſuperficie gibba duos pedes cum dimidio : longum pedes quatuor. aut, ſi ſit maius, ad hanc menſuram accedit palmus. è duplici tabulato glutine taurino eſt compactum : extrema ſuperfices linteo, deinde vitulino corio circumtegitur. in ambitu circa ſuperam inferam-

feramque partem ferrea prætexitur lamina, qua adversus cæsim illatos ictus munitur, & ne humo incumbens corrumpatur. adaptatur etiam illi concha ferrea, (is est umbo,) quæ ictus vehementiores defendit, lapidum, sarissarum & violentorum omnium telorum. Simul cum scuto est Gladius, quem ad dextrum latus gestat. Hispaniensem ipsi vocant. est hic gladius & ad punctim lædendum excellens; & ad cæsim ex utraque parte feriendum vehemens. constat enim lamina valida & firma. Accedunt Pila duo, & galea ærea & ocrea. Sunt è pilis quædam crassa, quædam tenuia: è solidioribus, quæ rotundæ sunt, palmarem habent dimetientem: quæ quadrata, latus; tenuia, sibynis mediocribus sunt similia: atque hæc gestant cum iam dictis. Istorum omnium hastile tria fere cubita longum est: aptatur singulis telum ferreum, hamatum, paris longitudinis cũ ipsis lignis: cuius nexum usionemque adeo firmant valide, ad media usque ligna religantes, & crebris fibulis configentes, ut non ante nexus inter utendum laxetur, quam ferrum frangatur: etsi crassum in fundo, & qua parte ligno committitur, digitũ unum cum dimidio. usque adeo magna cautione prospiciunt huic adnexioni. Accedit ad hæc omnia, quod in Galea serto pennaceo insuper ornantur; pennis nempe tribus puni-

puniceis aut nigris, iisque rectis, longitudine fere cubitalibus. quę ubi cęteris armis ad summum verticem accesserunt, vir quidem duplo quam sit maior apparet; species autem existit pulchra & hosti formidabilis. Ac multitudo quidem assumpta, ad hæc ærea lamina, duodecim ab omni parte digitorum, quam pectori apponunt, & corditum sive pectorale dicunt, plenam habent armaturam. Sed qui centum millium æris censum habent, loco pectoralis, supra cætera arma, loricas hamis consertas induunt. Eodem modo armantur & Principes & Triarii, nisi quod Triarii pro pilis hastas gerunt. Porro ex singulis quæ sunt exposita generibus, exceptis qui ætatis sunt inferioris, ordinum ductores decem eligunt, pro cuiusque virtute. deinde alios iterum decem, altera electione. atque hos omnes appellant ordinum ductores: quorum is qui primo loco est electus, concilium participat. rursus autem isti totidem coactores agminis eligunt. Secundum hæc una cum ordinum ductoribus ætates deinde singulas, velitibus demptis, in partes decem tribuunt, & binos cuique parti duces, binosque agminis coactores è lectis viris assignant; velites vero prout ipsorum numerus est, æquabiliter in omnes partes dividunt. ac singulas quidem has partes appellant ordinem, manipulum, signum:

ſignum: duces vero, Centuriones & ordinum ductores. Hi in ſuis quiſque manipulis ſigniferos duos ex omni numero eligunt, vigore corporis & generoſa mente præſtantiſſimos. Quod autem duos cuique manipulo ductores attribuunt, ratione id faciunt. quum enim ſit incertum quid dux vel facturus ſit vel paſſurus, neque excuſationem ullam bellica res admittat; committere nolunt, ut duce ac præfecto unquam ordo careat. Igitur præſentibus quidem ambobus, uter fuerit prior electus, is dextræ manipuli præeſt parti; alter, ſiniſtræ. ſi non adſunt ambo, qui ſolus reſtat, is omnium ducatum obtinet. Probant autem Romani Centuriones, non tam eos qui ſunt audaces & ad pericula ſubeunda prompti, atque eos qui arte imperatoria valent. ſuntque firmi ac ſtabiles & alto magis animo: non qui temere confligant aut pugnæ initium faciant: ſed qui ſuperiore hoſte, & cum premuntur durent, ac prius mortem oppetant, quam ſtationem deſerant. Simili modo etiam equites in turmas decem dividere ſolent: è quarum ſingulis tres turmarũ præfectos creant. hi coactores agminis totidẽ aſſumunt. qui primus turmæ ductor eſt electus, turmæ prçeeſt: reliqui Decurionum locum obtinent, atque adeo id ipſum omnes vocantur. quoties primus abeſt, ſecundus pro turmæ præfecto ſe

ſe gerit. Armatura porro equitum nunc quidem Græcanicæ eſt ſimilis: at non ita olim. Iam primum, loricas non habebant: ſed in campeſtribus pugnabant: ex quo fiebat, ut ad deſcendendum quidem & celeriter inſiliendum in equos parati eſſent atque expediti: inter pugnandum vero periculis obiicerentur; ut qui nudi dimicabant. Haſtæ deinde duabus de cauſſis erant illis inutiles. prior ratio eſt, quod quum graciles eas & tremulas facerent, neque ad propoſitum ſcopum poterant collimare; & prius quam mucro defixus in aliquo firmaretur, vibrantes pleræque ipſa equorum agitatione frangebantur. ad hæc, quum ſine cuſpide in ima parte facerent; ad unicum & primum illum ictum iis utebantur, quando mucrone feriebant: deinde fractæ, nulli amplius uſui fruſtra geſtabantur. Scutum vero illis erat è boum corio, ad inſtar eorum umbilicatorum liborum quæ ſacrificiis moris eſt imponere: ut neque ad congreſſus uti illis poſſent, quia vim ad reſiſtendum non habebant: & ubi imbribus corrupta atque in corii naturam reſoluta erant; quæ ante non magno uſui eſſent, iam plane inutilia evadebant. quare quum magiſtra experientia has reprobarent, Græcanicam armorum ſtructuram ſuæ loco facile uſurparunt. per quam & ſtatim primum illum

mucronis ictum dirigi recte atque efficacem esse contingit, eo quod ita conficitur hasta, ut stabilis sit, non tremula: & similiter versa hasta cuspidis usum firmum esse ac violentum. Eadem ratio & in scutis: nam & cum ictus inferuntur, & cum hostis invaditur, firmis & regtis uti eis licet. quod ut animadverterunt, cito sunt imitati. Romani enim, ut si qui alii, mores facile mutant, ut quod est melius ęmulentur. Tribuni militum postquam huiusmodi partitionem instituerunt, & hæc super armis dederunt mandata, unumquemque domum remittunt. ubi vero dies adest, ad quam se conventuros iurarunt, adsunt pariter omnes, eo quem designavit Consul loco. fere autem separatim uterque Consul locum suis legionibus ad conveniendum edicit. Utrique enim eorum pars auxiliorum attribuitur, & Romanæ legiones duę. omnes porro qui sunt conscripti, adveniunt indubitanter & necessario: quippe alia nulla prorsus eorum qui sacramento dixerint excusatio admittitur, præter auspicium & ea quæ sunt impossibilia. Ubi cum Romanis etiam socii sunt congregati, omnia inter illos administrant, & suum cuique munus disponunt viri à Consulibus constituti, quos vocant Præfectos, numero duodecim. Hi ante omnia ex universo cœtu Sociorum qui adsunt, Consulibus appositis-

simos

ſimos ad omnia quæ virtute vera eguerint, equites pediteſque ſeligunt, quos vocant Extraordinarios: ſi Græce vertas, Ε'πιλέκτους vox ſignificat. Auxiliorum autem multitudo omnis eſt, peditum quidem par, ut plurimum, legionibus Romanis: equitum vero, dupla. ex his ſumunt ad extraordinarios, ex equitibus quidem tertiam fere partem: è peditibus quintam. reliquos in partes duas tribuunt: earumque alteram dextrum cornu vel alam; alteram ſiniſtrum nominant. His rite paratis, Tribuni militum legiones una cum auxiliis accipiunt, & metari caſtra incipiunt. Eſt autem apud illos una & ſimplex circa caſtrametationes obſervatio; qua omni tempore ac loco utuntur. propterea viſum mihi opportunum jam eſſe, ut quantum eius fieri verbis poterit, efficiam, quo audientes modum rationemque illorum cognoſcant, diſponendi copias in agmine ducendo, metandis caſtris & acie inſtruenda. Nam quis adeo alienus ſit ab iis quæ pulchra ſunt & honeſta, ut paulo accuratius animum iſtis nolit intendere, quæ ſi ſemel perceperit, rei inter alias memorabilis ac dignæ notitia evadet peritus?

Dispositio legionum in castrametationibus.

EST autem CASTRAMETATIO Romanorum huiusmodi. Quoties locus castris est captus, partem illius quæ ad prospiciendum & dandum mandata fuerit commodissima, Prætorium occupat. Vexillo autem eo loci posito ubi Prætorium sunt fixuri, spatium quadratum circa ipsum vexillum sic metiuntur, ut ab eo latera omnia centum distent pedes: ac iugerum quatuor fiat area. Ad unum semper figuræ, huius aspectum ac latus, quod aquationibus pabulationibusque opportunissimum visum fuerit, Romanæ legiones isto modo collocantur. Sunt in quaque legione Tribuni sex, ut modo dicebamus: & quum binas uterque Consulum legiones secum habeat: palam est, duodecim in utriusque exercitu Tribunos necessario versari. Statuunt igitur horum omnia tentoria ad lineam unam rectam; cuius omnes partes à quadrati illius latere quod electum fuerit, pari intervallo distant. abest autem ab eo pedes L. est ibi capiendis equis, iumentis & reliquis Tribunorum impedimentis locus. porro tentoria locantur descriptæ iam figuræ aversa, extrorsum spectantia. eam intelligat lector universæ

figuræ

figuræ frontem esse; planeque ita semper à nobis vocabitur: Seiuncta sunt invicem Tribunorum tabernacula pari intervallo: eoque tanto, ut per totam latitudinem Romanarum legionum porrigantur. Rursus inita mensura pedum centum frontem versus è regione omnium istorum tabernaculorum, ab ea linea quæ latitudinem hanc definit, & à dictis tentoriis æqualiter omni parte distat; inde, inquam, legiones locare incipiunt: quo in negotio ita se gerunt. Dictam lineam in duo secantes, lineæ ab eo puncto ad rectos angulos ductæ, equites legionis utriusque adversos inter se applicant: invicem disiunctos pedum quinquaginta intervallo: cuius medium sectio illa obtinet. Est autem tabernaculorum in equite & pedite par ac similis ratio. Efficitur namque universa & manipuli & turmarum figura sive pedatura quadrata: eaque ad interiectas vias spectans, longitudinis quidem modum habet definitum iuxta ipsam viam; est enim centum pedum: ut plurimum vero etiam ut profunditas sive latitudo eandem mensuram habeat efficere conantur, præterquam in Sociis. quoties autem plenioribus legionibus utuntur, & longitudinis & latitudinis modum æqua proportione adaugent. Fit autem metatio hæc equitum opposita mediis Tribunorum tentoriis, similis vico trans-

versa regione ducto ad modo dictam lineam rectam, & eum locum qui est ante tabernacula Tribunorum. Est & revera vicorum similis hæc omnis species intercurrentium viarum: ut pote secundum quas ab utroque latere partim manipuli partim turmæ porrectas in longum suas metationes habeant. Cæterum à tergo dictorum equitum, Triarios legionis utriusque iis applicant; singulos nempe manipulos singulis turmis, figura simili. ita ut tangentibus se mutuo pedaturis eo respiciant Triarii, unde equites sunt aversi. latitudinem etiam cuiusque manipuli dimidiā longitudinis faciunt. quia & ipsi dimidio fere superantur à cæteris partibus. qua ratione quum impar sæpe sit numerus virorum, semper tamen metationum longitudo est æqualis; propter latitudinis variationem. Rursus autem intervallo pedum quinquaginta ab horum utrisque adversos Triariis Principes interiiciunt. quibus ad illud quod commemoravimus intervallū vergentibus, duæ ecce rursus fiunt strigæ, principia atque aditus ab eadem recta linea sumentes cum equitibus: area nempe illa centum pedum, quæ ante Tribunorum est sedem: desinentes vero in latus ambientis castra valli, Tribunis adversum, quod initio posuimus universæ figuræ frontem esse. Proxime Principes, ac pone eos, interse-

runt

runt Hastatos, retrosus iterum spectantes, & pedaturis se invicem contingentibus. Quum autem in quaque legionis parte sint manipuli decem, prout principio eam divisimus, strigæ omnes pari sunt longitudine, & earum quoque extrema æqualiter pertinent ad latus quod est frons castrorum. quo etiam conversi postremi manipuli tendunt. Ab Hastatis relicto iterum quinquaginta pedum intervallo, Sociorum equites locant adversos: ab eadem cum superioribus linea incipientes, in eadem recta desinentes. Multitudo Sociorum, ut iam supra dixi, peditum quidem par admodum est Romanis legionibus; detractis Extraordinariis iam facta minor: equitum dupla: quo etiam ex numero pars tertia in Extraordinarios est detracta. iccirco in castrametationum pedaturis instituendis, pro rata ad horum latitudinem adiiciendo, ut longitudine pares sint Romanis legionibus efficere conantur. Vbi iam sunt absolutæ intercurrentes viæ (quinque omnino hæ sunt) manipulos auxiliorũ equitibus apponunt ab illis aversos, itidem ut antea: & latitudinem his ad portionem augent. spectant autem hi manipuli vallum versus, & versus latera ab utraque parte. In singulis autem manipulis prima hinc & inde tabernacula Centuriones occupant. Simul, dum eo quem indicavi modo,

equites utrinque diſponunt, ſextam turmam à quinta ſpatio pedum quinquaginta ſeparant. idemque in peditum quoque manipulis obſervant: ita ut fiat hæc quoque tranſitio pervia per medias legiones: quæ ratione quidem ſtrigarum tranſverſa regione ducitur: ratione vero tabernaculorum ubi tendunt Tribuni, lineam rectam facit æqualiter ab iis diſtantem. Hanc Romani, quia ſecundum quintos ordines pergit, Quintanam nominant. Qui autem poſticæ parti tabernaculorum ubi tendunt Tribuni ſubiacet locus, & vacuo circa prætorium ſpatio utrimque adiacet, eius unam partem occupat Forum; alteram Quæſtor & res exercitui neceſſariæ quæ illum ſequuntur. Ab extremo vero in utraque parte Tribunitio tentorio, à tergo quaſi inflexam efficientes cum ipſis tabernaculis figuram, metantur Selecti ex equitibus Extraordinariis, & eorum nonnulli qui ultro in gratiam Conſulis militant. omnes hi ſecundum latera caſtrorum locati, ſpectant partim Quæſtorii apparatus, partim qui his ſunt oppoſiti, Forum. Ac fere ſolent iſti non metari tantum prope Conſulem: verum etiam, quoties agmen ducitur, aut aliud quid eorum fit quæ uſus poſtulat, Conſulem & Quæſtorem obſervare, & circa eos continenter agere. Opponuntur his ſpectantes vallum

lum versus pedites, qui similia modo dictis equitibus ministeria obeunt. Secundum istos via relinquitur pedes centum lata: quæ è regione tabernaculorum tribunitiorum directa, & à parte altera Fori, Prætorii ac Quæstorii, omnibus his locis prætenta ad vallum usque porrigitur. Ad superius viæ huiusce latus extraordinarii Sociorum equites castrametantur; Forum simul & Prætorium ac Quæstorium è regione habentes. horum prætenturæ circa medium, & ex adverso eius loci quem occupat Prætorium, via relinquitur pedum L: quæ ad posticum latus castrorum ferens, situs sui ratione, latæ quam diximus viæ ad angulos rectos incumbit. Rursus pone equites istos locantur auxiliorum pedites Extraordinarii, vallum & universorum castrorum aversa respicientes. Quod restat vacui spatii ad latera hinc & inde, extraneis attribuitur, & sociis si qui forte propter aliquam occasionem advenerint. Hæc quum ita se habeant, universa quidem castrorum forma est quadrata æquilatera: at strigarum in iis directiones & reliqua partium dispositio speciem urbi similem præbet. Porro vallum inter ac tabernacula spatium quaquaversum pedum ducentorum interiiciunt. & est illis hic inanis locus ad res multas easque eximias magno usui. Nam & ut induci educi-

que rite ac commode legiones queant, pręstat id spatium: quippe omnes ex adverso suæ quisque strigæ in locum hunc inanem se effundunt: neque in eandem viam concursu facto omnium, sese invicem evertunt ac conculcant. ad hæc, prædam, sive pecudum quę è vicinis locis subinde abiguntur, sive illam quæ hostibus adimitur, horsum cogunt & per noctes tuentur. Maximum vero est quod in nocturnis invasionibus neque ignis neque telum ad eos pertingit, nisi perquam rarissime: & id quoque fere sine ullo damno; cum propter intervalli longitudinem, tum propter circumposita tentoria. Quum igitur data explorataque sit qua peditum qua equitum multitudo in singulis legionibus, sive quatuor millium sive quinque eas facere voluerint: posita enim profunditatis, longitudinis, & latitudinis indicia: hoc amplius intervalla arctiorum & latiorum viarum, pariterque alia hoc genus omnia quum data sint; facile erit cupientibus, magnitudinem spatii totius, atque adeo castrorum universum ambitum, simul intelligere. Quod si maior aliquando Sociorum adsit copia, qui vel ab initio expeditionis comites fuerint, vel pro tempore postea advenerint: istis quidem quos occasio adduxit, præter iam dicta, etiam vacua circa Prætorium loca complent: Forum & Quæstorium

rium

rium in eundem, quem potissimum præsens utilitas suggerit, conferentes locum. Iis vero qui ab initio comitantur, locandis, si maior eorum sit numerus, strigam unam ab utraque parte Romanarum legionum, ad superiorem metaturam, in lateribus castrorum apponunt. At si quatuor legiones & Consules ambo intra unum vallum fuerint congregati, aliud nihil fingere animo debes, nisi duos exercitus exposito iam modo locatos, cohærere inter se, invicem sibi obversos, contingentes sesequa parte utriusque exercitus Extraordinarii, quos statuebamus tergum universorum castrorum spectare, metantur. cum quidem usuvenit, ut figura sit oblonga, spatium prioris duplum, circuitus sesquialter. Ac quoties quidem Coss. ambo iuncta habent castra, semper hoc modo illa disponuntur: quoties vero separata; cætera quidem ut dictum est antea locant; Forum vero, Quæstorium & Prætorium in medio constituunt utriusque exercitus. Peracta metatione castrorum, conveniunt in unum Tribuni, & ab omnibus qui in legione quaque sunt liberi aut servi, iusiurandum exigunt, viritim singulis iurantibus. Est illud huiusmodi: NIHIL E CASTRIS SE FURATURUM: VERUM ET SI QUID FORTE ALIQUIS INVENERIT, AD TRIBUNOS RELATURUM.

Secundum hæc manipulos Principum & Haſtatorum cuiuſque legionis ordinant. duos ad curam loci ante Tribunorum tentoria. in hac namque lata via plerique Romanorum dies totos verſantur: propterea ut aſpergatur ac ſcopis mundetur diligenter, curam ſemper adhibent. è reliquis octodecim manipulis ternos ſinguli Tribuni ſortiuntur. tot enim ſunt in unaquaque legione, ex ſuperiore noſtra tributione, Haſtatorum ac Principum manipuli: Tribuni autem militum ſex. Trium autem horum manipulorum quiſque ſuam vicem Tribuno huiuſmodi præſtant miniſterium. Vbi caſtris locus eſt captus, hi ſunt qui tentorium ſtatuere, & locum circa pavire ac complanare ſolent. & ſi quid ad utenſilium cuſtodiam fuerit ſepto claudendum, id quoque iſtis curæ. præſtant & binas excubias. harum ſingulas quaterni viri obeunt: quorum pars ante tabernacula, pars à tergo iuxta equos ponitur in cuſtodia. Quum autem quiſque Tribunorum tres habeat manipulos, & in quoque eorum milites ſupra centum, præter Triarios & Velites, qui non miniſtrant, haut grave illis hoc munus eſt; quarto demum die vice ſua ad ſingulos manipulos redeunte: at Tribunorum tum commoditati ad ea quæ ſunt neceſſaria hac ratione conſulitur; tum etiam honori, ad dignita-

dignitatem atque auctoritatem eis conciliandam. Triariorum vero manipuli à ministrando Tribunis sunt liberi: sed eorum singuli turmis equitum quotidie quaternos milites præbent, ad excubandum ei turmæ quæ à tergo proxime assidet. Hi cum alia custodiunt, tum equos maxime: ne aut vinculis impliciti fiant inutiles, aut soluti in alios equos incidant, & trepidationem ac tumultum in exercitu faciant. Vnus porro è cunctis manipulis, suam quisque vicem Imperatori excubat; qui & tutum ab insidiis eum præstat, & imperii maiestatem simul ornat. Porro in præducenda fossa & struendo vallo, duo Sociis latera incumbunt, ad quæ ipsorum utraque ala metatur: duo reliqua Romanis; utrique legioni unum. Diviso autem per manipulos unoquoq; latere, quū per partes curent Centuriones, ipsi instantes operi: lateris universi probatio ad duos è Tribunis pertinet. Similiter & cæteram castrorum curam hi sustinent. in binos enim dividentes sese, mutua vice semestris spatii menses duos imperant: ac quibus sors evenit, ii omnibus, quæ in castris geruntur, præsunt: Eadem est imperandi ratio & Præfectorum inter Socios. Ad Tribunorum tabernacula luce orta equites præsto sunt, & ductores ordinum: Tribuni statim ad Consulem. Hic quæ usus postulat

Tribu-

Tribunis mandat, Tribuni equitibus & Centurionibus, isti militibus, ubi suum quæque res tempus est nacta. In nocturnæ tesseræ traditione ne quid peccetur, hoc cavent modo. In unoquoque genere equitum peditumque, milites decimi signi in extremis partibus strigarum metantur. è singulis istis decimis ordinibus unum inter omnes eligunt, quem ab excubandi munere liberant. Hic quotidie circa Solis occasum ad Tribuni tentorium venit, & tessera accepta (ea est, latior tabella inscripta) revertitur: qui ut ad signum suum est reversus, parvulum id lignum ac simul tesseram adhibitis testibus proximi ordinis ductori tradit; ille similiter, sequentis Centurioni: atque idem omnes deinceps faciunt: donec ad primos ordines qui prope Tribunos tendunt, signum perveniat. hos oportet tabellam ad Tribunos referre dum adhuc lucet. Tribunus si omnes fuerint relatæ quas dederat, cognoscit, tesseram ad omnes, & per omnes ad se venisse. sin desit aliqua, è vestigio qui factum sit hoc, inquirit: notum habens ex inscriptione, cuius partis tabella non sit allata. atque is per quem stetisse invenitur, mulcta condigna afficitur. Quod ad vigilias nocturnas eæ administrantur à Romanis hoc modo. Imperatorem & Prætorium eius custodit manipulus ante fores solitus

excu-

excubare. Tribunorum tabernacula & equitum turmas, qui ad id sunt designati è singulis manipulis, ut ante diximus. Similiter etiam ad quemque ordinem excubias è suo numero omnes locant. reliquas Imperator ipse disponit. fere autem ad Quæstoris tutelam ternæ excubiæ constituuntur: ad Legatorum, qui concilium participant, binæ. at laterum exteriorum custodiam velites agunt, qui propter vallum totum de die in excubiis manent. hoc enim muneris est illis impositum. hi ad uniuscuiusque portæ ac lateris custodiam de suo numero denas collocant excubias. E singulis autem quaternionibus eorum qui ad custodias agendas sunt destinati, ille qui primus in statione est futurus, ad Tribunũ vespere deducitur ab agminis coactore cuiusque signi. Tribunus omnibus his pro singulis excubiis parvulas è ligno tessellas tradit oppido exiguas, quę nota quadá sunt insignitæ. illi his acceptis ad designatas quisque stationes concedunt. At circuitionis fides curæ equitum demandatur. Oportet enim ut qui primi sunt in quaque legione Turmarum præfecti, uni è suis coactoribus agminis, mane huiusmodi dent præceptũ: ac iuvenibus quatuor suę turmę ante prandium edicat, ipsos esse qui circuire debeant. deinde præfecto turmę secũdę significare idẽ tenetur sub vesperã, pertinere ad ipsum

ipſum circuitionis munus in diem ſequentem. Hunc quoque ſimiliter, ubi præceptum accepit, eadem facere cum iam dictis in proximum diem oportet; & ita alios quoque deinceps. Quatuor autem illi quos è prima turma agminis coactores elegerunt, vigilias inter ſe ſortiti, Tribunum adeunt, & ſcriptum ab eo accipiunt, quæ loca & quot vigilias obire oporteat. deinde ad primum manipulum Triariorum excubias agunt illi quatuor: quoniam eius Centurioni cura incumbit ad quamque vigiliam buccina ſignum dandi. Vbi tempus venit, primam vigiliam circuit qui eam fuerit ſortitus, teſtes ſecum habens, ex amicis nonnullos. obit autem hic dictas ſtationes non circa vallum duntaxat & portas, verum etiam circa manipulos omnes ac turmas. qui ſi primæ vigiliæ cuſtodes offenderit vigilantes, tenue illud lignum ab iis accipit. at ſi aliquis dormiens fuerit inventus, aut qui ſtationem deſeruerit, atteſtatus eos qui adſunt, abit. conſimile fit & ab iis qui ſequentes vigilias luſtrant. Dandi autem ſigni buccina vigiliis ſingulis, quo circuitoribus cum vigilibus conveniat, curam gerunt ſuo quiſque die Centuriones primi manipuli Triariorum, ex utraque legione. Prima dein luce ſinguli qui perluſtraverunt vigilias, ad Tribunum teſſeras deferunt: quæ ſi tot inve-

inveniantur quot fuerant datæ, inculpati discedunt: sin pauciores aliquis referat quam pro numero excubiarum, ex impressa nota de eo excubitorum quaternione, cuius ratio non constat, inquirunt. qua re cognita Centurionem vocat: hic designatos ad vigilias adducit: qui cum circuitore disceptat. Quod si penes vigiles culpa hæreat: confestim qui lustravit, testificatum se esse proximos declarat. hoc enim faciat oportet. atque id si non fuerit factum, ad circuitorem redit culpa.

De pœnis maleficiorum, & virtutis præmiis.

STATIM igitur concilio advocato, Tribunus de eius causa cognoscit: &, si damnatus fuerit, fuste percutitur. Fustuarium, pœna est huiusmodi. Tribunus fustem capit; eoque condemnatum quasi attingit solum. quo facto, omnes legionarii qua fustibus qua saxis inibi intra castra ut plurimum quidem sontem necant. sed & si qui evaserint, non tamen salvi propterea sunt. nam quæ illis salus, quibus in patriam quidem redire non licet? & quos necessariorum nemo ausit tecto recipere? quamobrem qui semel in eam calamitatem inciderunt, planissime

pereunt.

pereunt. Idem quoque ſupplicium manet tam coactorem agminis, quam turmæ præfectum, ſi mature ille circuitores, hic ſequentis turmæ decurionem ſui officii non admonuerit. quare quum adeo vehementer & ſine ſpe veniæ delicta hæc puniantur, diſciplina nocturnarum excubiarum inoffenſo tenore ſervatur. Tenentur autem milites quidem Tribunos obſervare, iiſque auſcultare, Tribuni vero Conſulibus. Et habet Tribunus poteſtatem mulctæ dicendæ, pignoris capiendi, virgis aut fuſtibus cædendi: idem ius eſt Præfectis in Socios. Fuſte autem percutitur etiam is, qui aliquid è caſtris fuerit furatus, item qui falſum teſtimonium dixerit: nec non ſi quis in flore ætatis male uſus corpore fuerit deprehenſus. ad hæc is cui ter eandem ob cauſam mulcta fuerit irrogata. Hæc quidem ut crimina puniunt. Ignaviæ vero & flagitio militari vertunt huiuſmodi delicta: ſi qui præmii adipiſcendi cauſſa forte aliquod facinus ſuum ad Tribunos falſo retulerit: ſimiliter ſi qui in ſtatione conſtituti locum ubi locati fuerant, formidinis ergo deſeruerint: itemque ſi quis in ipſo prælio armorum aliquam partem captus metu abiecerit. propterea nonnulli in ſtationibus ſuis manifeſtam mortem oppetunt ab hoſtibus oppreſſi, qui multis partibus ſint plures, dum imminentis ſupplicii

metu

metu aſſignatum ſibi locum deſerere nolunt. quidam vero excuſſo inter dimicandum ſcuto, aut enſe, aut alia parte armorum, temere coniiciunt ipſi ſeſe in hoſtes, ea ſpe quod aut recepturi ſint quæ amiſerant: aut, ſi quid evenerit ſecius, manifeſtã ignominiam & contumeliam ſuorum evitaturi. Si quando autem delicta eadem à pluribus contingat admitti, & manipuli univerſi hoſte urgente ceſſerint loco; ut omnes fuſte percutiant aut necent, non eſt moris illorum: ſed remedium ei malo invenerunt utile iuxta ac terribile. Tribunus enim advocata concione deſertores in medium producit, eoſque atroci oratione increpat. qua demum finita, modo quinque ſortitur, modo octo, modo viginti; atque, ut verbo omnem obſervationem complectar, id ſemper agit, ut pro numero noxiorum decimus quiſque ſemper eorum capiatur. Hos inquam ex omnibus qui ignave ſe geſſerunt, arbitrio ſortis ſeligit, & inexorabiliter ſorte damnatos, fuſtuarii ſupplicio, quod ante deſcripſimus, afficit. reliquis hordeum pro tritico admetiens, extra caſtra, & munitionem caſtrorum, tendere eos iubet. Atque ita quum periculum & metus ſortis ex æquo omnibus impendeat; nemo enim ſcit in quem ea ſit caſura: exemplum autem veſcendi ex hordeo in omnes pariter edatur: hoc inſtituto

quam

quam maxime poterat fieri, consultum est utrique rei; ut & terror iniiceretur, & acceptum detrimentum sarciretur. Præclare vero etiam iuventutem ad pericula subeunda excitant. nam ubi prœlium aliquod est commissum, ac iuvenes aliqui fortiter sese gesserunt; Imperator advocato in concionem exercitu, productis prope se iis quorum præ cæteris virtus insignis exstitit, primum quidem singulos illorum laudat à fortitudine: & si quid aliud in eorum vita fuerit quod commemorari cum ipsorum laude queat: deinde, ei qui hostem vulneravit, hastam donat: qui prostraverit & spolia detraxerit, pediti quidem phialam, equiti vero phaleras. quanquam olim hasta sola præmium erat. Cæterum ista consequitur, non qui in iusto prœlio signis collatis dimicans, aut in capienda urbe aliquos hostes sauciaverit vel spoliaverit: verum qui in velitationibus cum hoste, aut aliis eiusmodi occasionibus, quando nulla necessitas quemquam dimicare viritim cogit, ipsi suamet sponte ac propria voluntate eo descenderint. At quoties urbs capitur, auream iis coronam qui primi muros conscenderint, donat. similiter etiam eos qui vel cives vel Socios propugnaverint & servaverint, Imperator donis insignit. & qui servati fuerunt, solent, ultro, sin minus, Tribuno post caussæ cognitionem cogen-

te, servatorem suum coronare. atque adeo per omnem vitam is qui servatus est, illum pro parente colit, omniaque ei tenetur præstare quæ filius patri. Hac autem stimulatione, non eos tantum qui præsentes audiunt, ad pericula certatim & cum æmulatione adeunda excitant: sed eos etiam qui sunt domi. nam qui donis hoc genus sunt donati, præter gloriam qua fruuntur inter legiones, & famam quam domi statim consequuntur, hoc amplius, reversi in patriam, festorũ ludorumque solennia insignes cultu agitant. nam eiusmodi ornamenta gestare solis licet iis, qui virtutis caussa ab Imperatore fuerint iis honestati. Iidem spolia defigunt in maxime conspicuis ædium suarum locis, ut sint monimenta ac testimonia suæ virtutis. Qui igitur & pœnas & prœmia militaria tanta cura ac studio dispensant; merito quoties bella suscipiunt læto atque illustri fine ea terminant. Stipendii nomine pedites in diem accipiunt binos obolos: ordinum ductores duplum: equites drachmam. admetiuntur vero peditibus quidem, tritici partes circiter duas medimni Attici: equitibus vero hordei in mensem septenos medimnos, tritici vero binos. Sociorum peditibus par mensura datur ac Romanis: equitibus tritici medimnus unus semis, hordei mensuræ eiuscemodi quinæ. atque

hoc

hoc sociis quidem gratis donatur: Romanis, sive frumentum sive vestis tribuatur, aut etiam si quibus armis opus habuerint, horum omnium certa pretia Quæstor de stipendio deducit.

Ratio movendi castra, ducendi agminis, & figendi tentoria.

PROFECTIONEM è castris hoc modo instituunt. Simul datum est primo signum, tentoria omnes detendunt, & vasa colligunt. cæterum neque auferre neque figere suum cuiquam tabernaculum prius fas est, quam Tribunorum & Imperatoris fuerint tensa aut detensa. Vbi autem editū iterum est signum, sarcinas iumentis imponunt. at tertio dato signo primos oportet procedere, & tota castra movere. Et in primo quidem agmine ut plurimum extraordinarios locant. Succedit his Sociorum ala dextra. hos continuo sequuntur prædictorum iumenta. horum agmen prima legio Romana excipit, suas à tergo sarcinas habens. Pone hos it secunda legio, sequentibus propriis iumentis, & eorum Sociorum impedimentis, qui universum agmen cogunt. nam in novissimo agmine secunda Sociorum locatur ala. Equites modo suam quisq; partem à tergo consequuntur: modo ad latera iumentis adequitant: continentes ea,

ea, & ſecuritatem præſtantes. Quoties à tergo hoſtis exſpectatur, de cætero ordine nihil mutantes, ſolos Extraordinarios Sociorum à primo agmine ad ultimum traducunt. Alternis autem diebus & legionũ & alarum altera præcedit: eædemque rurſus ſubſequuntur,ut ex æquo omnes aquatione ac pabulatione integra fruantur,primum in agmine locum ſuam quiſque vicem perpetuo occupantes. Eſt & alius itineris faciendi modus,quo utuntur quando periculum ab hoſte imminet, ac patentia nacti ſunt loca. Haſtatos enim, Principes acTriarios in triplicem aciẽ diviſos ducunt paribus intervallis invicem diſtantes: iumentis manipulorum,qui cæteris prçeunt, ante omnes locatis: at primis manipulis ſecundorum iumenta ſubiiciuntur:ſecundis, tertiorum. & ſic impedimenta atque ordines alternatim locant. Hac ratione autem compoſito agmine, ſi quid ingruat periculi, modo ad lævam modo ad dextrã agmen convertentes,manipulos extra iumenta in eam partem educunt,unde hoſtis paruerit. atque ita brevi tempore & motu unico, tum armatorum manus in acie reperitur inſtructa: (niſi forte inſuper oporteat Haſtatos evolvi:)tum iumenta & omnis multitudo quæ caſtra ſequitur,pone terga ſtantium in acie ſubducta, commodam adverſus pericula ſtationem obtinent.Poſtquam prope

prope illum locum agmen pervenit ubi castra sunt facienda, præcedunt Tribunus & illi Centuriones quos moris est in eam rem eligere. Hi locum universum ubi metari oportet, contemplati, ante omnia convenientem Prætoria sedem, prout ante diximus, capiunt: & ad quem aspectum latusve spatii Prætorium ambientis legiones sint locandæ statuunt. quæ ubi delecta sunt loca, Prætorii ambitum dimetiuntur: deinde rectam illam ad quam Tribunorum tabernacula desiguntur. mox aliam lineam rectam è regione prioris productam, unde incipit metatura legionum. Similiter etiam spatium quod ab altera parte est Prætorii, cuius particularem descriptionem pluribus ante sumus persecuti, lineis dimetiuntur. His brevi tempore expeditis, utpote facili dimensione, quum omnia intervalla sint definita, & ex familiari usu nota, mox vexillum defigere solent: unum quidem & primum eo loco ubi Prætorium est ponendum: alterum in electo latere: tertium in medio eius lineæ ad quam Tribuni tendunt: quartum in ea ad quam legiones metantur. & cætera quidem punicea statuunt: at Imperatorium vexillum est album. in iis quæ sunt ab altera parte Prætorii, modo nudas hastas defigunt, modo vexilla ex aliis coloribus. Secundum hæc strigas statim dimetiuntur, & in singu-

lis

lis earum hastas figunt. ut merito, simulac appropinquarunt legiones, & locus castrorum potest conspici, omnia confestim omnibus sint nota, vexillo Imperatoris pro indicio utentibus ad cætera coniicienda. denique quum nemo sit quin sciat in qua striga & qua strigæ parte tendat: quia semper eundem singuli locum in castris occupant: simile quid evenit, ut cum urbem suam aliquis exercitus indigena ingreditur. tum enim recta à portis divertentes alius alio progrediuntur, & ad suas ædes sine errore perveniunt. quia & in universum & per partes norunt in qua regione proprium cuiusque sit diversorium. simile inquam his est, quod in Romanorum castrametatione usuvenit. Ac mihi videntur Romani eam potissimum ob caussam, quia facilitati in hoc negotio studebant, contrariam Græcis hac in parte viam instituisse. Græci enim quoties metantur castra, operæpretium ducunt, ante omnia, loca à natura munita observare, & se illis accommodare: simul laborem ducendæ fossæ fugientes: simul quia non æqualiter fidunt arte factis munitionibus, & iis quas ipsa locorum natura exhibet. eapropter cum in universorum castrorum positione coguntur figuram quamlibet assumere, dum locis obsequuntur: tum partes quoq; ipsas variare aliter atque aliter pro ingenio lo-

ci. Unde evenit, ut in metandis castris, nemo certus sit de loco aut suo privatim, aut ordinis sui. At Romani & percutiendæ fossæ laborem, & vexationes id genus alias eo consilio sustinent, ut facilius res confiat, utque nota & unica eademque semper castrametatione utantur. Quod igitur ad tractationem de legionibus Romanis attinet, maxime autem ad rationem ponendorum castrorum, summatim hæc dicta sunto.

FINIS.

CLAUDII ÆLIANI

TACTICA:

SIVE

De Aciebus conſtituendis.

AD

ADRIANVM IMPE-

RATOREM.

CLAUDII ÆLIANI TACTICA,

SIVE

De inſtruendis aciebus.

Ad Adrianum Imperatorem.

PRÆFATIO.

SCientiam Tacticam, quæ ſumpto ab Homeri temporibus primordio apud Græcos in uſu fuit, multi, Dive Adriane Cæſar Auguſte, ante nos conſcripſere, qui non eam habebant diſciplinarum cognitionem, qua nos pollere res ipſa fidem fecit. Quare ſcientiæ huius præcepta componere atque in ordinem redigere volui, quod mihi perſuaderem, poſteros noſtra præ antiquiorum hac de re ſcriptis probaturos. Quia vero ignorabam, (nam verum fatendum eſt,) quanta fuiſſet hac in parte Romanorum & facultas, & peritia; torpore corripiebar conſcribendæ ac tradendæ huius diſciplinæ, ut quæ poſt inventam à vobis doctrinam iam obſoleta, atque olim non amplius uſum in communi vita habitura eſſet. At poſteaquam cum Deo patre tuo Nerva ſuper eo

contuli,ac Formiis transactis aliquot diebus apud Frontinum, è clarissimis Consularibus virum, quique peritiæ bellicæ laudem asportavit, collatis cum eo quoque sermonibus comperi, non minore illum studio teneri disciplinæ Græcis usitatæ: cæpi non amplius, quod de conscribendis Tacticis conceperam, vilipendere: autumans, haud tantum in ea studii, operæque, positum iri à Frontino, siquidem videretur Romanorum instructione deterius quid, minusve, continere. Itaque data aliquando à me scripto rudiore forma, quæ tamen editioni nondum apta foret; tua, Imperator, fortitudine, ac peritia summa, queis omnes simul excellis, quotquot unquam belli Duces exstitere, impulsus sum hanc operam perficere, non perpulchram modo, sed quæ etiam apud eos, qui in hac scientia operam diligentem posuere, priscorum Græcorum commentarios elevare poterit. nam perspicuitatis ratione affirmanter aio, eos, qui in hoc scriptum incident, maiorem ex huius institutione profectum facturos, quam ex antiquiorum commentationibus, quod nimirum hic singula ordine explicata sint. Equidem tibi, Imperator, tantorum bellorum Duci mittere hoc scriptum non sum ausus, veritus ne forte tenuiora videantur, quæ à nobis traduntur. Quod si tamen hæc ita tecum reputes, ut cogites, esse Græcanicam

cam ſcientiam, ac ut elegantem, ita iucundam hiſtoriam , in qua etiam Alexandri Macedonis ſtudium in acierum conſtructionibus contemplabere , recreationem nonnullam animo tuo præbebit hoc ſcriptũ. Atqui propter negotia, quibus iugiter occuparis , eorum quæ demonſtrantur, ſumma capita præſcripſi, ut prius quam lecturæ libri te applices, paucis quid promittat ſcriptum intelligas, & quæcunque loca legenda quæres, facile ea ſine magno temporis diſpendio invenire poſſis.

FINIS PROOEMII.

CAPITUM

Quæ in his ÆLIANI TACTICIS tractantur, conspectus.

quot Decuriæ, & quæ Ducum nomina.

X. De ordinatione Phalangarcharum, Merarcharum, Tetrarcharum, & aliarum Præfecturarum, secundum virtutis cuiusque præstantiam.

XI. De intervallis, quibus inter se distant Pedites gravis armaturæ, tum alias simpliciter nimirum ordinati, tum condensati, ac constipati: Quid sit Densatio, & Synaspismus, seu Constipatio.

XII. De Phalangis armatura, quæ constat clypeis & hastis.

XIII. Quales oporteat esse Lochagos primi iugi: deinde Epistatas secundi, tertii, & reliquorum deinceps.

XIV De Macedonica Phalange, & Sarissarum longitudine.

XV. De Velitum coordinatione.

XVI. De nominibus & ordinibus Velitum.

XVII. De Iaculationibus, Arquutibus, & omnibus, qui telis eminus utuntur. deque eorum usu.

XVIII. Quomodo Equites in Rhombi formam, Cunei, aut Quadratam construendi.

XIX. Quare acies Equitum Rhombiformes in usum admissæ. & quomodo veteres variis formis eas instruxerint: ita ut aliæ & Versarent simul, & Iugarent: aliæ neque Versarent, neque Iugarent: aliæ rursus Versarent tantum, non Iugarent: vel Iugarent quidem, non etiam Versarent.

XXXI.

FINIS CAPITVM CONSPECTUS.

CLAUDII ÆLIANI TACTICA:

SIVE

De Aciebus conſtituendis.

Caput I.

De autoribus, qui Tacticos & Strategicos libros conſcripſere. De libro hoc, & quod horum diſciplina ſit omnium utiliſſima.

Primus omnium, quod quidem ſcimus, cognitionẽ habuiſſe ſcientiæ Tacticę videtur Homerus, eiuſque peritos laudaſſe: ut Mneſtheum:

Inter mortaleis erat illi nemo ſecundus,
Formaret qui acies melius Peditumque Equitumque.

Ac de Tactica Homeri tempore uſitata legi Scriptores, Stratoclem, Hermiam, ac Frontinum, virum noſtro tempore conſularem. In tradenda autem hac ſcientia pluribus elaboravit cum Æneas, qui quoque quamplurimos Strategicos libros compoſuit, quos in compendium poſtea redegit Cineas Theſſalus: tum Pyrrhus Epirota, eiuſque filius Alexander, ac Clearchus,

chus, qui etiam Tactica conscripsere: Pausanias insuper, & Euangelus, & Polybius Megalopolitanus, vir multifariæ eruditionis, & qui cum Scipione versatus est: Eupolemusque, ac Iphicrates. Posidonius etiam Stoicus artem Tacticam scripsit. Quin & aliorum complurium quidam Isagogas, ut Bion, quidam tractatus Topicos edidere. Sed ut omnes commemorem, quos videre ac legere contigit, ineptum arbitror. Ut tamen verbo, quod res est, dicam, comperi, plerosque istorum autorum conscripsisse res illas non ad rudiorum hominum captum, sed eorum, qui eas iam callebant. Quod igitur, cum primum desiderio cognoscendæ huius rei teneremur, nobis accidit, nec, qui eam nos docerent, invenientibus, nec tamen autumantibus, ea, quæ ante nos edita erant, tradēdæ huic disciplinæ sufficere; idem ne aliis quoque usu veniat, pro virili conabimur. Quotiescunque vero in expositione præceptorum sermo mihi deficiet, ad exprimēdas res descriptionem figurarum in subsidium assumam, ut ita visum intellectui adiutorem adhibeam. & quidem iis uti vocabulis annitar, quæ apud quemque veterum occurrunt, ut qui huic scripto, tanquam primis rudimentis, addicti erunt, tum in nominibus, tum in consuetudine nominum, quæ ab ipsis usurpantur, coexercitati, ipsi quoque

queiisdem uti nominibus adsuescant quæ apud Scriptores Tacticos in usu sunt, neu peregrinum & insolens quid ipsis videatur, cum in eorum scriptis versabuntur. Arbitror autem, eum, qui semel per has quæ à nobis traduntur vias introductus sit, facili etiam negotio veterum scripta intellecturum. Porro autem Disciplinam hanc omnium esse utilissimam vel ex eo quis deprehendat, quod Plato lib. De legibus dicat: Cretensium Legislatorem scripsisse Leges hominibus, tanquam semper ad bellum præparatis. Esse namque omnibus ac singulis civitatibus natura bellum inter se mutuo occultum. Quomodo itaque Disciplinam aliam æstimabit aliquis potiorem? aut quem librum hoc utiliorem, vel magis necessarium?

CAP. II.

Apparatuum belli integrorum divisio.

CÆTERUM primo dicendum mihi de integris belli apparatubus. Horum duplices sunt copiæ: aliæ Terrestres, Navales aliæ. ac Terrestres quidem eorum, qui terra præliantur: Navales eorum, qui in mari aut fluminibus classe concurrunt. Sed ut in Navalibus conflictubus instruatur Classis, alias dicemus, nunc relaturi, quæ ad pedestrem exercitum pertinent. Eorum igitur,

igitur, qui ad bella colliguntur, pars ad pugnandum comparata est, pars non, eorum scilicet, qui ad usus istorum conveniunt. Illa est, quæ ad prælium instruitur, hostesque armis à se repellit: Hæc multitudo cætera, ut, Medicorum, Mercantium, Famulorum, aliorumque quotquot exercitum ministerii caussa sequuntur. Eorum, qui pugnandi causa veniunt, alii pedites sunt, alii vehuntur. Qui proprie Pedites sunt, ii terram pedibus premunt. Qui vehuntur, alii ab equis, alii ab elephantis feruntur. Qui ab equis feruntur, eorum quidam curribus insident, quidam ipsis equis. Atque hæ Generales sunt horum differentiæ. Particulatim cum peditatus, tum equitatus instructio multifaria est. Quæ vero in elephantis ac curribus usu venit, utraque uniformis. Constructio igitur pedestris trifariam dividitur. Eius enim quidam Hoplitæ, quidam Peltastæ, quidam sunt Leves. Hoplitæ utuntur armatura inter cunctos gravissima, more Macedonico, clypeis nimirum rotundis, ac hastis prælongis. Leves contra omnium levissimo utuntur apparatu, ut qui neque loricas, neque tibialia, neque scuta aut clypeos graviores habent: sed iaculis utuntur, quæ vel eminus arcu emittunt, vel manu; aut lapides è funda evibrant, manuve eiiciunt. Ad hoc genus etiam Argili armatura refertur. Peltastæ

qui

qui dicuntur, ipsi quoque Armaturam habent Macedonico apparatui similem, arma tamen, quam illi leviora, (his enim Pelta, Scutum leve est, atque exiguum) ac hastas ad Sarissarum longitudinem breviores. Videtur autem horum armatura medium obtinere ordinem inter Leves, & eos, qui proprie Hoplitæ dicuntur, cum gravior sit, quam est Levium, levior vero, quam est Hoplitarum. Quamobrem plerique & hos cum Velitibus collocant. Equestrium copiarum, quæ in Turmas instruuntur, quasque à cornubus discriminavimus, pars Cataphracta est, pars non Cataphracta. Quæ Cataphracta dicitur, ea tum viros, tum equos loricis undique circumtegit. Quæ vero Cataphracta non est, eius equites quidam sunt Doratophori, seu Hastati, quidam Acrobolistæ. Doratophori sunt isti, qui ex equis cum hostibus manus conferunt ac cominus hastis pugnant. Horum autem alii scuta habent, vocanturque Scutati, alii hastis solis sine scutis pugnant, qui etiam proprie Doratophori vocantur, atque à nonnullis Xestophori. Equites Acrobolistæ dicuntur, qui eminus hostem petunt. Atque horum alii missilibus utuntur, alii arcubus. Missilibus utuntur illi, qui proprie vocantur Tarentini. at Tarentinorum duplex est differentia. nam qui ex illis eminus spicula iaculantur, Hippacon-

pacontistæ dicuntur, ac proprie Tarentini: quidam vero Tarentinorum levibus missilibus utuntur, ac primo semel iterumque eiaculati, confestim exinde cum hostibus congredientes cominus prælium ineunt, propemodum atque illi, quos Doratophoros ante diximus: atque hi vocantur Leves. ita ut inter Tarentinos proprie Tarentini dicantur ii, qui eminus in hostem eiaculantur; Leves autem appellentur, qui cominus pugnant. Quos ante equites Arcubus uti diximus, ii nominantur Hippotoxotæ, & à quibusdam etiam Scythæ. Tot igitur sunt differentiæ eorum, qui in exercitibus arma ad pugnandum gestant, numero scilicet novem, Hoplitarũ, Peltastarum, Levium, Equitum Doratophororum, Equitum Sagittariorum, Equitum arcubus utentium, Equitum Cataphractorum, Curruum, Elephantorum.

CAP. III.

De singularum Phalangum Constitutionibus, Præfecturis, Ordinibus, Numero convenienti, Nominibus, & Tactica Definitione.

SED cum unaquæque prædictarum Phalangum, Constitutiones, Præfecturas, Ordines, Numerum convenientem, ac Nomina complectatur, propterea, quæ præcipiuntur cum in exercitatione quotidiana,

diana, ac mutua, tum reapse in ipsis præliis, de singulis istis seorsim verba facere necesse est. Eius ergo est, qui instruendæ Aciei præest, ex assumpta virorum inordinata multitudine idoneos eligere, eosque quo decet quemque loco constituere. Hoc est in Decurias distribuere, easque coniungere, totiusque Multitudinis numerum definire mediocrem, ac bello accomodum. Etenim instructum esse exercitum tum in itineribus, tum in Castris, inque ipsis adeo conflictibus, utilissimum est. Comperimus enim, magnas copias ordinis expertes cæsas sæpenumero, ac concisas à paucis, qui ordinem servare simul didicerant. Porro Tacticā hanc definivere, Aeneas quidem, *Quod sit scientia bellicorum motuum*: Polybius vero ita: si quis ordinādam multitudinem assumens, eam cum iudicio in Decurias disponat, easq; simul iuxta se mutuo collocet, ac militem istū edoceat ea, quæ ad usum belli conducibilia sunt.

CAP. IV.

Decuria quid sit, & è quot constet viris.

EST igitur Decuriare, Decurias facere. Decuria autem est, numerus virorum ab aliquo præcedente, & iis, qui illū subsequuntur, ad postremum usque. Numerum Decuriæ alii fecere virorum octo, alii

alii duodecim, alii ſedecim. Sed eſto nunc XVI virorum Decuria. iuſtam enim habet numerus iſte mediocritatem, & ad Phalangis longitudinem. Et ſive ob uſus aliquos duplicetur Altitudo, ut ea fiat virorum triginta duum, ſive contrahatur, ac in octo viros redigatur, nullum impedimentum dabitur pone collocatis Velitibus. Seu namque illi iaculentur, ſeu fundis aut arcubus utantur, facili labore iactus eorum Phalangis altitudinem ſuperabunt.

CAP. V.

De Decuriæ diſpoſitione.

OPTIMUS igitur cuiuſque Decuriæ eſt primus, & qui præcedit: qui etiam Lochagus, ſeu Decurio & Dux, & Protoſtata cognominatur. Poſtremus autem Decuriæ, Vragus ſeu Tergidux appellatur. Tota vero Decuria, Verſus dicitur. qui quoque Decuria, atque à nonnullis Enomotia vocatur. Quidam tamen Enomotiam, quartam Decuriæ partem dixere, atque Ducem Enomotiæ, Enomotarcham. Duas autem Enomotias, Dimœriam vocarunt, eiuſque Ductorem, Dimœritam. Ita ut ſemidecuria, etiam Dimœria vocetur, ac ſemidecurio Dimœrita. eſt autem is Decuriæ Epiſtata. Et qui poſt Lochagum conſtitutus eſt, vocatur Epiſtata. qui vero pone

pone hunc, similiter Protostata. quique hunc adhuc pone sequitur, Epistata. Ita ut totus versus è Protostatis & Epistatis alternatim collocatis constitutus sit. Necesse autem est, Lochagum virtute cæteros præcellere. ab hoc dein eos, qui Hemilochias ducunt, ut sunt Tergiductores. Decuriam vero definiunt, quod sit, versus ex Epistatis, sub Lochago pro cuiusque virtute constitutus.

CAP. VI.

De Syllochismo, seu Decuriarum coniunctione.

SYLLOCHISMUS est, cum primæ Decuriæ secunda adiungitur: nimirum primi versus Lochago, secundi versus Lochagus: ac primum Lochagum sequenti Epistatæ, secundæ Decuriæ Epistata: ac sic deinceps. Parastata autem vocatur, quisquis iugat. ut, cum primæ Decuriæ Lochago secundæ Decuriæ Lochagus à latere adstat: ac similiter primæ decuriæ Epistatæ etiam secundæ decuriæ Epistata. atque ita deinceps. Quum igitur iuxta secundam decuriam tertia aut quarta, ac sic porro reliquæ iunguntur, id Syllochismus vocatur.

CAP. VII.

De Phalange, eiusque Longitudine, & Altitudine. Iugare quid, & Versare. Quomodo dividatur Phalanx in cornua per Altitudinem, & aliter per Longitudinem. De ordinatione Peditum gravis armaturæ, Velitum, atque Equitum.

TOTA autem coagmentatio ex pluribus decuriis, Phalanx dicitur. Cuius longitudo primus Lochagorum ordo est. Hæc vero & Frons & Facies & Acies, & Iugum, & Os, & Duces, & Protostatæ, & Protolochia vocatur. Cætera autem post Frontem pars Phalangis tota usq; ad Tergiductores, Altitudo appellatur. Stare directe in longitudine Protostatas, aut Epistatas, id Iugare dicitur: Stare directe in Altitudine Tergiductores, & Lochagos, Versare. Dividitur porro Phalanx in duas partes summas facta bissecatione à Fronte per totam altitudinem: quarum dimidia pars altera, Cornu dextrum, & Caput vocatur, reliqua, Cornu finistrũ, & Cauda. Hæc autẽ Longitudinis bissecatio, Vmbilicus, Os, & Firmitudo nuncupatur. Post Hoplitarũ Phalangem pone, Levium acies constituitur, atque huic inde Equitum acies substituitur. quamquam etiam aliis in locis statuantur & Velites, & Equites, poscente usu, sicut

sicut in progressu dicturi sumus. Quantus vero debeat esse Hoplitarum numerus, & quantus Equitum, exponemus. utque singulos ordinari oporteat. Tum explicabimus etiam, quomodo ingruente necessitate ordines magna cum celeritate sint transformandi. quibus ultra adiungemus Doctrinam, quæ in singulorum ordinum motionibus erit observanda.

CAP. VIII.

De numero Peditum gravis armaturæ, Velitum atque Equitum, ad agminum transformationes convenienti.

EQUIDEM numerum Exercitus definire, nec facile, nec certum est. nam qualis cuiusque Tacticorum apparatus est, talem multitudinis numerum præscribi oportet. Sciendum interim, tales eligendos esse numeros, qui ad ordinum transformationes sint idonei, hoc est, sive Phalangis longitudinem duplicare, sive multiplicare velimus, aut eandem contrahere. hanc ob causam tales numeros excogitavere, qui ad unitatem usque æqualiter possent dividi. Vnde plerique eorum, qui Tactica conscripsere, Hoplitarum Phalangem sedecim mille trecentorum octoginta quatuor fecere. huius autem subduplam Levium, tum subduplam adhuc huius Equitum. nam

nam XVI. M. CCC. LXXXIV. numerus in duo ad unitatem usque bis secatus dividitur. quare formæ atque exempli causa numerus talis decernitur. quoniam igitur Decuriam, XVI virorum proposuimus, Decuriæ esse debebunt M. XXIV.

CAP. IX.

Nomina Decuriarum quæ duplicatæ procedunt semper, vel per binas, vel per quaternas, vel octo, vel sedecim: atque ita deinceps. Quot in singulis agminibus sint viri, quot Decuriæ, & quæ Ducum nomina.

HÆ autem in suos ordines dispartitæ sunt, quorum singulis sua etiam nomina posita. Etenim duæ Decuriæ, Dilochia vocantur, virorum XXXII; quique huic ordini præest, Dilochita dicitur. Quatuor decuriæ, Tetrarchia dicuntur; quique hunc ordinem ducit, Tetrarcha, virorum LXIV præfectus. Duæ Tetrarchiæ vocantur Taxis, virorum CXXVIII, decuriarum VIII, horumque ductor Taxiarcha dicitur. Duę Taxeis vocantur Syntagma, Decuriarum XVI, viror. CCLVI, horumque Dux Syntagmatarcha. A quibusdam vero Syntagma virorum CCVI, Xenagia, huiusque ordinis ductor, Xenagus nominatur. In virorum CCLVI ordinibus singuli viri extraordinarii sunt quinque: Signifer, Tergidux,

dux, Tubicen, Minister, Præco. Evidenter autem Syntagma quadratam habet figurã, cum sint XVI viri in longitudine iuxta atque in altitudine. Duo Syntagmata virorum sunt D. XII, Decuriarum XXI, & qui hos ducit, Pentacosiarcha dicitur. Duæ Pentacosiarchiæ vocantur Chiliarchia, virorum M. XXIV, Decuriarum LXIV, atque horum dux, Chiliarcha. Duæ Chiliarchiæ vocantur Merarchia, virorum bis mille, XLVIII, Decuriarum CXXVIII, huiusque partis Dux dicitur Merarcha. A quibusdam etiam hæc pars, Telos vocatur, & qui hanc ducit Teleiarcha. Duæ Teleiarchiæ vocantur Phalangarchia, virorum IV. MXVI, Decuriarum CCLVI, horumque ductor Phalangarcha. A nonnullis quoque hoc agmen Strategia dicitur, ductorque Strategus. Duæ Phalangarchiæ dicuntur Diphalangarchia, virorum VIII M. CXCII, Decuriarum D. XII. à quibusdam etiam hoc agmen dicitur Meros, nonnunquam etiam Cornu. Duæ Diphalangarchiæ Tetraphalangarchia vocantur, Decuriarum M.XXIV, virorum XVI. M. CCC LXXXIV. Ita ut in tota phalange sint Cornua duo, Phalangarchiæ IV. Merarchię VIII, Chiliarchiæ XVI, Pentacosiarchiæ XXII, Syntagmatarchiæ LXIV, Taxiarchiæ CXXVIII, Tatrarchiæ CCLVI, Dilochiæ D.XII, Decuriæ M. XXIV.

CAP. X.

De ordinatione Phalangarcharum, Merarcharum, Tetrarcharum, & aliarum Præfecturarum, secundum virtutis cuiusque præstantiam.

ATQUE optimus Phalangarcharum ad dextrum cornu collocatur, secundus ab hoc ad sinistrum. qui virtute tertius est, cum secundo ad lævum mediam versus sectura m. quartus cum primo ad dextrum, & ipse quoque mediam versus secturam, ita ut prima & quarta Phalangarchia Duces habeant, qui virtute præstent, primasque & quartas vires habeant. Secunda autem & tertia ductores habeant, qui virtute secundum tertiumque ordinem teneant. Demonstrabimus autem, primas quartasque copias secundis ac tertiis æquales esse, ita ut Duces æquipolleant. Merarchæ & ipsi quoque ita ordinantur: ut nimirum qui præstat in prima Phalangarchia collocetur ad lævam: qui vero ab hoc secundus est, ad dextram secundæ Phalangarchiæ: qui tertius ab isto, ad lævam tertiæ Phalangis: & ab hoc quartus, ad dextram quartæ phalangis statuatur. Eodem modo in singulis quoque Tetrarchiis Lochagi ita ordinantur, ut primæ Decuriæ Lochagus virtute præstet, ac quartæ Decuriæ Lochagus viribus

bus ſecundum locum teneat. Sic enim ſecundum virtutem Dilochiæ viribus pares ſunt. nam prima Dilochia primum virtute, ac quartum habet: ſecunda vero ſecundum virtute, ac tertium. In Mathematicis autem diſciplinis demonſtratur: Cum in quatuor magnitudinibus proportiones ſunt, quod à prima & quarta provenit, id eſſe æquale ei, quod à ſecunda & tertia exſurgit. Quoniam vero in quoque Syntagmate quatuor ſunt Tetrarchiæ, eadem proportione Syntagmata quoque inſtruemus, ut in unoquoque Syntagmate primæ Tetrarchiæ Tetrarcha ad dextram collocetur, ac virtute primus ſit: quartæ Tetrarchiæ Tetrarcha à ſiniſtra ſit, ac virtute ſecundus: Tertiæ Tetrarchiæ Tetrarcha dextrum occupet locum, ac virtute tertius ſit: Secundæ Tetrarchiæ Tetrarcha lævam teneat, ac virtute quartus ſit. Eandem proportionem ad iſtas habent etiam maiores præfecturæ.

CAP. XI.

De intervallis, quibus inter se distant Pedites gravis armaturæ, tum alias simpliciter nimirum ordinati, tum condensati, ac constipati: Quid sit Densatio, & Synaspismus, seu Constipatio.

NUNC vero etiam de intervallis, quibus inter se distant Hoplitæ tum in Longitudine, tum in Altitudine, explicabimus. Sunt autem eorum tres differentiæ. Etenim primum rarioribus distantiis ob usus aliquos ordinantur. Itaque (simpliciter) ordinatus vir cubitos quatuor complectitur: densatus occupat cubitos duos: constipatus unum continet cubitum. Est autem Densatio, cum quis è rarioribus distantiis minora faciens spatia agmen contractius reddit, secundum Parastatam, atque Epistatam, hoc est, in Longitudine, atque Altitudine, ita tamen, ut immutationem adhuc admittat. Synaspismus, seu Constipatio est, cum tota Phalanx adhuc magis prædicta Densatione secundum Parastatam atque Epistatam contrahitur, ita ut propter contiguitatem nec dextrorsum, nec sinistrorsum inclinationem exercitus admittat. Fit vero Densatio, cùm in adversarios Duci phalangem inducere consilium est: Constipatio autem, ut irruentis hostis

hostis impetus firmiter sustineri possit. Quoniã igitur in fronte Phalangis M XXIV Lochagi constituti sunt, manifestum est, quod ordinati iidem continebunt cubitos IVMXCVI, in Longitudine, hoc est, stadia decem, ac cubitos XCVI: Densati tenebunt stadia V, ac cubitos XLVIII. Constipati occupabunt stadia duo & semis, ac cubitos XXVIII.

CAP. XII.

De Phalangis armatura, quæ constat clypeis & hastis.

ARMATURA phalangis constat clypeis & hastis. Atenim Clypeus optimus, est æneus, Macedonicus, non admodum cavus, octo palmarum in diametro: Hasta vero, non brevior octo cubitis, longissima tanta, ut tractanti eam viro ad usum facilis sit.

CAP. XIII.

Quales oporteat esse Lochagos primi iugi: deinde Epistatas secundi, tertii, & reliquorum deinceps.

CÆTERUM oportet Lochagos, utpote Decuriarum in Phalange duces, omnium esse optimos, ita ut & magnitudine, & robore corporis alios antecellant, &

peritia militari præ aliis probati sint. hoc enim iugum Phalangem integram continet, summúmque usum exhibet. Vt enim Ensis acie sua vim præstat, ex mole incumbentis ferri gravitatem ac pondus accipiens: eodem modo existimandum, aciem Phalangis esse Lochagorum ordinem, molem vero, & pondus, gravitatisque additamentum, pone subsequenter positam turbam. Habenda consequenter & secundi Iugi cura. nam horum quoque virorum hastæ simul cum præcedentium hastis protenduntur, ac proxime illos constitutũ hoc iugum adsistit, in multis usum præstans: atque occumbente aut sauciato Lochago hinc in eius locum succedens aliquis ordinem integrum continet. Tertium etiam Iugum, & quæ illud sequuntur, pro ratione virium ac virtutis subiiciuntur.

CAP. XIV.

De Macedonica Phalange, & Sarissarum longitudine.

MACEDONICA Phalanx hostibus intolerabilis videbatur propter constructionem quæ in ordinibus servabatur. Vir enim cum armis suis, quoties imminente prælio densatio fit, in spatio duorum cubitorum consistit. Sarissarum vero longitudo, è veteri & primario instituto, sedecim

erat

erat cubitorum, at ex rei veritate est quatuordecim. ab his autem in protensione duos cubitos aufert intercapedo, quæ est inter utramque manum, ut reliqui duodecim cubiti pro corporibus præmineant. Vnde qui in secundo Iugo Protostatis succedunt ablatis cubitis IV, Sarissam habent prominentem supra armatos in Phalange primi Iugi cubitis X. qui in tertio sunt Iugo, supereminentem eam protostatis habent cubitis VIII: qui in quarto, VI: qui in quinto, IV cubitis: qui in sexto, II: ac quotquot post hos sunt, eorum nulli Sarissas habent, quæ primum iugum superent. Quamobrem cum singulis in primo iugo constitutis V, vel etiam VI Sarissæ protendantur, verisimile est, id hostibus terribile videri, roburque viro V aut VI Sarissis obsepto auctisque viribus innixo addi. Et qui ordine post sextum iugum positi sunt, etiam si illi Sarissis suis nihil efficiant, attamen pondere corporum suorum incumbentes phalangis vim adaugent, ac fugæ spem Protostatis adimunt. Nonnulli vero hastas hoplitarum posteriorum longiores priorum hastis effecere, ut, qui adusque tertium quartumve iugum positi sunt, eorum quoque cuspides æqualiter cum prioribus in adversarios proferri possint. Porro Tergidux in quolibet Syntagmate extraordinarius, prudens sit, atque peritus, quique toti

agmini proſpiciat, ut inter ſe verſent, & iugent: quique milites vel metu, vel alia de causá ſe ſubducentes in ordinem redire compellat: qui etiam in Synaſpiſmis, poſtulante id uſu, cogat milites quam poſſunt arctiſſime ſibi mutuo inniti. id enim eſt, quod agmini robur addit. ut nimirum non in Fronte ſolum, ſed in Tergo etiam agminis prædictas ob cauſas ſit qui præfecti vicem ſuſtineat.

CAP. XV.

De Velitum coordinatione.

CÆTERUM cum ſatis ſuperque de Catalochiſmo Hoplitarum, qui in Phalange ſunt, dixerimus, nunc etiam de velitibus, ut illi ſint ordinandi, exponemus. Statuentur autem illi à belli Duce, prout hoſtilis acies inſtructa eſt, modo ante Phalangem, modo poſt, ut nimirum neceſſitas ipſa exigit. Nunc conſtruantur ita: Velitum quoque Decurias MXXIV ordinabimus, pares ſcilicet numero armatorum. ut ſub prima hoplitarum decuria, prima etiam velitum decuria ordinetur, ſub ſecunda, ſecunda, ac ſic deinceps. Horum tamen decuriæ haud ſedecim virorum eſſe debent, ſed dimidium tantum, nempe octo, ita ut M. ac

xxiv decuriæ conſtent è virorum octo millibus cxii.

Cap. XVI.

De nominibus & ordinibus Velitum.

Nomina, ordineſque eorum, ſunt, qui ſubiiciuntur, & ſequuntur. Velitum quatuor Decuriæ vocantur Syſtaſis, virorum xxxii: Duæ Syſtaſes, Pentecoſiarchia, virorum lxiv: Duæ Pentecoſiarchiæ, Hecatontarchia, virorum cxxviii. In quaque autem Hecatontarchia extraordinarii viri erunt, Signifer, Tergidux, Tubicen, Famulus, Præco. Duæ Hecatontarchiæ, virorum cclvi, dicuntur Pſilagia: Duæ Pſilagiæ, Xenagia, virorum d.xii: Dux Xenagiæ, Syſtema, virorum m.xxiv: Duo Syſtemata, Epixenagia, virorũ bis mille xlviii: Duæ Epixenagiæ, Stichus, virorum ivmxcvi: Duo Stichi, Epitagma, decurias continens m.xxvi, viros octo millies. Debent vero & his eſſe viri extraordinarii octo. quorum quatuor erunt Epixenagi, quatuor Syſtematarchæ.

CAP. XVII.

De Iaculationibus, Arquutibus, & omnibus, qui telis eminus utuntur. deque eorum usu.

QUICUMQUE iaculis, arcu, aut telis eminus utitur, utilis est, & ad inchoandum prælium; & ad provocandum hostem; & ad arma confringenda, & ad vulnera infligenda, stragesque ex aliquo intervallo faciendas; & ad ordines disturbandos, & ad equitem repellendum; & ad eos retrocedere cogendos, qui procursantes ferire prius student; & ad suspecta locorum exploranda; & ad insidias struendas: atque ut summatim dicam, hi & ante conflictum dimicantes, & simul cum cæteris depugnantes, multam magnamque in præliis operam præstant.

CAP. XVIII.

Quomodo Equites in Rhombi formam, Cunei, aut Quadratam construendi.

EQUITUM acies vel Quadratas, vel oblongas, vel Rhombiformes, vel Cuneiformes, autores nobis superiores construxere, nemo tamen eorum, ut verbo dicam,

eam, quid vellet, clare nobis tradidit. Quare nos in deſcriptione etiam figuras adiungemus, ut facile ex ipſo intuitu intelligi poſſint. Aciebus ad Rhombi ſimilitudinem efformatis videntur uſi fuiſſe Theſſali, qui equitatu plurimum valuere. A Iaſone primum ipſis forma iſta excogitata, velut ad omnes uſus accommodiſſima, cum in ea collocati equites in quemvis aſpectum celerrime ſe vertere, ac minime à tergo aut lateribus capi poſſint. optimos namq; equitū à lateribus collocarunt, duces autem in angulis, atque in priore quidem angulo Ilarcham, in dextro ac ſiniſtro angulo, qui Plagiophylaces, h. e. laterum cuſtodes dicuntur, in reliquo Tergiductorem. Cuneiformis uſi videntur Scythæ, & Thraces. uſi ſunt etiam Macedones introducente eas Philippo. autumabat enim has uſum habere Quadratis efficaciorem, quod undique Duces circumpoſiti ſint, cumque Frons brevis fiat, equitationem etiam huc illuc facilem vel per quodvis intervallum reddere; ad hæc & Reverſionem & Converſionē compendioſam, quod difficiles non habeant circumductiones quēadmodū Quadratæ. Quadratis uſi ſunt tū Perſæ, tum Siculi, ac Græcorum plerique, perſuaſum habentes, eas & conſtructionē habere faciliorē, & coequitationē, uſumque adeo reliquis multo meliorem. facilio-

rem quippe constructionem obtinere, cum per versus & iuga ordinentur. cui accedit, quod in his solis omnes præfecti simul in hostes confertim irruant. Sunt vero inter eas omnium optimæ, quæ numerum duplo maiorem habent in Longitudine, quam in Altitudine; ut, VIII in Longitudine, IV in Altitudine: vel X in Longitudine, V in Altitudine. atque hæ numero quidem sunt oblongæ, attamen figura Quadratæ fiunt. Equi namque à capite ad caudam Longitudine ad eiusdē Latitudinem collata plures esse debent, qui in iugis, quam qui in versibus ordinantur. Quidam triplum fecere Longitudinis numerum ad Altitudinem, hoc modo figuram Quadratam affecturos se rati. videtur enim tripla omnino esse Longitudo equi ad armorum Latitudinem: unde novem in fronte constituentes, in Altitudine tres collocant. nec enim multitudo posteriorum equitum eundem præstat usum, quem in Peditibus Altitudo pone innitentium. nihil enim conferunt ad vehementiam renixus, cum neque propellant, nec contineant anteriores, haud efficiente tota multitudine unum pondus. Quin si priores impellantur, conturbatis equis plus sibi noxæ inferent, quam adversariis. Quare semper, cum numerus equitum æqualis tam in Longitudine, quam Altitudine existit, numerus

merus quidem Quadratus, at Forma sit oblonga: at cum Turmæ forma Quadrata fuerit, equitum numerus fit altera parte longior.

λ λ λ λ λ λ λ λ
λ λ λ λ λ λ λ λ
λ λ λ λ λ λ λ λ
λ λ λ λ λ λ λ λ

λ λ λ λ λ λ λ λ λ λ
λ λ λ λ λ λ λ λ λ λ
λ λ λ λ λ λ λ λ λ λ

λ λ λ λ λ λ λ λ λ
λ λ λ λ λ λ λ λ λ
λ λ λ λ λ λ λ λ λ
λ λ λ λ λ λ λ λ λ

CAP. XIX.

Quare acies Equitum Rhombiformes in usum admissæ. & quomodo veteres variis formis eas instruxerint : ita ut aliæ & Versarent simul, & Iugarent : aliæ neque Versarent, neque Iugarent: aliæ rursus Versarent tantum, non Iugarent: vel Iugarent quidem, non etiam Versarent.

RHOMBIFORMIS figura in usum admissa videtur, quod maxime necessaria habita sit. Cum enim Ilarcha primus collocetur, qui utrimque constituuntur equites, non æqualiter debent cum Ilarcha iugum facere; sed ita succedere, ut horum equina capita iuxta armum equi, cui insidet Ilarcha, statuantur; utque distantias à se mutuo servent equites, tam qui à dextris & sinistris sunt, quam qui vicissim pone sequuntur : ne contiguitas ordinem turbet: quod nonnulli equi, iique natura ferociores, calcitrationibus frequenter offendant: neve equus, oblongum cum sit animal, in convertendo calcitrans in equos sibi proximos, vulnera præliantibus infligat. Eorum porro, qui equitatum in Rhombi formam ordinarunt, nonnulli ita instruxere, ut equites & versus & iuga simul facerent: alii, ut versus tantum, non etiam iuga: alii, ut iuga, non versus facerent. Singulorum autem

autem ordo ita ſe habet. Qui Rhombos verſare & iugare ſimul voluere, maximum totius Turmæ iugum ex impare numero medium ordinavere, ut undecim, tredecim, aut quindecim: ab utraque vero huius iugi parte aliud poſuere anterius, aliud poſterius, binario utrumque priori minus. Ut ſi, exempli cauſa, maximum Iugum ſit equitum XV, utrimque ab eo alterum XIII habebit equites: quæ vero ab his utrimque ſequuntur iuga, XI: ac ſic deinceps ſemper binario minora erunt, donec unus eques ſuperſit, ac tota equitum Turma fiat CXIII.

Rhom-

peritia militari præ aliis probati ſint. hoc enim iugum Phalangem integram continet, ſummumque uſum exhibet. Vt enim Enſis acie ſua vim præſtat, ex mole incumbentis ferri gravitatem ac pondus accipiens: eodem modo exiſtimandum, aciem Phalangis eſſe Lochagorum ordinem, molem vero, & pondus, gravitatiſque additamentum, pone ſubſequenter poſitam turbam. Habenda conſequenter & ſecundi Iugi cura. nam horum quoque virorum haſtæ ſimul cum præcedentium haſtis protenduntur, ac proxime illos conſtitutũ hoc iugum adſiſtit, in multis uſum præſtans: atque occumbente aut ſauciato Lochago hinc in eius locum ſuccedens aliquis ordinem integrum continet. Tertium etiam Iugum, & quæ illud ſequuntur, pro ratione virium ac virtutis ſubiiciuntur.

CAP. XIV.

De Macedonica Phalange, & Sariſſarum longitudine.

MACEDONICA Phalanx hoſtibus intolerabilis videbatur propter conſtructionem quæ in ordinibus ſervabatur. Vir enim cum armis ſuis, quoties imminente prælio denſatio fit, in ſpatio duorum cubitorum conſiſtit. Sariſſarum vero longitudo, è veteri & primario inſtituto, ſedecim

erat

erat cubitorum, at ex rei veritate est quatuordecim. ab his autem in protensione duos cubitos aufert intercapedo, quæ est inter utramque manum, ut reliqui duodecim cubiti pro corporibus præmineant. Vnde qui in secundo Iugo Protostatis succedunt ablatis cubitis IV, Sarissam habent prominentem supra armatos in Phalange primi Iugi cubitis X. qui in tertio sunt Iugo, supereminentem eam protostatis habent cubitis VIII: qui in quarto, VI: qui in quinto, IV cubitis: qui in sexto, II: ac quotquot post hos sunt, eorum nulli Sarissas habent, quæ primum iugum superent. Quamobrem cum singulis in primo iugo constitutis V, vel etiam VI Sarissæ protendantur, verisimile est, id hostibus terribile videri, roburque viro V aut VI Sarissis obsepto auctisque viribus innixo addi. Et qui ordine post sextum iugum positi sunt, etiam si illi Sarissis suis nihil efficiant, attamen pondere corporum suorum incumbentes phalangis vim adaugent, ac fugæ spem Protostatis adimunt. Nonnulli vero hastas hoplitarum posteriorum longiores priorum hastis effecere, ut, qui adusque tertium quartumve iugum positi sunt, eorum quoque cuspides æqualiter cum prioribus in adversarios proferri possint. Porro Tergidux in quolibet Syntagmate extraordinarius, prudens sit, atque peritus, quique toti

agmini proſpiciat, ut inter ſe verſent, & iugent: quique milites vel metu, vel alia de cauſâ ſe ſubducentes in ordinem redire compellat: qui etiam in Synaſpiſmis, poſtulante id uſu, cogat milites quam poſſunt arctiſſime ſibi mutuo inniti. id enim eſt, quod agmini robur addit. ut nimirum non in Fronte ſolum, ſed in Tergo etiam agminis prædictas ob cauſas ſit qui præfecti vicem ſuſtineat.

CAP. XV.

De Velitum coordinatione.

CÆTERUM cum ſatis ſuperque de Catalochiſmo Hoplitarum, qui in Phalange ſunt, dixerimus, nunc etiam de velitibus, ut illi ſint ordinandi, exponemus. Statuentur autem illi à belli Duce, prout hoſtilis acies inſtructa eſt, modo ante Phalangem, modo poſt, ut nimirum neceſſitas ipſa exigit. Nunc conſtruantur ita: Velitum quoque Decurias MXXIV ordinabimus, pares ſcilicet numero armatorum. ut ſub prima hoplitarum decuria, prima etiam velitum decuria ordinetur, ſub ſecunda, ſecunda, ac ſic deinceps. Horum tamen decuriæ haud ſedecim virorum eſſe debent, ſed dimidium tantum, nempe octo, ita ut M. ac

xxiv decuriæ constent è virorum octō millibus cxii..

Cap. XVI.

De nominibus & ordinibus Velitum.

NOMINA, ordinesque eorum, sunt, qui subiiciuntur, & sequuntur. Velitum quatuor Decuriæ vocantur Systasis, virorum xxxii: Duæ Systases, Pentecosiarchia, virorum lxiv: Duæ Pentecosiarchiæ, Hecatontarchia, virorum cxxviii. In quaque autem Hecatontarchia extraordinarii viri erunt, Signifer, Tergidux, Tubicen, Famulus, Præco. Duæ Hecatontarchiæ, virorum cclvi, dicuntur Psilagia: Duæ Psilagiæ, Xenagia, virorum d.xii: Dux Xenagiæ, Systema, virorum m.xxiv: Duo Systemata, Epixenagia, virorū bis mille xlviii: Duæ Epixenagiæ, Stichus, virorum ivmxcvi: Duo Stichi, Epitagma, decurias continens m.xxvi, viros octo millies. Debent vero & his esse viri extraordinarii octo. quorum quatuor erunt Epixenagi, quatuor Systematarchæ.

CAP. XVII.

De Iaculationibus, Arquutibus, & omnibus, qui telis eminus utuntur. deque eorum uſu.

QUICUMQUE iaculis, arcu, aut telis eminus utitur, utilis eſt, & ad inchoandum prælium; & ad provocandum hoſtem; & ad arma confringenda, & ad vulnera infligenda, ſtrageſque ex aliquo intervallo faciendas; & ad ordines diſturbandos, & ad equitem repellendum; & ad eos retrocedere cogendos, qui procurſantes ferire prius ſtudent; & ad ſuſpecta locorum exploranda; & ad inſidias ſtruendas: atque ut ſummatim dicam, hi & ante conflictum dimicantes, & ſimul cum cæteris depugnantes, multam magnamque in præliis operam præſtant.

CAP. XVIII.

Quomodo Equites in Rhombi formam, Cunei, aut Quadratam conſtruendi.

EQUITUM acies vel Quadratas, vel oblongas, vel Rhombiformes, vel Cuneiformes, autores nobis ſuperiores conſtruxere, nemo tamen eorum, ut verbo dicam,

eam, quid vellet, clare nobis tradidit. Quare nos in deſcriptione etiam figuras adiungemus, ut facile ex ipſo intuitu intelligi poſſint. Aciebus ad Rhombi ſimilitudinem efformatis videntur uſi fuiſſe Theſſali, qui equitatu plurimum valuere. A Iaſone primum ipſis forma iſta excogitata, velut ad omnes uſus accommodiſſima, cum in ea collocati equites in quemvis aſpectum celerrime ſe vertere, ac minime à tergo aut lateribus capi poſſint. optimos namq; equitũ à lateribus collocarunt, duces autem in angulis, atque in priore quidem angulo Ilarcham, in dextro ac ſiniſtro angulo, qui Plagiophylaces, h. e. laterum cuſtodes dicuntur, in reliquo Tergiductorem. Cunei formis uſi videntur Scythæ, & Thraces. uſi ſunt etiam Macedones introducente eas Philippo. autumabat enim has uſum habere Quadratis efficaciorem, quod undique Duces circumpoſiti ſint, cumque Frons brevis fiat, equitationem etiam huc illuc facilem vel per quodvis intervallum reddere; ad hæc & Reverſionem & Converſionẽ compendioſam, quod difficiles non habeant circumductiones quẽadmodũ Quadratæ. Quadratis uſi ſunt tũ Perſæ, tum Siculi, ac Græcorum plerique, perſuaſum habentes, eas & conſtructionẽ habere faciliorẽ, & coequitationẽ, uſumque adeo reliquis multo meliorem. facilio-

rem quippe constructionem obtinere, cum per versus & iuga ordinentur. cui accedit, quod in his solis omnes præfecti simul in hostes confertim irruant. Sunt vero inter eas omnium optimæ, quæ numerum duplo maiorem habent in Longitudine, quam in Altitudine; ut, VIII in Longitudine, IV in Altitudine: vel x in Longitudine, v in Altitudine. atque hæ numero quidem sunt oblongæ, attamen figura Quadratæ fiunt. Equi namque à capite ad caudam Longitudine ad eiusdē Latitudinem collata plures esse debent, qui in iugis, quam qui in versibus ordinantur. Quidam triplum fecere Longitudinis numerum ad Altitudinem, hoc modo figuram Quadratam affecturos se rati. videtur enim tripla omnino esse Longitudo equi ad armorum Latitudinem: unde novem in fronte constituentes, in Altitudine tres collocant. nec enim multitudo posteriorum equitum eundem præstat usum, quem in Peditibus Altitudo pone innitentium. nihil enim conferunt ad vehementiam renixus, cum neque propellant, nec contineant anteriores, haud efficiente tota multitudine unum pondus. Quin si priores impellantur, conturbatis equis plus sibi noxæ inferent, quam adversariis. Quare semper, cum numerus equitum æqualis tam in Longitudine, quam Altitudine existit, nu-

merus

merus quidem Quadratus, at Forma sit oblonga: at cum Turmæ forma Quadrata fuerit, equitum numerus fit altera parte longior.

λ λ λ λ λ λ λ λ
λ λ λ λ λ λ λ λ
λ λ λ λ λ λ λ λ
λ λ λ λ λ λ λ λ

λ λ λ λ λ λ λ λ λ λ
λ λ λ λ λ λ λ λ λ λ
λ λ λ λ λ λ λ λ λ λ

λ λ λ λ λ λ λ λ λ
λ λ λ λ λ λ λ λ λ
λ λ λ λ λ λ λ λ λ
λ λ λ λ λ λ λ λ λ

CAP. XIX.

Quare acies Equitum Rhombiformes in usum admissæ. & quomodo veteres variis formis eas instruxerint : ita ut aliæ & Versarent simul, & Iugarent : aliæ neque Versarent, neque Iugarent: aliæ rursus Versarent tantum, non Iugarent: vel Iugarent quidem, non etiam Versarent.

RHOMBIFORMIS figura in usum admissa videtur, quod maxime necessaria habita sit. Cum enim Ilarcha primus collocetur, qui utrimque constituuntur equites, non æqualiter debent cum Ilarcha iugum facere; sed ita succedere, ut horum equina capita iuxta armum equi, cui insidet Ilarcha, statuantur; utque distantias à se mutuo servent equites, tam qui à dextris & sinistris sunt, quam qui vicissim pone sequuntur : ne contiguitas ordinem turbet: quod nonnulli equi, iique natura ferociores, calcitrationibus frequenter offendant: neve equus, oblongum cum sit animal, in convertendo calcitrans in equos sibi proximos, vulnera præliantibus infligat. Eorum porro, qui equitatum in Rhombi formam ordinarunt, nonnulli ita instruxere, ut equites & versus & iuga simul facerent: alii, ut versus tantum, non etiam iuga: alii, ut iuga, non versus facerent. Singulorum autem

autem ordo ita se habet. Qui Rhombos versare & iugare simul voluere, maximum totius Turmæ iugum ex impare numero medium ordinavere, ut undecim, tredecim, aut quindecim: ab utraque vero huius iugi parte aliud posuere anterius, aliud posterius, binario utrumque priori minus. Ut si, exempli causa, maximum Iugum sit equitum XV, utrimque ab eo alterum XIII habebit equites: quæ vero ab his utrimque sequuntur iuga, XI: ac sic deinceps semper binario minora erunt, donec unus eques supersit, ac tota equitum Turma fiat CXIII.

Rhom-

Rhombi versantes & iugantes simul.



Rhombi versantes & iugantes simul.

Ilarcha.

Ilarcha.

Plagiophylax.




Plagiophylax.

Tergidux.

Dimidum autem Rhombi, Roſtrum ſeu Cuneus vocatur, in triangulum efformatum; ita ut & Roſtri forma in Rhombo explicata ſit.

Roſtrum, ſeu



Cuneus.

Alii

Alii Rhombũ ita inſtruxere, ut in Rhombi forma ordinati Equites neque verſarent, neque iugarent ; hac in forma & converſiones & equitum tranſitiones faciliores eſſe arbitrati, ut quæ neque à dextris, neque à ſiniſtris, nec pone ullum impedimentum habeant. Collocant autem primum Ilarcham, deinde ſimiliter Ilarchæ utrimque & à dextris & à ſiniſtris ſuccedentes, ita ut, quemadmodum antea diximus, equina horum capita iuxta armos præpoſiti equi exiſtant. Ac primum ordinem ſtatuunt ex equitum impare numero, puta undecim, Ilarcha in medio conſtituto, quinque ei utrimque ſuccedentibus : ita ut hoc iugum duo Rhombi latera contineat. poſt Ilarcham vero collocetur Zygarcha, ſeu Iugi præfectus, cui ſimiliter utrimque alii ſuccedant. deficit autem totus numerus ſequentis nimirum Iugi binario à priori: ita, ut ab utraque Zygarchæ parte quatuor poſiti ſint: ſitque totus numerus ſecundi ordinis, novem. Atque hoc iugum duobus prioribus lateribus Rhombi duo alia velut parallela facit. Tertium Iugum è ſeptem conſtat; ac ſic deinceps ad unum uſque. Fitque hæc Turma equitum XXXVI. Vſus autem eſt hac Turmæ forma Polybius, ſed virorum LXIV, in formam literæ Græcorum, A.

Turma

Turma Rhombiformis, quæ neque versat, neque iugat.

λ

λ λ

λ λ λ

λ λ λ λ

λ λ λ λ λ

λ λ λ λ λ λ

λ λ λ λ λ

λ λ λ λ

λ λ λ

λ λ

λ

Sunt etiam aliæ Rhombi formæ, quæ ex verſantibus, non autem iugantibus conſtituuntur. eaque ita inſtruuntur. Fecere verſus è quantocumque Equitum numero, quorum Dux & primus eſt Ilarcha, ultimus Tergidux. ei utrimque alios verſus adiunxere, & à dextris & à ſiniſtris partibus uno minores priori. Quorum circa media interſtitia eques in primo verſu tantum ab equite diſtat, quantum is, qui utrimque adſiſtit. Et, ſi ſint, exempli cauſa, primo verſu equites decẽ, in iis, qui utrimque adiunguntur, novem æqualiter erunt: quique & his inde utrimque accedunt, ſinguli

guli octo: atque ita ſemper in reliquis verſibus ad unum uſque. Sic enim eveniet, ut inter ſe verſent equites, non etiam iugent. Atque hoc ipſum facilem etiam uſum habet ad Inclinationes, quæ in utrumque latus fiunt. Vocatur autem in dextram quæ fit, In haſtam inclinatio; in lævam quæ fit, In habenas.

Rhombus qui verſat, non iugat.

γ
γ γ
γ γ γ
γ γ γ γ
γ γ γ γ γ
γ γ γ γ γ γ
γ γ γ γ γ
γ γ γ γ
γ γ γ
γ γ
γ

Quod ſi quidem Turma ex Iugantibus, non autem Verſantibus conſtituenda erit, ordinabimus eam hoc modo: Maximum totius Turmæ Iugum medium ex impare faciemus numero: reliqua utrimque iuga iuxta media interſtitia efficiemus, quemadmo-

admodum in Verſantibus ordinavimus: fietque Turma ex Iugantibus, non autem Verſantibus.

Rhombus qui iugat, non verſat.

γ
γ γ
γ γ γ
γ γ γ γ
γ γ γ γ γ
γ γ γ γ γ γ
γ γ γ γ γ γ γ
γ γ γ γ γ γ γ γ
γ γ γ γ γ γ γ γ γ
γ γ γ γ γ γ γ γ
γ γ γ γ γ γ γ
γ γ γ γ γ γ
γ γ γ γ γ
γ γ γ γ
γ γ γ
γ γ
γ

CAP. XX.

De ordinatione Turmarum, deque earundem nominibus. atque Equitum, qui in singulis, numero.

STATUUNTUR porro Equitum turmæ quemadmodum Velites, modo ante Phalangem, modo à dextris, & ſiniſtris. Sed nonnunquam etiam poſt velites conſtitutæ ſunt. Sit autem prima Turma equitum LXIV, eiuſque primum Iugum equitum XV, ſecundum XIII, quod ſequitur XI, quæque inde ſequuntur deinceps iuga, ſemper binario minora ſingula, donec ad unum deventum ſit. Signum feret is, qui in ſecundo iugo Zygarchæ à læva adſtat. Erunt vero omnes ſimul Turmæ numero LXIV, Equites quatuor M. XCVI. Cæterum duæ Turmæ vocantur, Epilarchia, Equitum CXXVIII: Duæ Epilarchiæ, Tarantiarchia, equitum CCLVI: Duæ Tarantiarchiæ, Hipparchia, Equitum D.XII: Duæ Hipparchiæ, Ephipparchia, equitum MXXIV: Duæ Ephipparchiæ, Telos, equitum bis M.XLVIII: Duo Tele, epitagma, equitum quatuor M.XCVI.

CAP.

CAP. XXI.

Quod ad formas Acierum, earumque transformationes, multum studii exercitationisque requiratur.

SUNT igitur iam explicata veterum circa Turmarum ordines instituta omnia, qua forma singuli has instruxerint, ac quibus de causis alii aliis usi sint. Debet autem horum traditio non magis esse extemporanea, atque est negotiorum. in quibus de summa rerú controvertitur. Verum ubi per quotidiana exercitia singulas formas quis probarit, &, quæ ex illis facilior, utiliorque sit, cognorit, tunc serio in rebus ipsis usum eius inire demum oportet. Stultum enim est, cum deprehendantur homines de rebus munitioribus studiose anquirere, ac plurimum ambigere, de his non prius exactissimum examen instituere, ac tum demum ad ipsa certamina se conferre. Est vero in cuiusque arbitrio, Turmas & maiores & minores facere.

CAP. XXII.

De Curruum atque Elephantorum Constructione, deque singulorum usitatis olim appellationibus.

DE Curruum atque Elephantorum constructione quamquam rarum eorum inveniamus usum: tamen, ut ne quid huic scripto desit, appellationes subiungemus, quibus autores ante nos in iis usi fuere. In coniunctione curruum, quam ζευκτικὴν vocabant, duos currus, Zygarchiam appellabant: Duas Zygarchias, Syzygiam: Duas Syzygias, Episyzygiam: Duas Episyzygias, Harmatarchiam: Duas Harmatarchias, Ceras: duo Cerata, Phalangem. Licet autem pluribus curruum Phalangibus uti, atq; eadē nomina in quaque Phalange cum istis usurpare. Currubus vero alii Levibus usi, alii Falcatos confecere. In Elephantorum ordinationibus, qui uni præest Elephanto, Zoarchus vocatur: qui duobus, Therarchus, ac Systema eorū, Therarchia: qui IV, Epitherarcha, ac eorum Systema Epitherarchia: qui VIII, Ilarcha, ac eorum systema, Ilarchia: qui XVI, Elephantarcha, ac Systema eorum, Elephantarchia: qui XXXII, Ceratarcha, eorumque Systema, Ceratarchia: quæ vero è LXIV constat Elephantis, eam Elephantorum Phalangem nominamus. ac si quis cor-

cornuum præfecto nomen velit imponere, Phalangarcha dicatur.

CAP. XXIII.

De quibusdam nominibus ad Formarum motiones utilibus, cum in Armorum exercitiis, tum ipsis certaminibus.

SPECIES igitur copiarum, quæ perfectum exercitum constituunt, ac nomina, quæ singulis eius agminibus imposita sunt, in hunc modum se habent. Quibus consideratis utile deinceps fuerit, de nominibus quibusdam loqui, ut, cum Imperator aliquid fieri præceperit, assuefacti milites in armorum exercitiis tum vocabulis, tum formarum motionibus, facile imperata facere valeant. Est, quod dicitur, Inclinatio, atque ea vel in hastam vel in clypeum. Est etiam, quod Metabole dicitur, & Epistrophe, & Anastrophe, & Perispasmus, Iugare, & Versare: & In rectum reddi, & Evolvere: & Duplicare: item Epagoge: & dextra Paragoge : & sinistra Paragoge : & transversa Phalanx: & recta Phalanx: & obliqua Phalanx : & Entaxis : & Hypotaxis: & Epitaxis : & Prostaxis. Quid autem singula istorum nominum designent, breviter explicabimus. nec interim ignoro, apud omnes

Tacticos præcepta non esse iisdem nomibus exposita.

CAP. XXIV.

De Inclinatione, ac Immutatione, utraque vel in Hastam, vel in Clypeum, sive ab hoste, vel in hostem. De Conversione, Reversione, Perispasmo, & Ecperispasmo.

CLISIS igitur, seu Inclinatio, est motus, qui fit viritim, aut in hastam se convertente milite, hoc est, in dextras partes, aut In clypeum, h.e., in sinistras. quod facile, atque utiliter fit, cum hostes ab alterutro latere apparent, ut vel altero cornu superiores sint, vel ut in itinere adversum iis eatur, vel alios ob usus, qui in singulis istarum rerum exponentur. Duæ quæ fiunt eandem versus partem inclinationes, aspectum armati in contrarium transponunt, h. e., à tergo. atque illud Metabole seu Immutatio vocatur. Fitque & hæc vel In hastam, vel In clypeum.

Prima

Prima ante inclinationem statio militis. d d

In clypeũ prima Inclinatio. ᗡ ᗢ *In hastã prima inclinatio.*

In clypeum secunda Inclinatio, quæ & Immutatio dicitur. p p *In hastã secunda inclinatio, quæ etiam Immutatio dicitur.*

Est enim Immutatio, Inversio, quæ fit viritim in aversam partem. Quodque Immutatio est in singulis armatis, id in toto agmine Perispasmus. Sunt autem duæ Immutationum differentiæ, ab Hostibus una, in Hostes altera. Definitur autem Immutatio, translatio aspectus prioris in aspectũ posteriorem; vel ab hoc in contrarium. Ab Hostibus fit Immutatio, bis in Hastam inclinantibus; in Hostes, bis in clypeum.

2 d d *Immutatio ab hoste, bis in hastam in-*
1 ᗡ ᗢ 1 *clinantibus militibus.*

Immutatio in hostem, bis in clypeum inclinantibus militibus. p p 2

Epistrophe, seu Conversio est, cum densato

ſato agmine, quod viritim aut Inclinationem aut Immutationem propter denſationem facere non poteſt, totum agmen coniunctim, tanquam navigium, atque unum corpus tranſpoſitũ, manente tamen ordine integro, convertitur. cumque in haſtam fit Converſio, præcipimus, extremum ad dextram Lochagum immotum ſtare inſtar ianuæ cardinem; reliquum vero totum agmen, tanquam ianuam, circa Lochagum iſtum circumductum Converſionem facere. ſimiliter & in clypeum fit Converſio. Vel, Converſio eſt, cum denſato agmine ſecundum Paraſtatas atque Epiſtatas, totum agmen, tanquam unius viri corpus, aut in haſtam inclinamus, aut in clypeum: circa primum Lochagum, tanquã centrum, toto agmine circumducto, quod Locum quidem priorem, ſed aſpectum à dextris accipiat, permanentibus ſingulis Paraſtatis, atque Epiſtatis. quod quo pacto fiat, declarabimus infra.

Anaſtrophe, ſeu Reverſio eſt, Converſionis reſtitutio in locum eundem, quẽ agmen denſatum tenebat, priuſquam hæc Converſio fieret.

Prima

p p
p p
p p *Prima Conversio in hastã.*
p p
p p
p p
dddddd dddddd

Prima statio aciei. *Secũda Cõversio similitter.*

Perispasmus, seu Inflexio est, motio agminis à duabus conversioibus, ita ut priorem locum cum posteriore commutet.

p *Prima in clypeum Conversio.*
p
p
p
p
dddddd pppppp

Ecperispasmus, seu Circumflexio est, è tribus continuis agminis conversionibus motio, ita ut si in hastam fiat, aspectus translatus sit in sinistram, si in Clypeum, in dextram.

Prima in hastam Conversio. pppppp pppppp

Prima aciei statio dddddd dddddd   pppppp pppppp *Secunda conversio similis.*

Tertia conversio similis. pppppp pppppp

pppppp pppppp *Prima Cõversio in clypeum.*

Secunda Cõversio in clypeũ. pppppp pppppp   dddddd dddddd *Prima statio.*

Tertia Conversio similis. pppppp pppppp

CAP.

CAP. XXV.

Verſare quid, & Iugare, & quid in rectum reſtitui.

VERSARE dicitur, cum ſinguli viri in ſua Decuria recta ſerie conſiſtunt, à Lochago & Tergiduce æqualia inter ſe ſpatia ſervantes. Iugare vero, cum recto ordine in Longitudine conſiſtunt ii, qui ſunt in Decuriis. Iugant ergo omnes Lochagi, ac primi, Lochagi Epiſtatæ aliorum Lochagorum Epiſtatæ, ac ſic deinceps. In rectum reddere eſt, faciem armati in aſpectum reſtituere, quem primo tenuit. Vt, ſi armatus hoſtibus oppoſitus iubeatur, In haſtam inclinare: ac deinde præcipiatur, In rectum ſe reſtituere, debebit is rurſum in hoſtes ſe convertere.

CAP. XXVI.

De Evolutionibus, quod earum duo ſint genera: unum per Verſus, per Iuga alterũ. de earum differentia, qua alia Macedonica, alia Laconica, alia Chorea dicitur.

EVOLUTIONUM duo ſunt genera: unum per verſus, per iuga alterum. Vtriuſque tres ſunt ſpecies. Vocatur enim alia Macedonica, alia Laconica, alia Chorea, quæ etiam Perſica dicitur. Eſt autem

Macedonica, quæ priorem Phalangis locum transfert, ac frontem in contrarium deducit aſpectum. Laconica eſt, quæ Phalangis poſteriorem locum accipit, ac aſpectum ſimiliter poſteriorem pro priore. Perſica, quæ & Cretica, & Chorea, hæc eundem Phalangis locum retinet, ſingulis particulatim armatis pro locis, quæ prius tenebant, alia occupantibus: ut, Lochago in Tergiductoris locum ſe transferente, ac pro aſpectu adverſo averſum faciente. Evolutiones per iuga fiunt, cum ad intermedias Phalangum ſectiones cornua quis velit ſtatuere, & vice verſa ſecturæ proximos in locum cornuum, ut partes mediæ corroborentur, ac ſimiliter dextræ ſiniſtris, ac ſiniſtræ dextris. Qui cavent, cum in propinquo ſunt hoſtes, evolutiones in maioribus partibus fieri, ii in ſingulis agminibus eas faciunt.

CAP. XXVII.

De modis, quibus Evolutiones fiunt.

QUIBUS vero modis fieri Evolutiones oporteat, demonſtrabimus. Evolutio, quæ Macedonica dicitur, fit, cum Lochagus immutatur, reliqui vero omnes in Clypeum ſuccedendo, eum cum Tergiductore ſeqvuntur, ac redeuntes in eundem, quem prius Phalanx tenuerat, locum, ſervatis.

vatis ordinibus subsistunt, donec Tergiductor ipse restitutus sit. quamobrem fugæ speciem hostibus pone apparentibus ostendit. Macedonica ergo per versum evolutio fit, cum Lochagus immutatur, quique pone sequuntur, in hastam conversi, succedentes ordini, inter se gradum sistunt. Laconica fit, cum Tergidux immutatur, ac reliqui etiam omnes immutati, ac succedentes, cum Lochago constituuntur eodem loco, quem prius Phalanx posteriorem tenuit. Vnde hæc persecutionis speciem hostibus pone apparentibus exhibet. Vel rursus, Laconica est, cum in hastam immutatus Lochagus totam Decuriam in alium ipsi æqualem locum transmutat, reliqui autem sequentes ordine post eum statuuntur. Vel, cum Tergidux immutatur, ac qui pone eum constitutus est, Tergiduci ex hasta succedendo, præteriens ante Tergiducem constituitur: reliqui vero similiter subsequentes, alius ante alium statur, donec Lochagus primum locum occupet.

Chorea evolutio fit, cum immutatus Lochagus ab hasta decuriam præcedit, reliqui vero subsequuntur, donec Lochagus Tergiducis locum, Tergidux contra Lochagi locum habeat. atque hæ Evolutiones per Decurias fiunt. Eodem modo etiam per iuga Evolutiones fiunt, vel, si etiam

agminatim evolvere quis velit, ita ut agmẽ qualecunque aut è loco, quem in prima ſtatione tenuit, evolvat, aut in locum tranſeat agminis dextri, vel ſiniſtri. nihil enim à prædictis differet.

CAP. XXVIII.

De Duplicationibus, quod earum duo ſint genera, vel ſecundum Iuga, vel ſecundum Altitudinem. quomodo utrumq; genus duplicetur, vel Numero, vel Loco: & ut rurſum reſtituatur.

DVPLICATIONUM duo ſunt genera: aut enim in Longitudine, aut in Altitudine duplicatur. atq; horum quodque aut Numero fit, aut loco. Numero duplicatur Longitudo, ſi quæ ante erat M.XXIV. Decuriarum, eam bis M.XLVIII facere velimus, interiectis eodem Longitudinis loco ex Altitudine epiſtatis in armatorum intervalla. Fit vero hoc, cum denſare Longitudinem voluerimus. Reſtituere cum placebit, evolvere eos iubebimus, qui poſt impoſiti ſunt Longitudini, in eadem loca, quæ prius tenebant. Sed nonnulli duplicationes huiuſmodi improbant, & maxime cum in propinquo ſunt hoſtes: ac potius velites atque equites ad utrumque cornu extenſione facta collocantes, ita duplicationis ſpeciem fieri præcipiunt, abſque

que duplicatione phalangis, quæ alias ita construi solet. Duplicatur autem Longitudo Phalangis, cum vel superare altero cornu hostes consilium est, vel ab iis altero cornu superatum se iri exspectatur. Altitudo duplicatur, cum primæ Decuriæ secunda imponitur, ita ut secundæ Decuriæ Lochagus post primæ Decuriæ Lochagum collocetur; quique in secunda Decuria secundus est, quartus in prima Decuria ponatur; & qui secundæ tertius est, sextus in prima sit decuria; atq; ita deinceps: donec tota secunda Decuria primæ sit inserta: ac similiter quarta Decuria tertiæ, atq; omnes Decuriæ pares imparibus. Fitque hæc Duplicatio, si per evolutionem aut iuxta positi evolvant in locum posteriorem ab eo, qui proxime Tergiduci adstat, atque alii, qui eodem modo adiuncti sunt, consequantur: aut manente versus numero, qui ab initio erat, dimidia eius pars evolvens locum Altitudinis duplicet. Cum vero in ordines priores restituere volumus, istos post impositos ad proprias Decurias revocabimus.

CAP. XXIX.

De Phalange transversa, recta, & obliqua.

TRANSVERSA Phalanx est, quæ Longitudinem Altitudine multo maiorem habet. Recta vero, cum recta per cornu progeditur, Altitudinem Longitudine multo maiorem obtinens. Dicitur autem in omnibus oblongum, quidquid Longitudinem Altitudine maiorem habet. Rectum, quidquid Altitudinem Longitudine. Eodem modo & Phalanx. At obliqua dicitur Phalanx, quæ è cornubus alterutrum, quodcumque visum fuerit, hostibus proxime obiicit, in eoque certamen facit, alterum, quasi subsidium, aliquo intervallo detinet, eventum exspectans.

CAP. XXX.

De Interiectione, Præpositione, Postpositione, Adpositione, Impositione, & Subiunctione.

PAREMBOLE seu Insertio est, cum in præpositiorum quorundam spatiis intermediis è postpositis collocantur cum illis directe. Protaxis, seu Præpositio dicitur, quia velites armatorum Phalangem præcedunt, quemadmodum & Lochagus dici-

dicitur Protostata, quod ante stet. Ita si iis iidem postponantur, id Epitaxis seu Postpositio vocatur. ut & Epistata, quod pone stet. Prostaxis, seu Adpositio est, cum ab utraque agminis parte, vel altera tantum, aliqua pars adiungitur, eodem cum Phalange spectans. Talis acies, Adpositio vocatur. Entaxis, seu Impositio est, si quis velites cupiat in mediis Phalangis intervallis viritim collocare. Hypotaxis, seu Subiunctio est, si quis velites cornubus Phalangis ordinem habentibus incurvum subiungat, ita ut tota agminis forma triquetra sit.

CAP. XXXI.

Quomodo Agmina sint convertenda, inflectenda, & circumflectenda, idque in Hastam, vel in Clypeum: & ut denuo in priorem ordinem restituenda.

CÆTERUM consectarium deinceps fuerit, quomodo ordinatas acies convertere, atque in priorem ordinem easdem restituere oporteat, explanare. Cum igitur agmina adsuefacere volumus in hastam se convertere, præcipitur, ut, quæ ad dextram est, decuria quiescat: singuli autem in reliquis decuriis in hastam inclinent, ac ad dextram procedant: inde in rectum se reddant: tum ut posteriora iuga pro-

procedant, factaque hac denſatione in haſtam convertantur. Quod ubi factum fuerit, ac denuo agmen in priorem locum reſtituere oportuerit, hæc præcipiuntur: nimirum, ut in Clypeum immutentur; hoc eſt, nutu vergant ſinguli in locum contrarium: deinde totum agmen convertatur; hoc eſt, quemadmodum denſatum fuit converſum, atque ad dextras inclinavit, ita totum tranſponatur in locum, unde converſionem fecerat: tum, ut Lochagi qnieſcant, ac reliqui per iuga procedant: inde immutentur, ut eo ſpectent, quo prius ſpectabant: deinde cuiuſque agminis Decuria, quæ à dextra eſt, quieſcat; (nam ea iam proprium ordinem tenet) reliqui vero omnes in Clypeum inclinent, ac procedant, conſiſtantque: atque ita ordinem, quem ante habuit, quiſque recepit. Si in clypeum velimus convertere agmina, præcipimus, ut cuiuſque agminis ſiniſtra Decuria quieſcat, reliquarum ſinguli in clypeum inclinent, ac ad ſiniſtram procedant: deinde, in rectum ſe reddant: tum, ut iuga poſteriora procedant, ac in clypeum convertantur. factumque eſt præceptum. Reſtituere eos ſi voluerimus, eadem faciemus, quæ ante, cum in haſtam converſos reſtituimus. Denuo enim ſinguli in haſtam immutentur: deinde agmen totum revertatur: tum, Lochagi quieſcant; ac inde

de immutentur: reliqui vero per iuga procedant: tum quæ est ad sinistram, decuria quietem agat (nam illorum iam singuli in ordinem, quem prius tenebant, restituti sunt:) reliqui in hastam inclinantes procedant, donec restituta sint ordini priora interstitia.

Si autem in hastam inflectere velimus agmina, duas faciemus agminis eodem versus conversiones. evenietque ita, Lochagos ab adverso prospectu in aversum per agminum transitionem vergere. Hinc vero si restituere agmina velimus, in hastam inflecti agmen præcipiemus, hoc est, alias duas conversiones agmini ad easdem partes dabimus. atque ita fiet, ut Lochagos habeas eodem spectantes, quo ab initio spectabant, antequam omnino ulla inflexio fieret. His factis præcipiemus, ut Lochagi quiescant; reliqui vero immutati iuga posteriora subeant, ac pertranseant: tum denuo immutentur, ac cuiusque agminis dextra Decuria quiescat (nam ea iam in priorem locum restituta est:) cæteri vero in clypeum inclinati procedant, ac prius interstitiũ restituant: tum in rectum se reddant. atque ita in priorem prospectum agmina restituentur.

In clypeum si velimus agmina inflectere, contrariis præceptis utemur. hoc est, ut pro duabus in hastam conversionibus,

bis

bis in clypeum inflexio fiat. deinde bis facta in clypeum inflexione, ut & illi restituantur in priorem locum, iisdem institutis utemur. Est vero etiam, quod Ecperispasmus dicitur, cum agmen eandem versus partem ter quis convertit, idque aut In hastam, aut In clypeum. Perispasmus quidem aspectum armatorem, qui modo anterior erat, posteriorem reddit. Verum Ecperispasmus qui fit in hastam, facit, ut eorum aspectus ab anteriore in lævam vergat. qui vero in clypeum fit, anteriorem aspectum ad dextram transfert.

CAP. XXXII.

Quomodo densare Phalangem oporteat ad dextrum sinistrumque cornu, vel in medio: & quomodo in priorem ordinem restituere.

SI ad dextrum cornu densare Phalangem velimus: præcipimus, Decuriam cornu dextri quiescere: reliquos in hastam inclinatos ad dextram procedere: dein in rectum se reddere; ac tū iuga posteriora procedere. Restituere cum eos placebit, præcipiemus, ut Lochagi quiescant: reliqui immutati iuga posteriora subeant: inde denuo immutentur: tum, quæ ad dextrum cornu decuria est, Decuria quiescat, (iam enim ad dextram restituta est) reliquī

in

in clypeum inclinati duces ſuos ſequantur, ac ſervatis prioribus interſtitiis in rectum ſe reddant. Si ad cornu ſiniſtrum denſare Phalangem velimus, contrariis præceptis utemur. Si in media Phalange denſationem facere velimus, præcipiemus, ut dextra Diphalangia in clypeum inclinet, Læva in haſtam, inde mediam verſus Phalangem procedant: tunc, omnes in rectum reddantur, ac poſteriora iuga procedant. cum vero Reſtituere animus eſt, præcipiemus, Phalangem eam immutari, ac per iuga procedere: tum, denuo omnes immutari, ac dextram Diphalangiam in haſtam inclinare, ſiniſtram in clypeum: tum duces ſuos ſequi, donec ſimul ad priora intervalla redeant: inde in rectum ſe reddere. Equidem in omnibus Immutationibus, cum ex denſationibus fiunt, haſtas ſurſum geſtari oportet, ne invertente ſe armato illæ impedimento ſint. Iiſdem etiam inſtitutionibus velites erudiemus.

CAP.

CAP. XXXIII.

De dictarum Immutationum, Conversionum, Inflexionum, Circumflexionum, & Restitutionum usu: deque eodem Evolutionum simul, & Differentia.

EQUIDEM hæc præcepta Immutationum, Conversionum, Inflexionum, Circumflexionum, ac Restitutionum, utilia sunt adversus repentinos hostium supperventus, illis vel à dextra in itinere apparentibus, vel à sinistra, vel à fronte. Eadem Evolutionum est utilitas. Atqui Macedonicam Evolutionem Macedones invenisse aiunt, Laconicam Lacedæmonios, ac propterea quamque earum prædicta nomina sortitam esse. Sed referunt historiæ, Philippum, qui Macedoniæ regnum auxit, & Græcos pugna ad Chæroneam devicit, Græciæque imperium cœpit, atque Alexandrum deinde eius filium, qui etiam exiguo temporis spatio Asiam subegit; hos Macedonicam Evolutionem reprobasse, nisi si quando forte necessitate ad usum eius compellerentur: utrumque autem Laconica usum hostes superasse, ac vi domuisse. Etenim Macedonica Evolutio irruentibus à tergo hostibus magnam turbationem inferebat. nam à Tergiduce egredientibus in locum eius, qui

qui post Lochagum proximus est, atque ita fugæ speciem quandam ostendentibus, id confidentiores atque animosiores hostes reddit, & iis, qui sic Evolvere, consternatio ac persecutio ab hostibus consequitur. At Laconica contrarium isti exhibet: nam apparentibus à tergo hostibus, cum Duces & qui eos sequuntur, hostibus adversum eant, inque eos irruant, vehemens inde metus hostibus incutitur.

CAP. XXXIV.

Quod copias, tam pedestres, quam Equestres, tum voce, aut tuba, tum signis visibilibus adsuefacere oporteat.

PORRO copias Pedestres iuxta, atque Equestres, modo voce, modo signis visibilibus adsuefacere oportet, ut decenter, atque opportune fiat, quod expedit. Sed quædam etiam Tuba præcipere convenit. Ita enim quodvis iussum prompte effectum dabitur. Sunt quidem manifestiora, quæ voce significantur, si nihil ista impediat: sed tranquilliora, quæ per signa indicantur, modo tamen nihil sit, quod & hæc obscurare queat. Quæ voce indicātur, subinde difficulter exaudiri possunt, aut propter armorum sonitum, aut equestrium copiarum præterequitationes, aut equo-

equorum hinnitum, aut impedimentorum tumultum, totiusque adeo multitudinis clamorem. Signa quoque, ea incerta multis modis redduntur, & propter aëris quandoque crassitiem, & excitatos pulveres, & aquas, nivesque cælo deciduas, & solis adversos radios: ad hæc loco inæqualia, arboribusque obsita, ac tortuosas vias habentia. Quandoque vero ad omnem usum signa invenire haud facile, cum occasiones nova sæpe inveniant, quibus aliquis non assuevit. Attamen omnia ista incommoda ita coincidere nequeunt, ut manifestum non sit aut vocis, aut signorum præceptum.

CAP. XXXV.

De modis, quibus in itineribus incedit Exercitus. de recta in iis Epagoge, & Paragoge, eaque vel in Dextra, vel in Sinistra. Quod recta Epagogæ opponatur Cœlembolus, seu Cuneus cavus; & quod huic Triphalangia.

DE modis, quibus incedunt in itineribus acies, verba facturi tantum proloquemur, quod in iis quædam sit recta Epagoge, seu Inductio, quædam Paragoge, eaque vel in dextra vel in sinistra, quodque vel unilatero, vel bilatero, vel trilatero,

ro, vel quadrilatero agmine incedatur. Et quidem unilatero, cum lateri metuitur: bilatero, cum duobus: trilatero, cum tribus: quadrilatero, cum undique hostes impetum facere volent. Ac propterea fiunt itinera quandoque Monophalangia, seu unica phalange; quandoque Diphalangia, seu duabus: quandoque Triphalangia, seu tribus; quandoque Tetraphalangia, seu quatuor Phalangibus. Et quidem Epagoge recta est, cum agmen sequitur. ut, si præcedente Xenagia cæteræ subsequantur: aut Tetrarchia præeunte reliquæ subsequantur agminatim. Vocatur autem ea sic, cum per cornu progreditur, altitudinem habens longitudine multo maiorem. continet vero in ea agmen duas decurias, x virorum singulas: opponitur huic acies, Cœlembolus dicta, quæ ita fit, cum Antistomus Diphalangia cornua præcedentia disiungit, sequentia vero coniungit in formam literæ V, quemadmodum descriptio nos docet, quæ primos inter se distantes, postremos coniunctos exhibet. Nam cum recta Epagoge in medios feratur hostes, prompte possunt, qui sunt in Cœlembolo, soluta sua unitione, priorum vim, atque incursum, irritum atque evanidum reddere, ac ad latera rectæ Epagoges secedere. Quinetiam & Triphalangia Cœlem-

lembolo opponitur, cum una Phalanx adversus unum cornu depugnat, secunda adversus alterum; media autem, quæ tertia est, impetum certaminis exspectat.

Recta

Recta inductio.

```
                P   P   P   P
                P   P   P   P
                P   P   P   P
                P   P   P   P
                P   P   P   P
                P   P   P   P
                P   P   P   P
                P   P   P   P
d   d   d                              d   d   d
 d   d   d                            d   d   d
  d   d   d                          d   d   d
   d   d   d                        d   d   d
    d   d   d                      d   d   d
     d   d   d                    d   d   d
```

Cœlembolus.

Triphalangia.

```
                    P   P
                    P   P
            P   P   P   P   P   P
            P   P   P   P   P   P
            P   P   P   P   P   P
            P   P   P   P   P   P
            P   P           P   P
            P   P           P   P
d   d   d   d                        d   d   d   d
 d   d   d   d                      d   d   d   d
  d   d   d   d                    d   d   d   d
   d   d   d   d                  d   d   d   d
    d   d   d   d                d   d   d   d
     d   d   d   d              d   d   d   d
```

CAP.

CAP. XXXVI.

De Paragoge dextra, & sinistra.

PARAGOGE est, cum Phalanx Duces, seu Lochagos, aut à dextris habet ad latera incidentes, quæ dicitur dextra Paragoge, aut à sinistris, quæ dicitur sinistra Paragoge, ut ii iam non amplius secundum decurias, sed iuga incedant per cornu. aut enim bilateris, aut tilateris aut quadrilateris phalangibus efformatis, undecumque & quotcumque à partibus hostem adoriturum suspicio est, illac ei advorsum itur. Utraque vero Paragoge cum primum impetum à lateribus faciat, longitudinem ad altitudinem effecere triplam. Etenim Frons x, altitudo III habet. Talis autem est hæc pugnæ forma, quod in ea miles non tantum è directo adversos impetus, sed etiam, qui à lateribus incidunt, sustinere per exercitationem adsuescat.

Para-

Paragoge dextra.							
D	d	d			d	d	D
D	d	d			d	d	D
D	d	d			d	d	D
D	d	d			d	d	D
D	d	d	*Frons.*	*Frons.*	d	d	D
D	d	d			d	d	D
D	d	d			d	d	D
D	d	d			d	d	D

Paragoge sinistra.

CAP. XXXVII.

De Antistomo Phalange.

ANTISTOMUS Phalanx ita dicitur, quod duplicem Frontem, seu Os, habeat. Os enim, & Frons, dicuntur, qui primi in adversos hostes eunt. Quoniam igitur in hac forma medii Antinoti sunt, hoc est, oppositis dorsis; qui vero in extremitatibus primi sunt, in hostes irruunt, ut quidam sint Epistatæ, quidam Tergiduces: propterea id nominis accepit hæc Phalanx. Utilissima autem hæc est acies peditibus, quando cum hostibus pugnant, qui multo equitatu in acie pollent. Vsus huius formæ maximus est adversus Barbaros Istri accolas, quos etiam Amphippos dixere, ut qui ab aliis equis in alios transilire assueti sint. Equestris, quæ huic opponitur,

acies, constans forma quadrata, postulante usu in duo agmina oblonga divisa est. Oblonga autem sunt, quæ frontem altitudine duplo maiorem habent, utrumque vero istorum agminum Peditum divisionibus ex adverso opponitur.

Equites.




Equites.

CAP.

CAP. XXXVIII.

De Amphistomo Phalange.

PHALANX Amphistomus, & illa Antistomo similis est forma immutata, ut variis speciebus equestrium incursionum adsuescatur. Conveniunt vero huic etiam formæ omnia, quæ in priore phalange dicta sunt, tam pedestri, quam equestri: in eo tamen differt ab Antistomo, quod in Antistomo ab extremis pugna habeatur, in Amphistomo vero à lateribus. Et tam qui in hac acie, quam qui in præcedente ordinati sunt, prælongis hastis pugnant, ut Alani, & Sauromatæ. Habet autem dimidiam armatorum in decuriis partem anteriorem, alteram reliquorum aversam in posterius: ita ut sibi mutuo antinoti, seu oppositis fiant dorsis. Suntque in ea duæ Frontes, anterior una, in qua Lochagi, posterior altera, in qua Tergiduces. Quinetiam in Diphalangiam divisa, Frontem anteriorem phalange una facit, posteriorem altera.



Amphistomus phalanx.

CAP. XXIX.

De Antistomo Diphalangia, & quæ adversa illi pugnat, Turma Equestri Cuneiformi.

AMPHISTOMUS Diphalangia dicitur, quæ Duces habet non amplius extra in Paragogis, ſed intra ex adverſo ſibi mutuo oppoſitos. Tergiduces vero extra, alios in dextra Paragoge, alios in ſiniſtra. Vſus huius formæ eſt, quando equitum irruptio in turmam Cunei fit. Cum enim Cuneus in acumen deſinat, habeatque duces à lateribus oblique ſequentes, quibus animus ſit, pedeſtris aciei

ciei frontem perrumpere; prævidentes id peditum duces in medio consistunt. qui aut providere debent, ne illi pertranseant, aut efficere, ut iidem irrito conátu pervadant. Etenim qui in Cunei forma irruunt, id faciunt spe mediam multitudinem in pedestri acie devincendi, ac totam aciem disturbandi. Peditum autem Duces, quo vergat impetus istius formæ animadvertentes, utrimque muri instar se disiungunt; ac simul mediam versus converso aspectu transitum ipsis inanem concedunt. Tale apud Tacticos equitum agmen Cuneus, seu Rostrum vocatur. quod Philippus, Macedonum Rex, invenit, fortissimos præponens, ut ab ipsis etiam imbelliores concluderentur. quomodo in hastæ cuspide aut ense videmus, suis extremitatibus acumen adepto, ac facile propter aciem secante, medium etiam, quod hebes est, ferrum simul penetrare.

d d d p p p

d d d p p p

d d d p p p

Antisto- d d d p p p *Antisto-*

mus di- d d d *Frons. Frons.* p p p *mus di-*

phalãgia. d d d p p p *phalãgia.*

d d d λ p p p

d d d λ λ λ p p p

λ λ λ λ

λ λ λ λ λ

λ λ λ λ λ λ

λ λ λ λ λ λ λ

λ λ λ λ λ λ λ λ

λ λ λ λ λ λ λ λ λ

λ λ λ λ λ λ λ λ λ λ

Cuneus equestris.

CAP. XL.


De Amphistomo Diphalangia, & Peristoma.

AMPHISTOMUS Diphalangia est, cuius phalanges in Paragoge per cornu incedentes, altera obliqua Paragoge Duces à dextra habet, altera, quæ à sinistra obliqua est, Tergiduces intus continet. Ostendit hæc Aciei forma, quorsum pugnaturi impetum dirigant. Nam postquam irruens adversum agmen, quod ante Quadratum

dratum erat, in duo cornua obliqua se divisit, dextrum scilicet, & sinistrum, cupiens oppositam Quadratam Aciem circumvenire, ea propter circumventionem metuentes; qui ea, in duas Phalanges mobiles sese transformavere: atque pars eorum ad Lævũ cornu concessere, pars ad Dextũ se convertere: Vnde quoque Peristomus Acies ea dicta, utrimque frontem in adversos hostes inclinantem habens.

Peristomus diphalangia.

P P P P P P P P
P P P P P P P P
P P P P P P P P
P P P P P P P P
P P P P P P P P
P P P P P P P P
P P P P P P P P
P P P P P P P P



CAP. XLI.

De Homœostomo Phalange, & quæ illi opponitur, Plinthio, & de Homœostomo Diphalangia.

HOMOEOSTOMUS Phalanx vocatur ea, in qua movente se integra decuria, virorum scilicet XVI, alia similis decuria eam pone sequitur, quamobrem etiam Homœostomus appellata est, quod qui se mutuo sequuntur, in eadem forma id faciant. Hæc Plinthio opponitur. Dicitur Plinthium, agmen æquilaterum & forma, & numero. ac forma quidem, quia undiquaque æqualia continet spatia: numero vero, quia quotquot habet in longitudine, totidem etiam in altitudine. In tali forma à quatuor lateribus armati constituuntur, nec arcute, nec funditore lateribus operam subsidiariam navante. Constat autem hoc Plinthium è duabus dimœriis. (dimidia enim decuria, dimœria vocatur.) Cum enim debeat integra decuria viros habere XVI, dimœria VIII habet. Quando vero Phalanges iuxta se mutuo incedentes aut in dextra Paragoge Duces suos habent, aut in sinistra, tunc dicitur Homœostomus Diphalangia.

Phalanx

P P P P P P P P P P
P P P P P P P P P P

Phalanx Homoiostomus.	d d d d d d d d d d d d d d d d d d d d	*Phalanx Homoiostomus.*

Frons.

	d d d d d d d d	
	d d d d d d d d	
Plinthium agmen.	d d d d d d d d	*Plinthium agmen.*
	d d d d d d d d	
	d d d d d d d d	
	d d d d d d d d	
	d d d d d d d d	
	d d d d d d d d	

CAP. XLII.

De Heterostomo Phalange.

HETEROSTOMUS Phalanx dicitur ea, quæ per Epagogen incedens præcedentis agminis Duces, ut par eſt, in dextra habet Paragoge, ſequentis in ſiniſtra, ita ut ipſa agmina alternatim in itinere progrediantur, quorum alterum in alterutra parte Duces ſuos habet, alterum in altera; ac ſimiliter reliqua.

Phalanx Heterostomus.

```
d  d  D           D  d  d
d  d  D           D  d  d
d  d  D           D  d  d
d  d  D           D  d  d
d  d  D           D  d  d
d  d  D           D  d  d
d  d  D
d  d  D
d  d  D     d  d  D
d  d  D     d  d  D
            d  d  D
  D   d  d  d  d  D
  D   d  d  d  d  D
  D   d  d  d  d  D
  D   d  d
  D   d  d
  D   d  d
  D   d  d
  D   d  d
  D   d  d
```

CAP.

CAP. XLIII.

De Equestri Turma Rhombiformi, & opposita ei Phalange Luniformi.

TURMAM Rhombiformem, eam primus Ileon Thessalus invenit. unde & vox ἴλη de nomine eius vocata est: atque ad istam formam omnes Thessalos exercuit. Utilis autem ea est, quoniam in singulis angulis præfectum habet constitutum: primum quidem Ilarchum, postremum vero Tergiducem, ac utrimque Plagiophylacas, hoc est, laterum custodes. In pugna huic opponitur Menoeides, seu Lunaris Phalanx, cornua præcedentia habens, inque iis Duces suos, ac in medio cavam se ostendens: composita in hoc, ut equestrem manum circumveniat. unde equites in morem Tarentinorum Acrobolistarum eminus iaculantur; circularem ipsorum accessum disturbantes. Tarentū enim urbs est Calabriæ, cuius miles, Acrobolista vocatus est, quod ex equis parva iacula mittat, ac deinde consertis manibus ad pugnam veniat.

Turma equitum Rhombiformis.



Phalanx peditum Luniformis, seu Lunaris.

CAP. XLIV.

De Turma Equitum oblonga, & quæ illi opponitur, Phalange Peditum Transversa.

TURMA Oblonga, seu parte altera longior, dicitur, quæ Altitudinem ad Longitudinem duplam habet. Est vero poscente necessitate utilis ea multis modis. nam & fallere hostes, tanquam si pauci sint in ea, quod Latitudinem vix habeat, & facile perrumpere densatione sua ac constructionis robore hostiles copias possit, & latenter per angusta locorum commode transire. Opponitur autem illi Pedestris manus, quæ Plagia, seu Transversa Phalanx vocatur. nam in Latitudinem se extendit, ut licet perrumpatur, Altitudo tamen, quæ perrumpitur, exigua sit, atque Equitum ferox impetus non in Turbam, sed in aëra compendio efferatur. Etenim propterea Longitudinem Latitudine multo maiorem habet.

Turma

Turma equitum oblonga, seu parte altera longior.

γ γ γ
γ γ γ
γ γ γ
γ γ γ
γ γ γ
γ γ γ
γ γ γ
γ γ γ
γ γ γ
γ γ γ

Phalanx peditum transversa.

d d d d d d d d d d
d d d d d d d d d d

CAP. XLV.

De altera Turma Rhombiformi, quæ versat quidem, non etiam iugat: & de opposita ei Acie Pedestri, quæ inflexa Antrorsum vocatur.

EST & altera Rhombiformis Turma, de qua nihil amplius dicere est, quam quod verset, non autem iuget. nam Formæ huius usum iam ante in præcedentibus

bus exposuimus. quod nimirum eam Ileon Thessalus invenerit, exercuerit autem postea Iason Medeæ maritus: utilis etiam sit, cum à quatuor angulis custodiatur, ab Ilarcha, a Tergiduce, & iis qui Plagiophylaces, seu Laterum custodes appellantur. Constructa autem est hæc Turma ex Hippotoxotis, ut Armeniis & Parthis moris erat. Opponitur vero ei acies peditum, quę Epicampius Emprosthia, seu inflexa antrorsum vocatur, quod flexum imitetur eius circumductio. Spectat autem illa ad fallendos Hippotoxotas, seu equites sagittarios; ut irruentes ipsos, ac iam in propinquum admissos, vacuo suo sinu medios excipiat, aut eos disturbatos cornubus suis repellat, ac fracto solutoque eorum impetu à mediis qui antesignani sunt, ita ii superiores sint.

Turma equitum Rhombiformis quæ versat, non iugat.

```
            γ
         γ  γ  γ
      γ  γ  γ  γ  γ
   γ  γ  γ  γ  γ  γ  γ
      γ  γ  γ  γ  γ
         γ  γ  γ
            γ
```

```
d  d  d  d                d  d  d  d
d  d  d  d     Frons.     d  d  d  d
d  d  d  d                d  d  d  d
d  d  d  d  d  d  d  d  d  d  d
d  d  d  d  d  d  d  d  d  d  d
d  d  d  d  d  d  d  d  d  d  d
d  d  d  d  d  d  d  d  d  d  d
```

Phalanx inflexa antica.

CAP. XLVI.

De pedestri Phalange, Inflexa retorsum, & quæ illi opponitur, Incurva, seu Gibba.

PHalanx, quæ Epicampius opisthia, hoc est, inflexa retrorsum dicta, & hæc quoque ad dolum excogitata ac constru-


cta


cta est. Aperta enim capacitate media paucos in cornubus præcedentes ostendit quidem, sed triplo plures pone sequentes habet: ut si quidem in cornubus positi sustinere impetum valeant, ipsi sufficiant. Sin minus, iidem facile ad utramque partem accurrentes maiori agmini uniantur.

Quæ dictæ Aciei opponitur adversa, ea Gibba vocatur, propter ordinis rotunditatem. Studet autem hæc coniunctas suas copias gibbera forma exiguas ostendere. nam circularia omnia in ipsa rotunditate exigua apparent: explicata vero, in duplam magnitudinē extenduntur, ut in columnis videre est, quæ orbiculares sunt. unde cum aspiciuntur, dimidium tantum earum conspicuum fit; dimidium occultum manet. Artificio hæc pulcherrima Acierum est, quod, cum se pauci hostibus ostendant, duplo plures impetum faciant, quam apparebant.

Phalanx

Phalanx inversa retrorsum.





Phalanx Gibba.

CAP.

CAP. XLVII.

De Turma Equitum, forma quidem Oblonga, sed non Numero: & de Phalange quæ ei opponitur, Embolo, seu Cuneo.

HÆc Turma, forma quidem Quadrata est, non tamen etiam Numero. In Quadratis autem non definitus est certus Numerus. Liberum enim est, duplo maiorem facere Longitudinem Altitudine, prout imperatori commodum videtur. Usi maxime sunt hac forma Persæ, Siculi, ac Græcorum plerique, rati & facilem esse eius instructionem, & usum aliis meliorē. Opponitur ei Phalanx, quæ Embolus, h.e. Rostrum, seu Cuneus appellatur: habetque omnia latera armatis obsita. Desumta autem hæc est figura ab Equitum Cuneis. sed in Equitibus unus exstans in fronte sufficit. in Peditibus tres requiruntur, quod unus hic ad faciendum in hostem impetum haud par sit. Ita Epaminondas Thebanus cum Lacedæmoniis confligens in Leuctris densato in Cuneum exercitu, plerasque eorum copias devicit. Fit autem talis Cuneus, cum Amphistomus Diphalangia anteriora cornua coniungit, posteriora disiungit, in formam literæ Græcorum Λ.

Turma

Turma equitum forma oblonga, non numero.

γ γ γ γ γ γ γ γ γ
γ γ γ γ γ γ γ γ γ
γ γ γ γ γ γ γ γ γ
γ γ γ γ γ γ γ γ γ

Frons.

d d d
d d d d d
d d d d d d d
d d d d d d d d d
d d d d d d d d d d d
d d d d d d d d d d d d d

Phalanx pedeſtris cuneata.


CAP. XLVIII.

De Plæſia, & Phalange: quæ ei opponitur, Acie Implexa.

PHalanx, quæ Plæſia dicitur, Longitudinem Altitudine multo maiorem habet. Plæſia autem appellatur, quod ab omnibus lateribus armati ſtent, ſagittariis ac funditoribus in medio conſtitutis. Qui tali formæ opponuntur, alii Aciem implexam adverſam inducunt, ut inæquali ſua forma


forma prolectent eos, qui in Plæsio sunt, impetum in illos facere, qui in implexa Acie exstant, atque ea ratione Densitatem Plæsiæ Aciei dissolvant. Quin observant etiam implexæ Aciei Lochagia adversi agminis ductores, ut sive densati illi sint, ipsi quoque ita repugnent; sive illi se in copiis suis dividant, & hi quoque ad divisionem parati prius ipsis occurrant. Plæsium autem dicitur, cum duobus lateribus Acies instruitur, non in Quadrata. sed oblonga forma.

Implexa phalanx.



Frons.

Plæsium. *Plæsium*



Frons.

CAP.


CAP. XLIX.

De Hyperphalangisi, Hypercerasi, & Leptysmo.

HYperphalangisis, hoc est, Phalangis circumventio; est, cum utroque cornu Phalangis hostes circumcingimus.

Hypercerasis, cum unico cornu hostes superamus. Itaque qui phalange superat, etiam altero cornu superabit: non autem vice versa, qui altero cornu tantum superior est, phalange tota etiam superabit. potest enim etiam is, qui minores copias habet, altero cornu hostes superare.

Hypercerasis.



Attenuatio Phalangis est, cum altitudo eius contrahitur, ac pro XVI viris, exempli causa, pauciores fiunt.

Hyperphalangiſis.



CAP. L.

De modis quibus Impedimenta ducuntur, quodque ii ſint quinque.

IMpedimentorum cura vel maxime neceſſaria eſt, & quæ Præfectum aliquem requirit. Ducuntur autem Impedimenta quinque modis. Aut enim præcedere copias debent : aut denique ab ipſis copiis concludi. Phalangem præcedent, ſi in hoſtilem agrum irruptionem facias : iuxta phalangem incedent, ſi in itinere metuas: intra phalangem, ſi concavum agmen ducere te contingat.

CAP. LI.

De Præceptis Imperatoriis, quod & brevia ea esse oporteat, & non ambigua.

POSTREMUM tandem erit, Armaturæ præcepta paucis tradere: si tamen prædixerimus, primum quidem, brevia ea esse debere, deinde non ambigua. nam propter eos, qui ea audientes cum celeritate obtemperare præceptis debent, evitare ipsas ambiguitates oportet, ut ne alii hoc, alii istud, contrarium scilicet, faciant. Exempli causa: si dicam, Declina; possunt, qui eam vocem audivere, alii in hastam, alii in clypeum inclinare. atque ea res haud exiguam perturbationem exhibebit. Cum igitur generis locum obtineat, dixisse, Inclina; iusserim vero, in hastam, vel in clypeum; oportebit pro eo, quod dictum erat, Inclina in hastam, dicere, In hastam inclina: hoc est, præponere speciem generi, ac tum inferre genus. ita enim omnes idem facient. Similiter etiam si dicas, Immuta, aut, Evolve. denuo enim hæc generis ordinem habent. Quare species præponemus, verbi gratia: In hastam Immuta, aut, In clypeum Immuta. ideoque & sic præcipiemus: Laconicam Evolve; Macedonicam Evolve: Choream Evolve. Sin

vero dixeris, præposita evolutione: Evolve Macedonicam, aut, Evolve Laconicam; eveniet, ut milites aliam, atque aliam Evolutionis speciem faciant. Hanc ob causam ambiguitates prædictæ evitandæ sunt, ac species generibus præponendæ.

Cap. LII.

Quod ante omnia silentium imperari debeat: & ut ad id quod præcipietur, attenti sint milites.

OPORTET vero ante omnia silentium imperare, iussu facto ut auscultent, atque attendant ad id, quod præcipietur. Quod etiam Homerus inter maxime observabilia notavit his versibus:

Armatisque duces præibant ordine in hostem
Constanter. quin quisque suis rite imperitabat:
At taciturni ibant reliqui, ut vix dicere posses
Tantum pone sequi populum, qui pectore vocem
Comprimeret, tacite metuens ducis aspera verba.
Sic Martem tacite miles spirabat Achivus,
Mutuum in auxilium discrimen adire paratus.

Bar-

Barbarorum vero inordinationem indecoram avibus aſſimilavit, inquiens:

Sicut aves volucres cum multis anſer olorve
Aut grus agminibus volitans prope ſtagna Cayſtri
Aſius in campis lætus trepidantibus alis
Labitur, ac pratum reſonat clangore frequenti:
Talis erat Troianorum per caſtra tumultus.
Nam nec lingua eadem, nec erat vox omnibus una.

Item alibi:

Cum ducibus ſteterunt inſtructæ acies utrimque.
Sicut aves Troes voce ac clangore ſtrepebant.
At tacite Martem miles ſpirabat Achivus,
Mutuum in auxilium diſcrimen adire paratus.

CAP. LIII.

Varia præcepta imperatoria quomodo enuntientur. Præſentis ſcripti Epilogus.

PRÆCEPTA fere hæc ſunt: Age ad arma. Adſiſte armà. Impedimenta à

phalange ſecedant. Tum etiam: Attendatur præcepto. Suſcipe. Recipe. Diſta. Surſum haſta. Verſa. Iuga. Reſpice ad Ducem: Tergidux quiſque ſuam decuriam dirigat. Intervalla conſerva. In haſtam Inclina. Procede. Ita conſiſte. In rectum redde. In clypeum Inclina. Procede. Ita conſiſte. Altitudinem duplica. Reſtituere. Laconicam Evolve. Reſtituere. Macedonicam Evolve. Reſtituere. Choream Evolve. Reſtituere. In haſtam converte. Reſtituere. In haſtam inflecte. Reſtituere.

Hæc tibi, Imperator, de arte Tactica doctrina à me explicata eſt, iis, qui eam ad uſum applicabunt, ſalutem: adverſariis autem præcipitem cladem allatura.

F I N I S.

PETRI SCRIVERII
CORRECTIONVM
MILITARIUM
Liber;
Sive
Animadversiones in Vegetium
DE RE MILITARI.
Primum
Ex intervallo XXV. *annorum recensitæ atq; auctæ, & nunc recusæ.*

CIↃ IↃC XLIV.

P. SCRIVERII CORRECTIONUM MILITARIUM Liber;

Sive

ANIMADVERSIONES IN VEGETIUM.

IN Titulo, AD VALENTINIANUM AUGUSTUM. Palatinorum codicum unus optimæ notæ agnoscit hic THEODOSIUM Imperatorem.

LIBRO PRIMO.

IN Prologo. *nisi post Deum faverit Imperator.*] Sic quidam MSS. Alii, *nisi prænotum fuerit Imperatori.* Et sic Editio vetustissima, iure merito mihi princeps; & instar manuscripti. Superestque mihi aliud exemplar MS. in quo legas, *nisi post Deum fuerit Imperator.*

Ibid. *Sic regnantium testimoniis crevit eloquentia.*] Ita princeps Editio, & aliquot Mss. In aliis est, *crebuit*, & *crebruit*, quod in Notis temere damnat Franciscus Modius: retractat ipse in Novantiquis, Epist. cxi.

Ibid. *ausibus literarum.*] Forte, *literatorum.* Mss. duo Modii, *usibus literar.* Quod & in uno meorum reperi. Reliqui, ut & Editio princeps, *ausibus.*

Ibid. *tanto inferiorem me a. s. esse vix sensi.*] Sic Editio princeps, & unus MS. Duo alii, *quamvis inferiorem*

riorem me a f. esse sensi. Quomodo Modiani.

Ibid. *ut, qua apud diversos.*] Duo mei Mss. *& idee qua a. d.*

Ibid. *De delectu igitur.*] Sic Mss. nonnulli; plerique tamen, *dilectu.* & sic etiam infra. Quomodo in omnibus fere vetustissimis libris Mss. scribitur. Nec aliter in Pandectis Florentinis. Nihilominus Caspar Barthius *delectu* præfert: uti etiam Modius Bonnensis sui exemplaris scripturam *de electione.*

Ibid. *Non, quo tibi Imp.*] Mss. aliquot mei, & tres Palatini, *Non, quod tibi Imp.*

Ibid. *antiquam consuetudinem conamur ostendere.*] Posse legi iam olim monui *conabor*: sic Palatinorum quartus, & Colonienses membranæ Modii, Mss. Barthii, *conabimur.* Mei omnes conspirant cum vulgg.

CAPITE I. in titulo, *armorum exercitatione*] Alias, *exercitione.* Infra in ipso contextu est *exercitio.* Quod hic malim: & sic repone in titulo.

Ibid. *Nulla enim alia.*] Hic omnes MSS. caput primum auspicantur, ut & Editio princeps. Neque aliter exemplar, quo olim usus fuit Blondus Flavius, Romæ Triumphantis lib. VI.

Ibid. *orbem subegisse terrarum.*] Mss. alii, *subiecisse.* Tò *terrarum* omittit Blondus, & aliquot editi: oscitanter, ne quid gravius dicam. In Augusti numismate aureo PAX ORBIS TERRARUM S. P. Q. R. Pingitur globus decussatim zona evinctus inter duos oleæ, sive lauri sint, ramos, in symbolum pacis universalis terra marique bellicis victoriis partæ.

Ibid. *Hispanos quidem.*] Palatinorum unus, *Spanos.* Sic D. Paullus in Epistola ad Romanos cap. XV. τὴν Σπανίαν pro *Hispania* dixit, vers. 24. & 28. Et *Spaniam* hanc regionem olim nuncupatam ostendit Cl. Ortelius in Thesauro Geographico. & *Hispalis* in Decretis (eodem teste) *Spalis* nominatur, & inde *Spalense* concilium, pro *Hispalense.* Vide, quem dixi, Geographorum nostri seculi principem, in dictione IBERIA.

Ibid.

Ibid. *sed etiam.*] Alius, *sed &*.

Ibid. *praestitisse.*] Mss. quidam mei, *praestasse:* & sic quatuor Palatini quoque.

Ibid. *Afrorum dolis.*] Alias, *Assyriorum*, sed non ego credulus illi.

Ibid. *nemo [unquam] dubitavit.*] Malo, *dubitabit.*

Ibid. *Sed adversus omnia.*] Alias, *hac omnia.*

Ibid. *tironem solertem.*] Mss. plerique, *solerter.*

Ibid. *in desides vindicare.*] Mss. quidam, *vindicando.*

CAP. II. in titul. *quibus regionibus.*] Alias, *nationibus.* quod reponendum.

Ibid. RERUM *ordo deposcit.*] Liber unus, *Verum ordo deposcit.*

Ibid. *vel regionibus.*] Et hic *nationibus* reponendũ, quod & à me inventum in aliquot Mss. à Modio in duobus & editione Momana. probaturque Stevvechio. quem vide.

Ibid. *Quo loco ea quae à doctiss.*] Liber unus, *quae doctissimis.* alius, *Quae loca à doctissimis.*

CAP. III. *& in labore nutritur.*] VV. *laboribus enutritur.*

Ibid. *balnearum nescia.*] In aliquibus *balneorum.*

Ibid. *ad omnem laborum tolerantiam.*] Mss. quidã, *laborem tolerantiamque.* Palatinorum quartus, *malorum tolerantiam.*

Ibid. *parco victu utantur.*] Alii libri, *parvo.*

Ibid. *in agrariis.*] Ita legendum ex membranis, & vetustissimo impresso: vulgo male *angariis.* Vide Stevvechium, & nos infra ad cap. ult. lib. III.

Ibid. *à civitatis illecebris.*] Mss. quidam *civilibus inlecebris.*

Ibid. *Quinctio Cincinnato viro optimo.*] Ita Edd. VV. & scripti quidam codices. Lego, *iure optimo.* Quanquam haec certe *viro optimo*, non extent in Editione principe, tribus meis Mss. & Palatinis omnibus. notavitque Stevvechius suis aliquot deesse.

In tit. CAP. IV. *tirones probandi.*] Alii, *legendi.*

CAP. IV. *incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat*] in Mss. aliquantis est, *incipiente pubertate, ad dilectum cogendum tironem.* & sic Blond.

Ibid. *perfectius imbibuntur, quæ discuntur à pueris.*] Omnes Palatini, meique tres scripti, & Ed. princeps, *imbuuntur.* Ita ut de mendo locum suspectum habeam, & legendum arbitrer, *perfectius imbuuntur atque docentur pueri.* In tribus quoque suis Mss. vetereque Ed. Parisiensi & duobus Susianis τὸ *imbuuntur* extare testatus est Stevvechius.

Ibid. *Deinde militaris alacritatis saltus.*] Quatuor Palatini, & omnes mei, *alacritas, saltus.* Quæ lectio utraque manu amplexanda, & auctori suo redonanda.

Ibid. *Nam primum iuventus, simul ac belli patiens erat.*] Palatinorum unus & Ed. princeps, *Nam simul ac iuventus belli patiens est.* Turbant Mss. mei, *Nam si nullus adventus b. p. e.* Et sic in uno illorum ab altera manu interpolatum erat. Emendabat Stevvechius, *iam primum iuventus simul belli patiens erat.*

Ibid. *per laboris usum.*] Alii codices, *per laborem usu.* & sic MS. Sallustius bello Iugurthino.

CAP. V. *tironum, à Consule Mario scio semper exactam, ita ut senos.*] In optimis membranis est, *tyronum quondam scio semper exactam, puta, ut senos.* In aliis aliter. Vide Stevvechium, & adhibe Cl. Salmasium ad Histor. August. Suspicatus sum aliquando, Vegetium scripsisse, *à Consule in area.* scilicet Capitolina, ubi dilectus à Consulibus peragebatur, Varrone apud Nonium in *tenebrione*, Polybio, Livio, aliisque auctoribus. Sed firmandæ sententiæ Salmasianæ, subiicere bonum hercules factum, quæ in membranis deprehenderim. Duo mei scripti diserte, *ad incomam scio semper exactam.* In Palatinis, *ad vicoma.* superaddita glossula, *mensura militum.* Et sic Isidori nomine publicatæ Glossæ.

Ibid. *adduxerat.*] Membranæ, *abduxerat.*

CAP. VI. *officium bellatoris.*] Mss. *efficia bella-*

bellatorum. Alii, *bellatores*.

Ibid. *Valentibus digitis, longioribus brachiis.*] Transpositione hic restituendus ac persanandus locus, ex fide MSS. & VV. librorum. *valentibus brachiis, digitis longioribus.* Atque ita omnino reponendum, etsi quidam Stevvechiani & mei dissentiant: uti & Blondus. Reclamant enim Palatini omnes, Editio princeps, & quatuor apud Stevvechium Mss.

Ibid. *exilior cruribus.*] Editio princeps & duo membranacei mei, *clunibus*. Blondus, *ventre modico, exilioribus cruribus & pedibus.* Vnus Palatinorum, *exilior sive expeditus cruribus.* meorum alter, *clunibus suris expedibus*: alter *clunibus suris expeditus*: tertius, *exilior cruribus, suris & pedibus.* Exerceant se ingeniosi, ego propero.

Cap. VII. *Respuendi.*] Duo mei scripti, *repudiandi.* Et sic totidem Palatini. Neque aliter Auctor infra.

Ibid. *Aucupes, dulciarios, linteones.*] Ita tres mei scripti. Editio princeps non agnoscit *linteones*. Palatini tres habent *lentiones*. & addit aut superimponit unus meorum *pigmentarios* super vocem *dulciarios*, instar glossæ. Et in membranis Stevvechii fuit partim *lintiones*, partim *lentiones*. De qua voce consulendus ad Hist. Aug. Cl. Salmasius. Blondus portentose citat, *aucupes, sellularios, aliones*. & docet ex Livii octavo, *sellularios*, id est, opifices sedendo opus facientes, minime aptos militiæ fuisse. Livii verba sunt: *Mamercus Consul, cui Gallicum evenerat bellum, scribere exercitum sine ulla vacationis venia, quin opificum quoque vulgus, & sellularii, minime militiæ idoneum genus, exciti dicuntur.*

Ibid. *qui aliquid tractasse videbantur ad gynaecea pertinens.* Iterum hic Blondus festive, *qui aliquid tractasse videntur id generis.*

Ibid. *in prima dilectuum examinatione.*] Alias, *dilectus* & *dilectorum*.

Ibid. *in Sertorio.*] Ita biga manuscriptorum meorum, & Ed. princeps. Tertius meorum omittit, ha-

betque tantum, *inter varia genera virtutum constat esse laudatum*. Omittit quoque Ioan. Sarisberiensis. Duo Stevvechiani, *in pratoriis*. Liber Collegii trium coronarum, *infercorio*. Vide Stevvechium. Putavi aliquando reponendum *in Statorio*. De quo Livius lib. XXIV. *Et Statorius ex multa iuventute pedites conscripsit, ordinatosque proxime morem Romanum decurrendo signa sequi, & conservare ordines docuit, & operi aliisque institutis militaribus assuefecit*. L. Statorii meminit Frontinus lib. I. cap. I. Sed, si verum amamus, quid ni eadem acer Sertorius præstiterit? Cuius egregia facinora multa prodidit idem noster Frontinus, lib. I. cap. V. X XI. & XII. lib. II. cap. I. III. V. VII. XII. & XIII. Legendus quoque Plutarchus in Sertorio.

Ibid. *si pluribus stipendiis*] Id est, annis. Sic passim classici auctores, Livius, Tacitus & Iurisconsulti. In veteribus Inscriptionibus cum legimus STIP. IV. V. &c. significatur eum tot annos militasse.

CANDIDIMUS
. VERAX. EQ.
S. SING. VIXIT.
ANN. XX. STIP.
IV. &c.

Item
DIS. MAN.
Q. TITIO. RUFO
MILITI. URBA
NICIANO COH.
XI. STIP. V.
VIXIT. ANN. XX
IULIA GRATA MATER
FILIO. PIENT. FECIT.

Passim etiam in veterum monumentis & inscriptionibus *stipendia* atque *æra* pro annis. Apud Gruterum pag. DXXI, I. MILES AN. XLV. STIP. XXIV. id est, annorum quadraginta quinque, & stipen-

pendiorum viginti quatuor. pag. MCVII. 3. STIP. XXVIII. id est, stipendiorum duodetriginta. pag. DXXI. 6. STIP. XXX, & STIP. XXXV. id est: stipendiorum triginta & triginta quinque. Pap. DLXXIII. 1. 2. 3. Veterum expresse, QUI QUINA & VICENA STIPENDIA AUT PLURA MERUERUNT. SENA ET VICENA STIPENDIA EMERITA, HONESTA MISSIONE DIMISSI.

Ibid. *defensio provinciarum.*] Palatinorum unus, *defensa* pro *defensione*. sic infra *caesa*, & *puncta*, cap. XII.

Ibid. *dum possessoribus.*] male, meo iudicio, correxit magnus Cuiacius. Vide Nomenclatorem Strategicum.

Ibid. *dissimulationem probantur, talesque sociantur.*] Melius, *probantium tales sociantur.* Vide Stevvechium.

CAP. VIII. *inscribendus,*] Codices optimi, *scribendus.*

Ibid. *distendit.*] Stevvechius, *extendit.*

CAP. IX. *Sed ad cursum.*] VV. *Sed & cursu*: pro *cursui*. vide Stevvechium. cum quo Ed. princeps & tria mea Mss. exemplaria consentiunt.

Ibid. *hoc memorat.*] τὸ *hoc* non agnoscunt boni libri.

CAP. X. *non solum ab hoste.*] Quidam libri hic τὸ *natandi* inserunt, quod improbat Stevvechius.

Ibid. (*quos Galerios vocant.*) Infra Vegetio dicuntur *Galearii*; lib. III. cap. VI. De quo consulendus Cl. Salmasius, qui docte studioseque super his disserit ad Histor. August.

CAP. XI. *duplicia aeque ponderis.*] Quid si, *dupli*, ut infra?

Ibid. *post meridiem.*] Mss. *a meridie.*

Ibid. *accederet, recederet.*] Sic rescripsimus, auctore Stevvechio, cuius opera & unius libri auxilio suppletus hic locus. Omnes ante meam editiones τὸ *accederet* ignorant; & Ed. princeps etiam τὸ

τὸ recederet. Reliqui omnes libri MSS. concinunt vulgg.

CAP. XII. *quam videatur.*] In plerisque est, *videat.*
Ibid. *duplicis autem ponderis.*] Rectius VV. *dupli.*

CAP. XIII. *campidoctoribus*] Ed. princeps & Stevvechius *campiductoribus*. non bene Salmasius mavult, *armiductoribus*. Sed nihil mutandum, quod docendum uberius alio loco.

Ibid. *armaturis melius pugnari, quam cæteris.*] Sic idem Stevvechius; cum vulgo esset, *armaturam melius pugnare, quam cæteras.* quemadmodum etiam in tribus meis scriptis. Editio autem princeps ita ut à nobis & Stevvechio editum est, habet. Palatinus 1. *armaturos m. p. quam cæteros.* Palatinus quartus, *armatura m p. quam cæteris.* De armaturis consulatur Salmasius ad Hist. Aug.

Ibid. *duplicis remunerentur annonis.*] Libri optimi, *duplis* Quod repone.

Ibid. *in illa prolusione.*] Alias, *prælusione.*

CAP. XV. in titulo: *tirones imbuendos diligenter.*] Sic Mss. fere omnes.

Ibid. *rectum sagittare doceant.*] Mss. quidam, *doceantur.*

CAP. XVI. *sine invidia sanguinis.*] Sic aliquot Mss. & Ed. princeps. Palatinorum unus, *sine sanguine.* Meorum unus, *sine via sanguinis.* Alter prodigiose, *signa via sanguis.*

CAP. XVII *quoque exercitatio*] Mss. *exercitio.*

Ibid. *Martiobarbuli*] Quidam Mss. *Matiobarbuli* & *Mattiobarbuli.* sic & infra. Alii, *Marciobarbulos*, legunt. Si cui iocularia arrident, videat Turnebum, Adversariorum lib. XXIV. cap. XII. De his in Nomenclatore Strategico.

Ibid. *milites iaciunt.*] W. *iactant.*

Ibid. *mutuari videntur.*] In optimis Mss. & VV. *imitari.*

CAP. XVIII. *à stipendiariis.*] Optime Mss. & Ed. princeps, *ab stipendiosis*. Dicebantur *stipendiarii* qui pendebant, *stipendiosi* qui merebant iam aliquot annis stipendia. Hinc Varroni *limites stipendiarii*, Livio *tivi-*

civitates stipendiariæ, & in antiqua lege Agraria, AGRI STIPENDIAREI. id est, vectigales. Extat fragmentum Legis apud Fulvium Ursinum, & Gruterum Inscription. pag. ccv. Ennius:

--- Pœni stipendia pendunt.

Nempe stipendiarii dicti, quod stipem pendebant: Unde & Stipendium. Ulpianus l. ager. 27. ff. De verborum signific. *Stipendium à stipe appellatum est, quod per stipes*, hoc est, *modica æra, colligatur.* Vox hæc autem *stipendiosus*, elegans inprimis & inter rara repertu. Omnia istiusmodi inclinamenta nimium ac præter modum significant, ut ait Nigidius Grammaticus apud A. Gellium lib. IV. cap. IX. Quem vide. Varro apud Servium P. Danielis Æneid. XII. *suspendiosos* dixit, hoc insigni fragmento, ex libris, ut opinor, De vita Populi Romani: *Suspendiosos*, inquit, *quibus iusta fieri ius non sit, suspensis oscillis, veluti per imitationem mortis, parentari.*

Ibid. *semper exacta.*] Alias *exercenda*: minus bene.

Ibid. *super hos iuniores.*] Mss. *quos supra iuniores.*

Ibid. *demum.*] Alias, *deinde.*

Ibid. *sine mora ascenderent.*] Ita omnes: tamen satagei quidam *escenderent* volunt: stolidiores an vaniores incertum.

CAP. XX. *utique*] Abest in aliquibus.

Ibid. *postulant.*] Sic unus meorum. Alii, *postulabant, postulatum.*

Ibid. *deinde cassides deponere.*] Duo meorum, *cassides se deponere.* Tertius, *cassides cessare refundere.* Ed. princeps, *cassides se debere fundere.* Stevvechianorum quidam, *cassides se debere refundere.* Repone, *cassides refundere.* & vide Stevvechium.

Ibid. *sine cataphracta, sine galea, qui cum.*] Ita distinguendus hic locus ex fide membranarum.

Ibid. *esse constat & pectora.*] Mss. *constant.*

Ibid. *raro meditanti arma, raro tractanti.*] Stevvechius. *raro meditanti, raro arma tractanti.*

Ibid. *aut capi, aut certe fuga Rempublicam prodere.*] Lib. V. *aut certe capi aut fugere, aut Remp. p.*

Ibid. *intra scuta subsidere.*] Alias *subsistere.* minus bene.

bene. Pro recepta lectione est ipse Vegetius lib. II. cap. XVI. & Virgilius Æneid. XII.

Subsistit Æneas, & se collegit in arma,
Poplite subsidens - - -

Et lib. X. v. 412. dixit *colligere se*, ut Statius Papinius *curvare in arma.*

Ibid. *Missilia, quibus utebatur pedestris exercitus, pila vocabantur.*] Sic Editio princeps, aliæque post secutæ. Tres membranacei codices nostri, *Missilibus quibus utebantur p. e pila v.* Barbarum ac solœcum videatur nonnemini. Non est. Locutus est cum veteri auctore, ex quo hæc hausit Vegetius; ea figura, qua Poëta, *Vrbem quam statuo, vestra est*, Æneidos I. Antiptosin dicunt Grammaticorum ac Rhetorum filii. Sic furatus aliquoties noster verba antiqua, & locutiones. Supra hoc libro cap. IX. *cursu* pro *cursui* dixit *Sed & cursu præcipue assuefaciendi sunt iuniores.* Sic uno ore auxiliares nostræ copiæ. Sic autoritate trium codicum suorum, & quatuor Susanorum, legit Stevvechius: Et hoc orationis membrum à veteri de disciplina Militari scriptore Vegetio suppeditatum censet. Sic Varro *exercitu* pro *exercitui* non semel dixit. Extantque apud Nonium Marcellum exempla, Antiquos, & inter illos doctissimum togatorum, dativum pro ablativo, & contra, frequenter usurpasse. Quin etiam Maro VI. Æneidos sic locutus:

- - - *teque aspectu ne subtrahe nostro*

Ibid. *sive pedali.*] Legerim libenter, *sine pedali.* De quo alias, volente Deo, dicetur quod satis sit.

Ibid. *quæ in scuto fixa non possent abscindi.*] Mss. *quod in scutum fixum non posset* (alias, *potest*) *abscindi, & loricam, scienter ac fortiter directam, facile perrumpit.*

Ibid. *armorum constat esse.*] Palatinorum unus, *antiquorum armorum.* mei tres repræsentant ad hunc modum, *instruendos igitur ac protegendos omni antiquorum genere constat.* Ed. princeps consentit vulgg. excepto quod inserat *antiquorum*

quorum arm. & sic quidam meorum.

CAP. XXI. *autem confidentes.*) Stevvechius, *confidentes.*

Ibid. *& more animalium inulti cadunt.*) Ita legendum Palatino vulga. & Mss. plerique perperam *multi.*

CAP. XXII. *ne mons sit vicinus altior.*) In quibusdam membranis est, *vicinior aut altior.*

CAP. XXIII. *prout loci qualitas.*) Mss. quidam *quantitas.*

Ibid. *post pratoriam est.*) scribe cum Mss. *pratorium.* de quo vide Stevvechium.

CAP. XXIV *ut in ante.*) Ita omnes meliores libri. vulgo, *ante.* Occurrit & *in ante* supra cap. XX.

Ibid. *tunc legitima.*] VV. *latissima.*

Ibid. *egesta.*) alias, *levata.*

Ibid. *rastra*) Stevvechius, *rutra.* In Palatinorum uno, *rustra.* Vnde adstruitur emendatio viri doctissimi.

CAP. XXV. *qua tertia, donec, qua quarta.*) membranæ quædam inferunt, aliæ *donec* excludunt.

CAP. XXVI. *ne ubi contra.*] Vide Stevvechium.

Ibid. *prastant.*] In plerisque Mss. *dabunt.*

Ibid. *acies ipsa metanda est.*] VV. aliquot, item Modestus, *vertenda est.*

CAP. XXVII. *ita ut ad equestrem meditationem.* Mss. apud Stevvechium in ora, *ad aqualem.* Palatinus I. *ad aquam.* Cæteri omnes non variant.

Ibid. *impetus repararent.*] Stevvechius *impetus reparent.* ex libris, ut ait, optimis, cum vulgati *repararent* circumferrent. *Reparent* tamen Ed. princeps. Membranæ quædam, *in praliis reparent, in praliis separent;* item, *impetus seperent.* In vetustissimo edito Stevvechius legit, *repedarent*, in duobus Susianis, *recursu quodam in praliis repedarent.* De qua lectione vide eius Commentarium. Perlatum est ad me, in quatuor Palatinis, & uno Gruteriano, esse *reparent.* Et paulo ante in iisdem Palatinis omnibus legi, *sequantur, interdum cedant.* uti in omnibus meis. Totum locum recte me constituisse arbitror, ad hunc modum:

modum: *Equites quoque divisi per turmas, armatique, similiter tantum itineris peragebant. ita ut ad equestrem meditationem interdum sequantur, interdum cedant, & recursu, quodam impetu, se parent.* To *recursu* hic iterum antique pro *recursui*. De quo vide ad cap. xx. *Ad equestrem meditationem* valet ex disciplina equestris exercitii, ad exemplum meditationis campestris. Quid si Flavius scripserit? *&, retruso equo quodam impetu, trepidarent.* Nam *trepidare* equorum proprium. Servius in Æneid. lib. III. hoc versu: *Dum trepidant ala. - - - Quidam ab equis, qui hodieque trepidare dicuntur.* Cato, *Sedere non potest in equo trepidante.*

CAP. XXVIII. in titul. *De adhortatione rei militaris*, &c.] Lemma ridiculum. Adhortatur auctor ad rem militarem Romanamque virtutem. Non virtus aut Militia ipsa loquitur. Quare scribe: *De adhortatione ad rem militarem, Romanamque virtutem.*

Ibid. *Hac, Imperator invicte, de universis.*] Malim, *H., Imp. invicte, è diversis.* Sic Artis Veterinariæ lib. I. cap. ult. *Sequenti volumine à vertice usque ad ungulas ex diversis auctoribus enucleatas animalium publicavimus curas.* itemque prologo lib. III.

Ibid. *enucleata congessi.*] Utrum sic, an *enucleate*, ut Cicero, an *enucleatim* cum ipso Vegetio lib. II. cap. VI. legas, non admodum elaborandum. Alaricus Imp. in Commonitorio: *Quibus omnibus enucleatis, atque in unum librum prudentium electione collectis.* Hinc, *Libri Iuris enucleati.*

Ibid. *nec effœta*] Modestus *defecta*. A recepta lectione non abeunt Mss. & VV. Coloniensis tamen Modii cum Modesto *defecta* habent.

Ibid. *Epirotæ.*] Mss nostri constanter *Epiri*. Stevvechiani aliquot *Epiri Pyrrhi*. Unde Gulielmius, *Epirota Pyrrhi* Vide Stevvechium.

Ibid. *Mæsos.*] Ita consensu meliores libri. vulgo *Medos*. Modestus *Mysos*; & sic Palatinorum unus.

Ibid. *ad delectationem otii.*] W. aliquot & Ed. princeps habent *dilectionem*. male.

Ibid.

Ibid. *viginti, & quod excurrit, annorum pax.*] Sic optime Ed. princeps, & meliores Mss. Pessime VVecheliana atque aliæ, *viginti quatuor circulis excursis annor.* & ridicule sic fere duo codices Palatini.

Ibid. *tot itaque.*] Sic in emendatioribus libris. Stevvechii liber mavult, *tot ubique.*

Ibid. *tot ducibus.*] Absunt Palat. 1. & mox pro *vilius* habent Ed princeps & duo scripti, *utilius.* quod sane vilius & inutilius hoc loco.

LIBRO SECVNDO.

IN prolog. *armatura.*] Palatini omnes, Mss. & Ed. princeps, *partis armata.*

Ibid. *antiqua desiderat.*] W. *ex libris antiquorum ea d.* Item, *ex libris antiquorum desiderat.* Item, *ex libris antiquorum audire desiderat.* Lege mox, *cum ipsa antiquitas f. r. a.*

Ibid. *mandatis.*] Alias, *præceptis.*

Ibid. *timore.*] In VV. quibusdam est, *modo*: & sic Ed. princeps.

ibid. *si negassem.*] In iisdem W. *neglexissem.*

ibid. *delectu.*] Mss. *dilectu.*

CAP. I. *Equitum alæ dicuntur.*] Sic Modestus. Modius ex W. *Equitum alii alares dicuntur*: & sic unus meorum Mss. Probe, nam sequitur, *Est & aliud genus equitum.*

ibid. *à velo, quia velis.*] membranæ Stevvechii habent, *ab eo quod velis.* non ita mei Mss. sed Ed. princeps.

ibid. sollicitandum non est *flammulis?* perperam enim hic viri dati *flammeola* nobis obtrudunt.

ibid. *equites sunt instituti.*] in quibusdam *milites.*

ibid. *peditum.*] W. constanter, *militum.*

ibid. *in auxilia & legiones.*] Melius, *in legiones & auxilia.*

ibid. *Romana autem virtus.*] Mss. legit, *Romana autem res.*

CAP. II. *Barbarica.*] Optimi libri *Barbara.*

ibid.

Ibid. *ex diversis numeris venientes.*] Hæc genuina lectio est. antea fuit *muneribus* : Modestus *moribus* videtur legisse. sed optime Mss. *numeris*. Malim quoque *convenientes*.

Ibid. *Documentum est.*] Palatinus I. *documento e.*

CAP. III. *aliquantos militiam deserere.*] Ex Mss. constat τὸ *militiam* glossematium esse.

Ibid. *sera munera.*] Exemplaria optimæ notæ constanter, *plura*.

Ibid. *severior disciplina.*] Ita Ed. princeps. Tres Mss. nostri, *savior*.

Ibid. *ob eiusmodi comprobatur industriam.*] Iterum libri optimi, *ab eiusmodi comprobatus industria.*

CAP. IV. *cuivis.*] Stevvechius, *cuicui*: nostri non discedunt à vulgg.

CAP. V. *nam puncturis.*] Vera atque indubitata lectio est, *victuris*.

Ibid. *milites scripti & matriculis inserti.*] Mss. *m. scripti cum matriculis inseruntur.* Expende quid Blondus Flavius velit in Roma Triumphante : *Post secunda*, inquit, *Imperii adhuc stantis (licet cadere incipientis) tempora cœpit dici, sicut & nostra ætate fit, eum militem ad soldum conduci, cui promittitur stipendium, licet annuum: Cassiodorusque, Vegetius & Frontinus* Solidatum *fuisse in militia scribunt eum, cui stipendia ab Imperatore promissa erant.* Hæc ille cap. VI. Et eum secutus, ut apparet, non dissimilia Volaterranus lib. XXX. *Dicebantur delecti & auctorati : postremis vero temporibus* Matriculati *&* Solidati. *Cassiodorus, Vegetius, & Frontinus* Solidatum *fuisse in militia scribunt eũ cui stipendia ab Imp. promissa erant: unde vocabulum hodie* Soldatorum *est.*

Ibid. *deserturos militiam.*] Tolle iterum glossulam.

CAP. VI. *triginta duos.*] Mss. *duo.* Alii, *triginta sex.*

Ibid. *enucleate.*] VV. aliquot, *enucleatim*. Vide ad cap. ult. libri prioris.

Ibid.

Ibid. *viginti sex.*] Pleriquelibri, *triginta.*

Ibid. *in una legione.*] in V. & Modesto *unaquaque.*

CAP. VII. in titul. *Principum.*] Alias, *principiorum.*

CAP. VII. *Principum nomina.*] Omnes mei, Palatini, VV. tam editi quam Mss. legunt, *principiorum.* Vide Stevvechium.

Ibid. *ferunt.*] Alias, *portant.*

Ibid. *adoptati eorum* &c.] Membranæ aliquot, & Modestus, *adoptati.cum eorum vicario.* Legerim utrobique *ceu eorum vicarii.*

Ibid. *Campigeni* &c.] Pro, *exercitii genus crescit in campo*, habent meliores libri, *exercitui ingens vis e. i. c.* sic duo Stevvechiani. Totidem nostri, *exercitui* pro *exercitii.*

Ibid. *Torquati duplares. Torquati simplares.*] Tametsi sic scripsi, videtur tamen legendum, *T. d. T. sesquiplares.* & sequentia ad hunc modum restituenda, iubentibus Palatinis omnibus, Gruteri Mss. & fidelioribus membranis. *quibus torques aureus solidus* (al. *solida*, & *solum*) *virtutis præmium fuit. quum qui meruisset, præter laudem interdum duplas consequebatur annonas.* [*Duplares, sesquiplares.* Hæc irrepsere fortassis è margine in contextum.] *Duplares duas, sesquiplares unam semis consequebantur annonam. Candidati*, &c. Neque dubitabis de lectionis veritate. Qui hic *Duplares* & *sesquiplares* aliter dicti *Duplarii*, & *sesquiplarii.* Hyginus Gromaticus, vindicatus à nobis, & primum ante XXV. annos typis formulariis editus, quantum quidem ex membranis prodigiosissime exaratis tum colligere potuimus: nunc autem plura indidem extricavimus. *Alia miliaria turmas habet* XXIV. (error in calculo) *in eisd. Decuriones, Duplicarii, Sesquiplarii, itemque numeri turmarum stabunt, Equos singuli Decuriones ternos, Duplicarii & sesquiplarii binos* (habent. Huc facit vetus inscriptio.

D. M.

D. M. S.
C. ANTONIO. C. F. FLA
VINO. VI. VIRO. IUN.
HAST. LEG. II. AUG.
TORQ. AUR. ET. AN. DUPL. OB. VIRT.
DONATO. &c.

Ibid. *Candidati simplares.*] Hæ duæ voces absunt Palatinis omnibus: non meis, non aliis. *Candidati*, militum genus. Ammianus Marcellinus lib. xxv. & Historiæ ultimo. Procopius Gothicorum III. Cedrenus. Fasti Siculi. Vet. inscript. Alii. De quibus consule Nomenclatorem nostrum strategicum.

Ibid. *Hi sunt milites principales.*] Tò *principales* deest Ed. pr.

Ibid. *Vel qui munifices, quia munia facere coguntur.*] Tres mei scripti & Ed. pr. *munera*. & sic esse in libris aliquot annotaverat Stevvechius. quem vide. In altero meorum ita legitur; *quia propter munera facere militiam coguntur*. Haud vidi magis. Receptam lectionem asserit Ammianus Marcellinus lib. xxv. *Imperatori parcius cænaturo pultis portio parabatur exigua, etiam munifici fastidienda gregario.* Si cum Stevvechio quis *munera* malit, videat num probare possit coniecturam mihi sub manu natam, præsidio manu scripti exemplaris, in quo legi iam monui, *munera facere militiam c.* Eccillam: *quia munera facere militia coguntur*. Lucretius: - - *fera munera militiaï.*

CAP. VIII. *Princeps autem primæ cohortis.*] Palatinorum I, *Princeps autem secundus p. c.* Reliquorum Mss. cohors tota respondet vulgg.

Ibid. *quæ in legione ordinata sunt.*] Rectius cum Mss. legeris, *ordinanda*.

Ibid. *Erant enim.*] Omnes libri, *etiam*, atque ita legendum.

CAP. IX. *Legati Imperatoris ex Consularibus.*] Stevvechius ex Mss., *ex Consulibus*. & sic mei omnes.

Ibid.

Ibid. *plures numeri gubernantur.*] Mss. Hæc scriptura, auctoris genuina est. Putide vulgo in omnibus, *plures numero.*

Ibid. *Præfectus legionis habens Comitivam primi ordinis dignitatem.*] Ita cum in Wecheliana & aliis editionibus esset, *communem pr. ord. d.*, restituit eleganter Modius. Sic Modestus, sic de impressis Romana editio, sic denique membranæ, quæ subsidia ipse habuit. Diserte autem triga Mss. meorum, Editio princeps, codices Palatini, & Gruteri, *Comitive.* Scribe itaque *Comitivæ.* Dicebatur *Comitiva primi ordinis.* Cassiodorus Variarum VI. cap. XII. *Quocirca provocati moribus tuis Comitivam tibi primi ordinis largimur.* Cod lib. XII. cap. I. De Comitibus rei militaris: *Qui contemplatione meritorum ducto intra provincias transmarinas strenuissimo milite primi ordinis Comitivam fuerint consecuti.* Ipsorum, qui Comites in hoc consistorio primi ordinis erant, dignitas, non *Comitiva*, sed *dignitas Comitiva* appellabatur. Quare in eodem Cod. cap. II. etiam rescribendum: *Eos qui sub Comitivæ primi ordinis dignitate peculiariter ad provincias defendendas milite credito auctoritate nostri numinis destinantur.* Vulgo legitur, *sub comitiva pr. ord. dignitate.* Sed exemplorum satis est. Plura in Constitutionibus Imperialibus, Inscriptionibus antiquis, in Cassiodoro, & aliis.

Ibid. *Exercitatio.*] Mss. *exercitio.* vide Stevvechium.

Ibid. *Ipse a. custos.*] Sic tria Mss. Sed Palatinorum I. *iustus.* Et sic Pomponius Lætus de Magistratibus cap. XII. Editio princeps, *iustum.*

Ibid. *creditam.*] Alias, *traditam.* Quod in uno codice lectum cur amplexetur Stevvechius, equidē nescio. Supra ad hoc ipsum caput ex Cod. lib. XII. adscripsimus, *milite credito.*

CAP. X. *destinatio pertinebat.*] Libri saniores, *æstimatio.* & placet Stevvechio mihique. *designatio* Lipsio.

Ibid. *sagmarii.*] Hæc optima, hæc vera lectio: pessime antea, *sagittarii.*

Ibid.

Ibid. *secatur.*] Stevvechius, *serratur.*

Ibid. *contexitur vallum aqua ductus.*] *Consepitur vallum, aqua educitur*, Ianus Gulielmius. Sed necdum sic persanatus locus pessime. De quo nos alio loco.

Ibid. *ut recte.*] ita Mss. & Ed.pr. alias *certe.*

CAP. XI. *Habeat praeterea legio fabros lignarios, instructores.*] Mss. aliquot: *fabros tignarios, structores.* Probat Modius, & ante eum Galliae suae praeclarum sidus & literarum columen A. Turnebus: nec aliter citat maximus Budaeus. Ego vero *instructores* illos non facile effurcillaverim ex hoc loco: neque ex Paterno I. C. in l. ult. De iure immun. ubi cum *buccularum structores* fide Pandect. Florent. vulgo habeamus, & Viri docti emendent, *buccularii, structores*; mihi totidem apicibus potius faciendum videtur, *buccularii, instructores.* Nam *instruere* ἐνκτίζειν, aedificare. Solinus Polyhistor cap. I, *incensis navibus posuisse sedes, instruxisse moenia.* quam lectionem manuscriptorum omnium contra insulsum Delrionem asserit elegantissimus Salmasius. Sic *instructura* pro *structura*. Isidorus: *Instructura autem parietum ad normam fieri & ad perpendiculum respondere oportet.* & alibi de calce: *usus eius instructuris fabricae necessarius.* Et Solino etiam *instruices caementitia* cap. XXVIII. quae alias *struices*. Apud Martialem pro *extructis toris* & similibus locis, Membranae *instructos toros* exprimunt.

Ibid. *pictores.*] Alias, *pistores.*

CAP. XII. *milites mittebantur.*] Ita MSS. sed Ed. pr. *ponebantur.*

Ibid. *per hanc laudatur industriam.*] MSS. *Tribuni laudabatur industria.* Quod laudo, alterum tineis pabulum mando.

Ibid. *incedit.*] Iidem, *incedebat.*

CAP. XIII. *Antiqui quia sciebant.*] Libri quidam VV. & Modestus, *quis.*

Ibid. *ne hoc posset.*] MSS. omnes melius, *possit.*

Ibid. *ita ut ex qua cohorte* &c,] Stevvechius, *Ita ut quae cohors, quota esset centuria, illi vexillo* &c.

Abnu-

Abnuunt libri. Quare ego, si quid mutandum, malim: *Ita ut ex qua cohorte, quota ex centuria, illi vexillo esset adscriptum.*

Ibid. *aberrare non possent.*] Mss. iterum melius, *possint.*

Ibid. *quod intuentes.*] Legerim, etsi non iuvor à Mss. & W. *quo, id intuentes.*

Ibid. *transversis cassidum cristis.*] Membranæ quædam tam apud Stevvechium, quam ad me, inserunt, *cristis literas habebant.* & Bonnense exemplar Modii, *literas habentes.* De qua re cum nihil alibi inveniatur, nec verosimile sit, in galea literas habuisse, quas magis vexillis inscribi solitas, ex hoc ipso Capite cognoscitur, prudenter Modius hoc tantum monendum putavit. Vt ut sit, vel cœco apparet, Vegetium hic docere, Centuriones in galeis aliquod signum habuisse, ut internoscerentur. Neque hoc Capite solummodo id tradit, sed eodem hoc libro cap. XVI. diserte: *Centuriones*, inquit, *habebant cataphractas, scuta, & galeas ferreas, sed transversis & argentatis cristis, ut facilius agnoscerentur à suis.* Assentior itaque viris doctis de mendo manifestario. Apud Christianum Wechelum an. CIↄ Iↄ XXXV. & alios legebatur antea, *Centuriones insuper q. n. c. v. nimium bellicosos loricatos transumptis cassidum cristis, ut facilius noscerentur, singulas iusserunt g. c.* Inveteratum sane mendum: quod cum tollere non posset Modestus, tanquam nodum Gordium gladio pertrupit, atque hæc effinxit, saltem ut ex animi sui sententia tolerabilis aliquis sensus esset: De Vocabulis itaque Rei militaris, quem totum libellum ex Auctore nostro transscripsit. *Centuriones*, inquit, *qui nunc Centenarii vocantur, nimirum bellicosas loricas transversis cassidum cristis, ut à suis facilius noscerentur, habebant, quique singulas gub. i. c.* Modius ad has sordes, pelvim merito poscit. Stevvechius emendatione digna censuit, pro *quique* rescribens *cuique*. Sed quam misere natat in hoc loco Vegetii vir optimus, quam varias & vanas coniecturas adfert! pro quarum optione ne Afranius nauci daret, nec ciccum suum Plautus offer-

ret. Vide, si placet, in Commentario, & ride. Nos quoque, si videbitur, non minus ridiculosa fortassis somniantes. Vide tamen, quid nobis in mentem venerit. Iacta sit alea. Dicit Vegetius, Antiquos cohortes in centurias divisisse, & singulis centuriis singula vexilla constituisse, literis & notis inscripta, unde constaret cuius cohortis ea centuria esset; ne milites commisso prœlio ab exercitu & signis suis aberrarent. Subdit alterum signum continendis in ordine militibus. Nempe, eosdem maiores insuper ordinasse ac iussisse Centuriones singulas gubernare centurias, ita ut belli tempore armati certum in galea signum præferrent, eodem fine, scilicet, ut internoscerentur à gregariis, & quisque suum ducem, nobili apice insignem, sequeretur. Huc videntur ire corrupta nimium quantum verba, hæc sententia latere sub distorsissimi sensus involucro. Quare ad hunc modum emendabam: *Centuriones insuper, nimirum belli causa loricatos, transversis* (an, *diversis*) *cassidum cristis singulas iusserunt gubernare centurias, ut facilius noscerentur. Quatenus nullus error existeret, cum centeni milites sequerentur non solum Vexillum suum, sed etiam Centurionem, qui signum habebat in galea.* Memini me alibi legisse de lorica cucullata, id est, lorica quæ galeam annexam haberet. Nescio an eiusmodi loricæ ζάβαι appellatæ. De quibus Mauricius Strateg. lib. 11. cap. 11. Iustinianus Novella LXXXV. Leo Constit. VI. Vide Rigaltium & Cl. Meursium nostrum in Glossarii Græcobarbaris.

Qui melius coniexit, vatem hunc perhibebo optimum.

Nos aliquid diximus, sed non omnia quæ parata habebamus. Reliquimus rem inenarratam, & ut legentium coniecturas acueremus, plusculas lectiones adscripsimus, quomodo in vulgariis libris ante editionem Modianam, quomodo item in Mss. aliquot legeretur: Nunc adiiciemus alias, quæ remoto τοῦ *quos*, quod mire locum perturbat, ita sonant. Editio princeps: *Centuriones i. q. n. C. v.*

nimi-

nimium bellicosos loricatos transversis c. c. q. f. noscerentur singulas iusserunt gubernare centurias, quantum &c. *error non existeret, cum centenim. f.* Sic fere in tribus Stevvechianis, & quatuor Palatinis. Neque aliter est in duobus meis Mss. nam in tertio est, *transversis cassidum cristis literas habebant.* Omnes agnoscunt illos *bellicosos loricatos*, quidam etiam τὸ *quos:* quod turbando loco fuit, & hinc portandum est in ultimas terras. Hittorpianum Stevvechii exemplar, *qui nunc Centenarii* (unus meorum, *Centerii*) *vocantur: nimirum bellicosos loricatos transversis cassidum cristis, literas habebant.* Quomodo Modestus acceperit, diximus.

Ibid. *centeni milites*] Vulgares & quidã manuscripti, *cuncti*, tolerabilis quidẽ, sed minus elegãs lectio.

CAP. XIV. *Vt enim centum & decem peaites.*] Ita legendum docet Stevvechius. Vulgo *& decem* desideratur.

ibid. *ad disciplinam retineat.* &c. Alias, *disciplinam retineat armorum; exercitum cogat.*

Ibid. *habili corpore*] Mss. alii, *habilis*. alii, *stabili*.

Ibid. *eosdemque cogere loricas suas, vel cataphractas, contos & cassides frequenter tergere, curare, samiare.*] Ita ingeniose Stevvechius, quem vide. Hinc Samiatores. Glossæ: *Samiator*, ἀκονητής. Σαμιάτωρες Mauricio Strategici lib. I. cap. VII. & Leoni in Tacticis Constitut. III. §. 51. Constitut. V. §. 3. Glossæ: Ἀκονητής, *samiarius, cotiarius, acutiator.* De *ferramentis samiatis* apud Flavium Vopiscum, legendus omnino eruditissimus Salmasius. A cote Samia fit *samiare*, & *samiator* sive *samiarius:* qui à cote aliter dictus *cotiarius*, quod cote acueret ferrum. *Samium* autem acutum non significat, quod vult iocularis Nonius: eaque omnium doctorum consensu firmata opinio; Scaligeri ad Ausonium, & aliorum. Quem errorem egregie diluit Salmasius ad Hist. Aug. Scriptores. Dicebantur iidem quoque *Samiatores* & *Cotiarii*, aliter *Acutiatores*, quod iam in Glossis vidimus. *Samiarium* locus publicus Romæ, cuius in Vrbis regionibus meminerunt Rufus.

Victor. Et Notitia Imperii Regione secunda, huc forte pertinet: *Cælimontium continet Templum Claudii, &c. Ludum Matutinum, & Gallicum: Spoliarium, Samiarium, Armamentarium.* Ita legendum videtur: nam vulgo est *Samarum.* Quomodo fere cum in Hittorpiano suo invenerit Stevvechius; *Samaras* videlicet; etiam atque etiam cogitandum, num in Vegetio legendum sit, *contos & cassides frequenter tergere, curare samas,* sive *zabas.* Ζάβαι, *Zabæ,* loricæ sunt apud Mauricium & Leonem: atque etiam in Novellis. Fortasse volet aliquis, *curare zabaras,* aut *zabarias.* Quæ repositoria zabarum. Suidas in ζαβαρεῖον. Et translate pro quovis armario & librorum scriniis. Ioan. Tzetzes Chil. IV. Abdias Babylonicus, ut vulgo inscribitur, Hist. Apost. lib. IV. *Collectis libris Magicis, Zabarias plenas ad Apostolum attulit.* Quomodo clarissimus Meursius noster hic & paulo post emendavit. Vulgo, *zabyras.*

CAP. XV. *Sed ante signa & citra signa.*] Libri meliores, & Modestus: *circa s.* Quid si? *ante & circa signa.*

Ibid. *Principes vocantur.*] Iidem, *vocabantur.*

Ibid. *Plumbatas quinas positas in scutis.*] Vix teneo me quin rescribam, *plumbatasque binas.* Nam sequitur continuo, *Item bina missilia.* Vide sequenti cap. XVI.

Ibid. *Hastili.*] Libri, *bastile.* & sic iterum infra, haud æque bene.

Ibid. *Quod tunc verriculum, nunc verutum dicitur.*] Imo *veruculum.* Lib. I. cap. VII. piscatores tanquam militiæ inidoneos repudiavit, quare hic verriculo nullus locus.

Ibid. *Post hos erant ferentarii & levis armatura, quos nunc auxiliatores & armaturas dicimus.*] Auxiliatoribus his dimissis Cuiacius *scultatores* reposuit. Libri saniores, *exculcatores* & *exscultatores* præferunt. De iis in Nomenclatore Strategico, quod satis sit, egimus.

CAP. XVI. *genu posito subsidebant.*] Quidam male, *obsidebant.*

Ibid.

Ibid. *Sperari victoria.*] Membranæ, *reparari.* Stevvechius, *respirare.*

Ibid. *Vrsinis.*] In uno Mss. est, *hirsutis.*

Ibid. *Vt facilius.*] Mss. quidam *celerius.*

CAP. XVII. *Ferentarii autem, armaturæ, scutatores,* &c.] Iterum hic Cuiacio placet. *scultatores.* sed *scutatores* ex Mss. Stevvech. qui & *exculcatores* addit. De hoc loco etiam videndus Nomenclator.

Ibid. *virtute ac multitudine.*] Mss. *v. aut m.*

Ibid. *si hostis fugasset.*] Alias, *fugissent.*

Ibid. *ordinemque.*] Mss. *ordinationemque.*

CAP. XVIII. *in adverso scrip*] Libri optimi, *averso.*

Ibid. *fossa valloque muniretur.*] Mss *fossa se valloque muniret.*

Ibid. *quæ omne genus militum,* &c.] Quidam scripti, *quæ omne genus militarium contineret armorum.*

Ibid. *armorum.*] Liber vetus, *armaturarum.*

Ibid. *electi.*] Stevvechius, *lecti.*

Ibid. *nec moveatur.* &c.] Alii, *Nec moveat, quod olim c. e. m. q. viguit. Sed huius* &c. Vide Stevvechium.

Ibid. *antequam tentes.*] Mss. *ante tentamentum.*

CAP. XIX. in tit. *notarum.*] Mss. *notandi.*

CAP. XIX. *exigitur.*] Male, MSS. plerique, *eligitur.*

Ibid. *sive obsequiorum.*] Consule Nomenclatorem Strategicum nostrum, uti & de *Numeris,* qui sequuntur.

Ibid. *numerorum.*] Mss. *numerum.* Stevvechio *munerum* placet.

Ibid. *Polipticis.*] Scribe *polyptychis,* atque adi Commentarium Stevvechii. *Polyptycha* sunt chartæ publicæ, multorum foliorum sive plicarum libri. *Poleptica* corrupte quoque in Veteri collectione Canonicorum ex Thoromacho: *Adrianus utraque lingua eruditus benigniter tributa urbium plurimarum relaxavit, polepticis publicis incensis,* &c. Laudantur à Cl. Wouvverio ad Sidonium Glossæ, in quibus fit: *Al-*

bum, curia polyptichum. emendandum præcipit, *diptichum.* cum in iisdem legatur, *Diptycha, tabula manualis, qua & Ephemeris & Pugillaris, commentaria, nuncupationes* (f. *nunc capaciores*) *codicilli, tabula: Cicero.* Hæc ibi. Sed errat Wouvverius. *Polyptycha* (si recte memini) bis nominantur à Cassiodoro, una ad Sevetianum, altera ad Aurel. epist. lib. v. Variarum: etiam in Cod. Theod. lib. 13. De indulg. debit. & apud Marculphum in Præcepto de Clericatu. De Diptychis notior res est. Ea erant tabellæ duplices. In qua re corrigendus Ovidius, alludens ad duplicitatem tabellarum & amicæ suæ.

Ergo ego vos rebus duplices (pro) nomine sensi.

Præsto emendationem notæ Opimianæ,

Ergo ego vos re, vos duplices pro nomine sensi.

Diptycha sive Duplices, epistolæ amatoriæ: & ad eundem usum etiam Triplices habebantur. Martialis in Apophoretis:

Tunc triplices nostros non vilia dona putabis,
Cum se venturam scribet amica tibi.

Ibid. *agrarias.*] Ita optimi Mss. male vulgo, *angarias.* De hac voce adeundus Nomenclator Strategicus.

Ibid. *ut ne.*] *& ne.*

Ibid. *approbatis.*] Mss. *ac probatis.*

Ibid. *Iudicum.*] Iidem, *iudicium.* vide Stevvechium.

Ibid. *munia.*] Alias, *munera.*

CAP. XX. *Sepositio autem ista.*] Alias, *Sed depositis ista.*

Ibid. *diligebantur.*] Alias, *eligebantur.*

CAP. XXI. *consequitur.*] Mss. *consequatur: sicut p.*

Ibid. *primicerius.*] Quidam libri, *primiscrinius.* vide Nomenclatorem.

Ibid. *gradum.*] Alias, *finem.* [illegible] *legionarii.*

Ibid. *& omnium cohortium.*] Rectius visum Stevvechio, *& omnibus cohortibus.*

CAP. XXII. *Tubicines.*] Alias, *Tubicines a. h. vocant. m. e. r. receptui canunt.* Vide Stevvechium. Volater-

lat erranus lib. xxxv. *Tubicen processui & rursus receptui canit.*

Ibid. *Imperialibus.*] Alias, *Imperatoris.* f. *Imperatoriis.*

Ibid. *agrarias.*] Sic iterum libri optimi. vulgo, *angarias.* De hoc loco in Nomenclatore.

Ibid. *processionibus.*] Modestus, *processibus.*

CAP. XXIII. *sed continua meditatio.*] *Sed* ut supra cap. XVIII. *nam* valet. vide ibi Stevvechium.

ibid. *Idcirco armaturam.*] Lib. vv. & Stevvechius, *Armaturam, quæ festis diebus exhibetur in Circo : non tantum armaturæ, quæ sub campiductore sunt.* Imo *sub Campidoctore.*

Ibid. *quiddam.* Vide Stevvechium.

Ibid. *sudes.*] Mss. quibusdam & Stevvechio *sudibus* placet. Mihi aliter videtur, & dixi abunde in Nomenclatore.

Ibid. *tripudiantes.*] Mss. *trepidantes.* alius, *trepidanter.*

Ibid. *sexcentos pedes.*] Alias, *sexcentis pedibus.*

Ibid. *iugi.*] Ita libri meliores, atque ita alias Vegetius. vulgo male, *iugiter.*

Ibid. *scandulis.*] Mss. *scindulis*, melius. Sic Isidorus.

CAP. XXIV. *artes suas.*] Stevvechius, *artis suæ, aut certare, aut agere consuevit.*

Ibid. *scenici.*] Mss. *technici*, cum glossa, id est, *pastores.*

CAP. XXV. *muli.*] Mss. quidam, *multi.*

Ibid. *bobus.*] In Mss. & VV. *bobus portantur armati.*

ibid. *facienda.*] Alias, *faciendum.*

ibid. *in quovis loco.* Mss. *in quocunque l.*

ibid. *Palos, rastra.*] Stevvechius emendabat *rutra*, quod & ego ita diserte perscriptum in membranis repperi.

LIBRO TERTIO.

IN prolog. *testantur.*] Libri W. *loquuntur.* Palatini omnes, Gruteri & quidam nostri probant. Id nobis perinde est. Vt, quod in iisdem præcedit, *Macedones.*

Ibid. *Primi denique experimenta.*] Palatini & alii consensu, *Primi denique exp.*

Ibid. *cæteros.*] Quidam, *cætera.*

Ibid. *superiorem esse pugnaturum.*] Alii, *esse si pugnet.*

CAP. I. *delectum.*] Rectius, *dilectum.*

Ibid. *Exercitus multitudo collecta.*] Hæc potior definitio quam Lipsiana *Militia. quæ est*, inquit, *multitudo apta & composita in armis* &c. De Milit. Rom. lib. I. Dial. II.

Ibid. *deficit.*] *Desit* se malle scribebat ad oram Stevvechius. Sic ex prima manu in Palatino I. sed correctum est, *deficit.*

Ibid. *ne quid Respublica detrimenti capiat, Coss.* &c.] Membranæ tam Palatinæ, quam nostræ, quas inspexi, nihilo meliores vulgatis. Sed ex iis videtur legendum, *Consulum alter ambove.* Vel, *Consules ambo, alterve.* Quomodo hunc locum, alias mutilum corruptumque, rescribendum ex Mss. codice monuit I.C. Cl. Guilielmus Fornerius. Sed placet mihi impensius prior lectio, *Consulum alter ambove.* Formula hæc in antiquis Senatusconsultis Decretisque tribus exprimebatur notis, istis: *A. A. V.* id est, interprete Magnone, *alter ambove.* Cicero Philippicarum V. *De exercitu Cæsaris ita censeo decernendum. Senatui placere, militibus veteranis, qui Cæsaris, Pontificis, Proprætoris hortatu, libertatem Pop. Rom. auctoritatemque huius ordinis defenderint, atque defendant, his liberisque eorum, militiæ vacationem esse. Vtique C. Pansa, A. Hirtius, Consules alter ambove cognoscerent, qui ager colonus esset*, &c. Hoc loco inter *ambove* & *cognoscerent* reppetit Fulvius in Vaticano scriptum *seu*, monuitque, Senatusconsulti formulam

Iam ſignificari, quæ totidem literis interpunctionis notis diſtinctis in vetere ænea tabella expreſſa eſt, hoc modo, *A. A. S. E.* V. Hoc eſt, *alter ambove, ſi eis videretur.* Et ſic illud *ſeu* Vaticani codicis reſolvendum optime cenſuit vir antiquitatum Romanarum periciſſimus, locumque Ciceronis ita conſtituendum: *Conſules, alter ambove, ſi eis videretur, cognoſcerent.* Hac imagine antiquorum verborum diligentiſſimus A. Gellius ſcripſit, ex Antiſtio Labeone de Veſtali virgine capienda, *cuius parentes alter ambove ſervitutem ſervierunt.* Noctium Atticarum lib. I. cap. XII. De hac formula cum excellentiſſimus Formularius Barnabas Briſſonius, & alii, tum in Antiquis Lectionibus Ludovicus Carrio.

Ibid. *utilius iudicabant non tam grandes exercitus habere; quam armis inſtructos.*] Quidam libri, *quam plures.* Alii, *quam infinitos inſtructos.* Alii, *quam inſtructos.* Τὸ *armis* pleriſque libris deeſt. Illud, *quam plures*, amplexus in Commentario Stevvechius, & ad Vopiſcum Salmaſius. qui contra mentem huius loci eſſe ait vulgg. *quam armis inſtructos.* nam Romanis, qui diverſis locis pugnabant, plures habendi fuere exercitus potius, quam grandes. Vbi *grandes exercitus* numeroſos, Vopiſcus ingentes dixit: *Paratoque magno potius quam ingenti exercitu.*

Ibid. *auxiliariumve.*] Ita ſcripſi Stevvechio volente, & addicentibus aliquot libris. De re ipſa, Æneas vetuſtiſſimus Tacticus aureolo Commentario De toleranda obſidione, quem Vegetio Frontinoque, una cum aliis, nunc ſubiunximus, cap. XII. *τὸ δὲ αὐτὸ καὶ μετὰ ξένων μισθοφόρων μέλλοντάς τι πράττειν, ἀεὶ χρὴ ὑπερέχειν πλήθει καὶ δυνάμει τοὺς ἐπαγομένους πολίτας τῶν ξένων. Similiter etiam quoties peregrino ac mercenario milite uti cogitas, videndum, ut numero ſemper & viribus cives qui ſequuntur ſigna peregrinis ſint ſuperiores.* Subdit ſalutaria monita, & exempla, quæ iſtic leges. Loquitur autem de præſidio urbano Æneas, ſed de caſtrenſi Noſter. *Ne unquam amplior multitudo ſociorum auxiliariumve ſit in ca-*

stris, quam civium Romanorum. Prorsus idem consilium.

CAP. II. *tempore.*] Alias, *temporis.* Absurde hoc loco, & legendum existimo, *locis, tempore, aquis.* vide sequentia.

Ibid. *æstate.*] Membranæ notæ melioris, *æstu ante lucem.* Ita repone.

Ibid. *Nec paludosis.*] Eædem, & vv. *Ne palustribus.*

Ibid. *ut hoc casu agri.*] Nescio quid velint Stevvechius & aliquot Libri *suo occasu.* Est in melioribus libris, *ut casu agri.* Fortassis, *ut causarii contubernales.*

Ibid. *Principiorum.* Ita Stevvechius. vulgo *Principum.*

CAP. III. *pabuli frumentique.*] Mss. *pabulo frumentoque.*

Ibid. *Deinde.*] Alias, *Verum.*

Ibid. *unum est & maximum telum.*] Ita Stevvechius. vulgo *unum & maximum consilium.* Stevvechio astipulantur duo Palatini, & tres mei. Editio princeps consentit vulgg. Legendum forte, *una & maxima cautela.*

Ibid. *prærogato auro.*] Alias, *prorogato*, & rectius. sic omnes Palatini, Gruteri & nostri fere codices.

Ibid. *comparanda.*] Vera lectio. Alias male, *comprobanda.*

Ibid. *possessoribus*] Alias, *possessionibus.* insulse.

Ibid. *perscrutatores.*] Mss. *persecutores.* & *executores.* Vide Stevvechium, & DD. ad Pandectas iuris.

Ibid. *armatorum.*] Membranæ, *armatura.*

Ibid. *tutissimas.*] Lib. V. *firmissimas.*

Ibid. *horreorum.*] Ita Cuiacius. Male hactenus edebatur *servatorum.*] Modius repperit in suo, *aureorum.* Similiter ego in meis & Palatinis. Cæterum diserte in Palatino I. *horreorum.* Veto te dubitare de lectionis veritate.

Ibid. *conventionum.*] vv. quidam, & plerique Mss. *commerciorum.*

CAP. IV. *suis*.] Lib. v. *sunt*.

Ibid. *principum*.] Mss. sex septem, *principiorum*.

Ibid. *abrupta*.] Alias, *arbusta*.

Ibid. *locis*.] Mss. & vv. *numeris*. Nihil tamen temere mutandum.

Ibid. *principibusque*.] Iterum hic membranæ, *principiisque*.

Ibid. *Quod si fieri*.] Alias, *ferre*.

In tit. CAP. V. *quot*.] Mss. & lib. vv. *quanta*.

CAP. V. *ediscenda*.] Lib. v. *dicenda*. Modius, *edicenda*.

Ibid. *vocabula*.] Alias *vocalia*.

Ibid. *Flammulæ, tufæ*.] Ita legendum ac distinguendum. perperam vulgg. & Stevvechius. Vide de his signis Nomenclatorem Strategicum.

Ibid. *iusserit*.] Lib. v. *dixerit*.

CAP. VI. *præparati*.] Alias, *parati*.

Ibid. *superveniente impetu*, &c.] Placet Stevvechii coniectura, *& superventus impetu*, *vel fraude subsessa repente turbatur*.

Ibid. *repellat*.] Lib. v. *reponat*.

Ibid. *geritur*.] vv. *gerebatur*.

Ibid. *sub periculo*.] Alias, *super periculo eligendo*, inepte.

Ibid. *percipere*.] Stevvechius, *præcipere*.

Ibid. *ostentatione*.] vv, *contestatione*.

Ibid. *per quæ loca*.] Alias, *ad quæ*.

Ibid. *Ob hoc veteres*.] Lib. v. *Sed ob hoc v*. Tò *sed* etiam hic, ut non semel supra, *nam* valet.

Ibid. *suspicionibus*.] vv. *suspectionibus*.

Ibid. *sagmarii*, &c.] Hæc vera scriptura. Vulgo *sagittarii*.

Ibid. *undique circumfunduntur*.] Mss. *undique funduntur*, *undique debent*, &c.

Ibid. *commonendi*.] Alia lectio, *commovendi*. Meo iudicio, convenientior vulgata est.

Ibid. *In necessitate*. &c,] Ita Stevvechius, ex vv. & Mss. Vulgo, *ne necessitate subita terreantur; provisa enim non solent e. f.*

Ibid. *sagmariis.*] Sic iterum legendum. Vulgo, *sagittariis.*

Ibid. *sagmariis*] Et hic vulgo erat *sagittariis*, in aliis monstrose *sagisarcinariis.*

Ibid. *in prœlio.*] Ita Stevvechius. vulgo *in prœlio, ambulante exercitu. Ut locorum* &c.

Ibid. *inter prolata.*] W. & quidam Mss. *interpolata.*

Ibid. *Campidoctores.*) Hic pene assentior Stevvechio corrigenti, *Campiductores.*

Ibid. *utiliter.*) Stevvechius, *viriliter.*

Ibid. *dolabris.*) *Dolatoriis* est in aliquibus membranis.

Ibid. *utrum nocte.*) Item, *utrum de nocte.*

CAP. VII. *gravis.*) V. & Mss. *grandis molestia.*

Ibid. *hastilibus.*) Alias, *hastis*, sed genuina lectio est, *stylis fixis.* Vide Stevvechium.

Ibid. *tabulatis.*) Mss. aliquot *tabulamentis.*

Ibid. *udentur.*) Ita Modius, & Stevvechius. Vulgo, *prodentur.*

Ibid. *sociis.*) *Loris* Stevvechius. Alii, *ad socios.*

Ibid. *instantes.*) Ita Stevvechius. vulgo, *sed instant adversarii a.t. fluminum insidiasque. Sed* hic iterum *nam* valet.

CAP. VIII. *civitas murata.*) Alias, *munita*

Ibid. *munera.*) Alias, *munia*, & *muninima.* Probo, *munia.*

Ibid. *podismum mensura.*) Perperam Mss. quidam, *potissimam mensuram.* CAP. XV. *podismum mensura* Auctor, si per sciolos licuisset, dixerat. *Podismus* aliter *Pedatura* Agrimensoribus & Gromaticis. De qua voce illi consulendi.

ibid. *Tribus.*) Iidem, *Tribus autem modis efficiunt fossas.* Et, *tres autem modos definiunt fossæ.* Arripe ex illis *definiunt*, & reliqua contemne.

Ibid. *semis pedem*) W. *semissem, latus pedem.*

Ibid. *perducitur.*) *Percutiatur* Stevvechius, *preducitur*, Lipsius.

Ibid. *Campidoctoribus.*) Proba hic lectio, nec audiendus Stevvechius, cum suis *campiductoribus.*

Ibid.

Ibid. *& principiis.*] Ita Stevvechius. vulgo, *principibus.*

Ibid. *pedibus* XVII.) Mss. unus, *pedibus novemdecim.* Alter, *pedibus decem & septem vel novem.*

Ibid. *ac tribunis.*) Alias, *hinc tribunis.*

Ibid. *munia.*) Alias incommode, *munera.*

Ibid. *quaterni pedites.*) Ita Mss. & Modestus. vulgo, *quaterni pedites qui excubitum noctibus faciunt, eliguntur.*

Ibid. *in quatuor partes ad clepsydram sunt divisæ vigiliæ.* Quatuor intervalla vigiliarum etiam agnoscit Æneas, c. XVIII. Quare autem brevis temporis vigiliæ sint agendæ, monet cap. XXII. De clepsydra vero agit eodem capite sub finem. Qui locus præstantissimi Tactici utiliter hic adscribetur: *Omnium vigiliarum*, inquit, *par & communis ratio sit; ad clepsydram vigiliæ agendæ. Huius autem clepsydræ pars interior cera oblinenda, & cũ productiores sunt noctes, detrahendũ de cera, quo plus aquæ capiatur: contractioribus vero noctibus, amplius allinendum, quo minus capiatur.* Si quis ipsa Græca velit, in promptu est elegantissima editio Parisiensis: unde petat, licebit.

Ibid. *circitores.*) Palmerius & unus Mss. *circatores.* De his circitoribus, salutaria præcepta eodem, quo dixi, capite legenda apud Æneam.

Ibid. *excubias.*) Alias, *vigilias.*

Ibid. *alii mane, &c.*) W. *alii mane, alii meridie, alii p. m.*

Ibid. *agrarias.*) Hæc vera scriptura. Vulgo, *angarias:* & sic etiam hic quidam Scripti. De his ubertim in Nomenclatore.

Ibid. *disponantur.*) W. *dispartiantur.*

Ibid. *agrariis.*] Sic optimi Libri, & Turnebus. Vulgo *angariis*. Male. Nomenclator dicet.

CAP. IX. *legem.*] W. *rationem.*

Ibid. *spes omnis.*] Alias, *spes omnes intercidunt.*

Ibid. *non aperto Marte.*] Libri aliquot, *non aperto prœlio.*

Ibid. *quantos possint.*] Alias, *quantum p.*

Ibid.

ret. Vide, si placet, in Commentario, & ride. Nos quoque, si videbitur, non minus ridiculosa fortassis somniantes. Vide tamen, quid nobis in mentem venerit. Iacta sit alea. Dicit Vegetius, Antiquos cohortes in centurias divisisse, & singulis centuriis singula vexilla constituisse, literis & notis inscripta, unde constaret cuius cohortis ea centuria esset, ne milites commisso prœlio ab exercitu & signis suis aberrarent. Subdit alterum signum continendis in ordine militibus. Nempe, eosdem maiores insuper ordinasse ac iussisse Centuriones singulas gubernare centurias, ita ut belli tempore armati certum in galea signum præferrent, eodem fine, scilicet, ut internoscerentur à gregariis, & quisque suum ducem, nobili apice insignem, sequeretur. Huc videntur ire corrupta nimium quantum verba, hæc sententia latere sub distorsissimi sensus involucro. Quare ad hunc modum emendabam: *Centuriones insuper, nimirum belli causa loricatos, transversis (an, diversis) cassidum cristis singulas iusserunt gubernare centurias, ut facilius noscerentur. Quatenus nullus error existeret, cum centeni milites sequerentur non solum Vexillum suum, sed etiam Centurionem, qui signum habebat in galea.* Memini me alibi legisse de lorica cucullata, id est, lorica quæ galeam annexam haberet. Nescio an eiusmodi loricæ ζάβαι appellatæ. De quibus Mauricius Strateg. lib. II. cap. I. Iustinianus Novella LXXXV. Leo Constit. VI. Vide Rigaltium & Cl. Meursium nostrum in Glossarii Græcobarbaris.

Qui melius coniexit, vatem hunc perhibebo optimum.

Nos aliquid diximus, sed non omnia quæ parata habebamus. Reliquimus rem inenarratam, & ut legentium coniecturas acueremus, plusculas lectiones adscripsimus, quomodo in vulgariis libris ante editionem Modianam, quomodo item in Mss. aliquot legeretur: Nunc adiiciemus alias, quæ remoto τῷ *quos*, quod mire locum perturbat, ita sonant. Editio princeps: *Centuriones i. q. n. C. v. nimi-*

nimium bellicosos loricatos transversis c. c. q. f. noscerentur singulas iusserunt gubernare centurias, quantum &c. error non existeret, cum centenim. f. Sic fere in tribus Stevvechianis, & quatuor Palatinis. Neque aliter est in duobus meis Mss. nam in tertio est, *transversis cassidum cristis literas habebant.* Omnes agnoscunt illos *bellicosos loricatos*, quidam etiam τὸ *quos:* quod turbando loco fuit, & hinc portandum est in ultimas terras. Hittorpianum Stevvechii exemplar, *qui nunc Centenarii* (unus meorum, *Centerii*) *vocantur: nimirum bellicosos loricatos transversis cassidum cristis, literas habebant.* Quomodo Modestus acceperit, diximus.

Ibid. *centeni milites*] Vulgares & quidã manuscripti, *cuncti*, tolerabilis quidẽ, sed minus elegãs lectio.

CAP. XIV. *Ut enim centum & decem pedites.*] Ita legendum docet Stevvechius. Vulgo *&* decem desideratur.

ibid. *ad disciplinam retineat.* &c. Alias, *disciplinam retineat armorum; exercitum cogat.*

Ibid. *habili corpore*] Mss. alii, *habilis*. alii, *stabili.*

Ibid. *eosdemque cogere loricas suas, vel cataphractas, contos & cassides frequenter tergere, curare, samiare.*] Ita ingeniose Stevvechius, quem vide. Hinc Samiatores. Glossæ: *Samiator*, ἀκονητής. Σαμιάτωρες Mauricio Strategici lib. I. cap. VII. & Leoni in Tacticis Constitut. III. §. 51. Constitut. V. §. 3. Glossæ: Ἀκονητής, *samiarius, cotiarius, acutiator.* De *ferramentis samiatis* apud Flavium Vopiscum, legendus omnino eruditissimus Salmasius. A cote Samia fit *samiare*, & *samiator* sive *samiarius:* qui à cote aliter dictus *cotiarius*, quod cote acueret ferrum. *Samium* autem acutum non significat, quod vult iocularis Nonius: eaque omnium doctorum consensu firmata opinio; Scaligeri ad Ausonium, & aliorum. Quem errorem egregie diluit Salmasius ad Hist. Aug. Scriptores. Dicebantur iidem quoque *Samiatores* & *Cotiarii*, aliter *Acutiatores*, quod iam in Glossis vidimus. *Samiarium* locus publicus Romæ, cuius in Vrbis regionibus meminerunt Rufus.

Victor. Et Notitia Imperii Regione secunda, huc forte pertinet: *Cælimontium continet Templum Claudii*, &c. *Ludum Matutinum*, *& Gallicum: Spoliarium, Samiarium, Armamentarium.* Ita legendum videtur: nam vulgo est *Samarum.* Quomodo fere cum in Hittorpiano suo invenerit Stevvechius; *Samaras* videlicet; etiam atque etiam cogitandum, num in Vegetio legendum sit, *contos & cassides frequenter tergere, curare samas,* sive *zabas.* Ζάβαι, *Zabæ*, loricæ sunt apud Mauricium & Leonem: atque etiam in Novellis. Fortasse volet aliquis, *curare zabaras*, aut *zabarias.* Quæ repositoria zabarum. Suidas in ζαβαρεῖον. Et translate pro quovis armario & librorum scriniis. Ioan. Tzetzes Chil. IV. Abdias Babylonicus, ut vulgo inscribitur, Hist. Apost. lib. IV. *Collectis libris Magicis, Zabarias plenas ad Apostolum attulit.* Quomodo clarissimus Meursius noster hic & paulo post emendavit. Vulgo, *zabyras.*

CAP. XV. *Sed ante signa & citra signa.*] Libri meliores, & Modestus: *circa s.* Quid si? *ante & circa signa.*

Ibid. *Principes vocantur.*] Iidem, *vocabantur.*

Ibid. *Plumbatas quinas positas in scutis.*] Vix teneo me quin rescribam, *plumbatasque binas.* Nam sequitur continuo, *Item bina missilia.* Vide sequenti cap. XVI.

Ibid. *Hastili.*] Libri, *hastile.* & sic iterum infra, haud æque bene.

Ibid. *Quod tunc verriculum, nunc verutum dicitur.*] Imo *veruculum.* Lib. I. cap. VII. piscatores tanquam militiæ inidoneos repudiavit, quare hic verriculo nullus locus.

Ibid. *Post hos erant ferentarii & levis armatura, quos nunc auxiliatores & armaturas dicimus.*] Auxiliatoribus his dimissis Cuiacius *scultatores* reposuit. Libri saniores, *exculcatores* & *exscultatores* præferunt. De iis in Nomenclatore Strategico, quod satis sit, egimus.

CAP. XVI. *genu posito subsidebant.*] Quidam male, *obsidebant.*

Ibid.

Ibid. *Sperari victoria.*] Membranæ, *reparari.* Stevvechius, *respirare.*

Ibid. *Vrsinis.*] In uno Mss. est, *hirsutis.*

Ibid. *Vt facilius.*] Mss. quidam *celerius.*

CAP. XVII. *Ferentarii autem, armaturæ, scutatores,* &c.] Iterum hic Cuiacio placet. *scultatores.* sed *scutatores* ex Mss. Stevvech. qui & *exculcatores* addit. De hoc loco etiam videndus Nomenclator.

Ibid. *virtute ac multitudine.*] Mss. *v. aut m.*

Ibid. *si hostis fugasset.*] Alias, *fugissent.*

Ibid. *ordinemque.*] Mss. *ordinationemque.*

CAP. XVIII. *in adverso scrip*] Libri optimi, *aversò.*

Ibid. *fossa valloque muniretur.*] Mss *fossa se valloque muniret.*

Ibid. *quæ omne genus militum,* &c.] Quidam scripti, *quæ omne genus militarium contineret armorum.*

Ibid. *armorum.*] Liber vetus, *armaturarum.*

Ibid. *electi.*] Stevvechius, *lecti.*

Ibid. *nec moveatur.* &c.] Alii, *Nec moveat, quod olim c. e. m. q. viguit. Sed huius* &c. Vide Stevvechium.

Ibid. *antequam tentes.*] Mss. *ante tentamentum.*

CAP. XIX. in tit. *notarum.*] Mss. *notandi.*

CAP. XIX. *exigitur.*] Male, MSS. plerique, *eligitur.*

Ibid. *sive obsequiorum.*] Consule Nomenclatorem Strategicum nostrum, uti & de *Numeris,* qui sequuntur.

Ibid. *numerorum.*] Mss. *numerum.* Stevvechio *munerum* placet.

Ibid. *Polipticis.*] Scribe *polyptychis,* atque adi Commentarium Stevvechii. *Polyptycha* sunt chartæ publicæ. multorum foliorum sive plicatum libri. *Poleptica* corrup[illegible] quoque in veteri co[illegible]nicorum ex Thoromacho: *Adrianus utraque lingua eruditus benigniter tributa urbium plurimarum relaxavit, polepticis publicis incensis,* &c. Laudantur à Cl. Wouvverio ad Sidonium Glossæ, in quibus fit: *Album,*

lum, curiæ polyptichum. emendandum præcipit, *diptichum.* cum in iisdem legatur, *Diptycha, tabula manualis, quæ & Ephemeris & Pugillaris, commentaria, nuncupationes (f. nunc capaciores) codicilli, tabulæ: Cicero.* Hæc ibi. Sed errat Wouvverius. *Polyptycha* (si recte memini) bis nominantur à Cassiodoro, una ad Sevetianum, altera ad Aurel. epist. lib. v. Variarum: etiam in Cod. Theod. lib. 13. De indulg. debit. & apud Marculphum in Præcepto de Clericatu. De Diptychis notior res est. Ea erant tabellæ duplices. In qua re corrigendus Ovidius, alludens ad duplicitatem tabellarum & amicæ suæ.

Ergo ego vos rebus duplices (prò) nomine sensi.

Præsto emendationem notæ Opimianæ,

Ergo ego vos re, vos duplices pro nomine sensi.

Diptycha sive Duplices, epistolæ amatoriæ: & ad eundem usum etiam Triplices habebantur. Martialis in Apophoretis:

Tunc triplices nostros non vilia dona putabis,
Cum se venturam scribet amica tibi.

Ibid. *agrarias.*] Ita optimi Mss. male vulgo, *angarias.* De hac voce adeundus Nomenclator Strategicus.

Ibid. *ut ne.*] *& ne.*

Ibid. *approbatis.*] Mss. *ac probatis.*

Ibid. *Iudicum.*] Iidem, *indicium.* vide Stevvechium.

Ibid. *munia.*] Alias, *munera.*

CAP. XX. *Sepositio autem ista.*] Alias, *Sed depositio ista.*

Ibid. *diligebantur.*] Alias, *eligebantur.*

CAP. XXI. *consequitur.*] Mss. *consequatur: sicut p.*

Ibid. *primicerius.*] Quidam libri, *primiscrinius.* vide Nomenclatorem.

Ibid. *gradum.*] Alias, *finem.* [illegible] *legionarii.*

Ibid. *& omnium cohortium.*] Rectius visum Stevvechio, *& omnibus cohortibus.*

CAP. XXII. *Tubicines.*] Alias, *Tubicines a. h. vocant. m. e. r. receptui canunt.* Vide Stevvechium. Volater-

laterranus lib. xxxv. *Tubicen processui & rursus receptui canit.*

Ibid. *Imperialibus.*] Alias, *Imperatoris.* f. *Imperatoriis.*

Ibid. *agrarias.*] Sic iterum libri optimi. vulgo, *angarias.* De hoc loco in Nomenclatore.

Ibid. *processionibus.*] Modestus, *processibus.*

CAP. XXIII. *sed continua meditatio.*] *Sed* ut supra cap. XVIII. *nam* valet. vide ibi Stevvechium.

ibid. *Idcirco armaturam.*] Lib. vv. & Stevvechius, *Armaturam, quæ festis diebus exhibetur in Circo : non tantum armaturæ, quæ sub campiductore sunt.* Imo *sub Campidoctore.*

Ibid. *quiddam.* Vide Stevvechium.

Ibid. *sudes.*] Mss. quibusdam & Stevvechio *sudibus* placet. Mihi aliter videtur, & dixi abunde in Nomenclatore.

Ibid. *tripudiantes.*] Mss. *trepidantes.* alius, *trepidanter.*

Ibid. *sexcentos pedes.*] Alias, *sexcentis pedibus.*

Ibid. *iugi.*] Ita libri meliores, atque ita alias Vegerius. vulgo male, *iugiter.*

Ibid. *scandulis.*] Mss. *scindulis*, melius. Sic Isidorus.

CAP. XXIV. *artes suas.*] Stevvechius, *artis suæ, aut certare, aut agere consuevit.*

Ibid. *scenici.*] Mss. *technici*, cum glossa, id est, *pistores.*

CAP. XXV. *muli.*] Mss. quidam, *multi.*

Ibid. *bobus.*] In Mss. & VV. *bobus portantur armati.*

ibid. *facienda.*] Alias, *faciendum.*

ibid. *in quovis loco.* Mss. *in quocunque l.*

ibid. *Palos, rastra.*] Stevvechius emendabat *rutra*, quod & ego ita diserte perscriptum in membranis repperi.

LIBRO TERTIO.

IN prolog. *testantur.*] Libri W. *loquuntur.* Palatini omnes, Gruteri & quidam nostri probant. Id nobis perinde est. Vt, quod in iisdem præcedit, *Macedones.*

Ibid. *Primi denique experimenta.*] Palatini & alii consensu, *Primi denique exp.*

Ibid. *cæteros.*] Quidam, *cætera.*

Ibid. *superiorem esse pugnaturum.*] Alii, *esse si pugnet.*

CAP. I. *delectum.*] Rectius, *dilectum.*

Ibid. *Exercitus multitudo collecta.*] Hæc potior definitio quam Lipsiana *Militia. qua est*, inquit, *multitudo apta & composita in armis* &c. De Milit. Rom. lib. I. Dial. II.

Ibid. *deficit.*] *Desit* se malle scribebat ad oram Stevvechius. Sic ex prima manu in Palatino I. sed correctum est, *deficit.*

Ibid. *ne quid Respublica detrimenti capiat, Coss.* &c.] Membranæ tam Palatinæ, quam nostræ, quas inspexi, nihilo meliores vulgatis. Sed ex iis videtur legendum, *Consulum alter ambove.* Vel, *Consules ambo, alterve.* Quomodo hunc locum, alias mutilum corruptumque, rescribendum ex Mss. codice monuit I. C. Cl. Guilielmus Fornerius. Sed placet mihi impensius prior lectio, *Consulum alter ambove.* Formula hæc in antiquis Senatusconsultis Decretisque tribus exprimebatur notis, istis: *A. A. V.* id est, interprete Magnone, *alter ambove.* Cicero Philippicarum V. *De exercitu Cæsaris ita censeo decernendum, Senatui placere, militibus veteranis, qui Cæsaris, Pontificis, Proprætoris hortatu, libertatem Pop. Rom. auctoritatemque huius ordinis defenderint, atque defendant, his liberisque eorum, militiæ vacationem esse. Utique C. Pansa, A. Hirtius, Consules alter ambove cognoscerent, qui ager colonus esset,* &c. Hoc loco inter *ambove* & *cognoscerent* repperit Fulvius in Vaticano scriptum *siu*, monuitque, Senatusconsulti formulam

Iam significari, quæ totidem literis interpunctionis notis distinctis in vetere ænea tabella expressa est, hoc modo, *A. A. S. E.* V. Hoc est, *alter ambove, si eis videretur*. Et sic illud *seu* Vaticani codicis resolvendum optime censuit vir antiquitatum Romanarum peritissimus, locumque Ciceronis ita constituendum: *Consules, alter ambove, si eis videretur, cognoscerent.* Hac imagine antiquorum verborum diligentissimus A. Gellius scripsit, ex Antistio Labeone de Vestali virgine capienda, *cuius parentes alter ambove servitutem servierunt.* Noctium Atticarum lib. I. cap. XII. De hac formula cum excellentissimus Formularius Barnabas Brissonius, & alii, tum in Antiquis Lectionibus Ludovicus Cattio.

Ibid. *utilius iudicabant non tam grandes exercitus habere; quam armis instructos.*] Quidam libri, *quam plures.* Alii, *quam infinitos instructos.* Alii, *quam instructos.* Tò *armis* plerisque libris deest. Illud, *quam plures*, amplexus in Commentario Stevvechius, & ad Vopiscum Salmasius. qui contra mentem huius loci esse ait vulgg. *quam armis instructos.* nam Romanis, qui diversis locis pugnabant, plures habendi fuere exercitus potius, quam grandes. Vbi *grandes exercitus* numerosos, Vopiscus ingentes dixit: *Paratoque magno potius quam ingenti exercitu.*

Ibid. *auxiliariumve.*] Ita scripsi Stevvechio volente, & addicentibus aliquot libris. De re ipsa, Æneas vetustissimus Tacticus aureolo Commentario De toleranda obsidione, quem Vegetio Frontinoque, una cum aliis, nunc subiunximus, cap. XII. τὸ δὲ αὐτὸ καὶ μετὰ ξένων μισθοφόρων μέλλοντάς τι πράσσειν, ἀεὶ χρὴ ὑπερέχειν πλήθει καὶ δυνάμει τοὺς ἐπαγομένους πολίτας τῶν ξένων. *Similiter etiam quoties peregrino ac mercenario milite uti cogitas, videndum, ut numero semper & viribus cives qui sequuntur signa peregrinis sint superiores.* Subdit salutaria monita, & exempla, quæ istic leges. Loquitur autem de præsidio urbano Æneas, sed de castrensi Noster. *Ne unquam amplior multitudo sociorum auxiliariumve sit in castris,*

stris, quam civium Romanorum. Prorsus idem consilium.

CAP. II. *tempore.*] Alias, *temporis.* Absurde hoc loco, & legendum existimo, *locis, tempore, aquis.* vide sequentia.

ibid. *æstate.*] Membranæ notæ melioris, *æstu ante lucem.* Ita repone.

ibid. *Nec paludosis.*] Eædem, & vv. *Ne palustribus.*

ibid. *ut hoc casu agri.*] Nescio quid velint Stevvechius & aliquot Libri *suo occasu.* Est in melioribus libris, *ut casu agri.* Fortassis, *ut causarii contubernales.*

ibid. *Principiorum.* Ita Stevvechius. vulgo *Principum.*

CAP. III. *pabuli frumentique.*] Mss. *pabulo frumentoque.*

ibid. *Deinde.*] Alias, *Verum.*

ibid. *unum est & maximum telum.*] Ita Stevvechius. vulgo *unum & maximum consilium.* Stevvechio astipulantur duo Palatini, & tres mei. Editio princeps consentit vulgg. Legendum forte, *una & maxima cautela.*

ibid. *prærogato auro.*] Alias, *prorogato*, & rectius. sic omnes Palatini, Gruteri & nostri fere codices.

Ibid. *comparanda.*] Vera lectio. Alias male, *comprobanda.*

ibid. *possessoribus*] Alias, *possessionibus.* insulse.

ibid. *perscrutatores.*] Mss. *persecutores.* & *executores.* Vide Stevvechium, & DD. ad Pandectas Iuris.

ibid. *armatorum.*] Membranæ, *armatura.*

ibid. *tutissimas.*] Lib. V. *firmissimas.*

Ibid. *horreorum.*] Ita Cuiacius. Male hactenus edebatur *servatorum.*] Modius repperit in suo, *aureorum.* Similiter ego in meis & Palatinis. Cæterum diserte in Palatino I. *horreorum.* Veto te dubitare de lectionis veritate.

Ibid. *conventionum.*] vv. quidam, & plerique Mss. *commerciorum.*

CAP. IV. *suis.*] Lib.v. *sunt.*

Ibid. *principum.*] Mss. sex septem, *principiorum.*

Ibid. *abrupta.*] Alias, *arbusta.*

Ibid. *locis.*] Mss. & vv. *numeris.* Nihil tamen temere mutandum.

Ibid. *principibusque.*] Iterum hic membranæ, *principiisque.*

Ibid. *Quod si fieri.*] Alias, *ferre.*

In tit. CAP. V. *quot.*] Mss. & lib. vv. *quanta.*

CAP. V. *ediscenda.*] Lib.v. *dicenda.* Modius, *edicenda.*

Ibid. *vocabula.*] Alias *vocalia.*

Ibid. *Flammulæ, tufa.*] Ita legendum ac distinguendum. perperam vulgg. & Stevvechius. Vide de his signis Nomenclatorem Strategicum.

Ibid. *iusserit.*] Lib. v. *dixerit.*

CAP. VI. *præparati.*] Alias, *parati.*

Ibid. *superveniente impetu*, &c.] Placet Stevvechii coniectura, *& superventus impetu*, *vel fraude subsessa repente turbatur.*

Ibid. *repellat.*] Lib. v. *reponat.*

Ibid. *geritur.*] vv. *gerebatur.*

Ibid. *sub periculo.*] Alias, *super periculo eligendo*, inepte.

Ibid. *percipere.*] Stevvechius, *præcipere.*

Ibid. *ostentatione.*] vv. *contestatione.*

Ibid. *per quæ loca.*] Alias, *ad quæ.*

Ibid. *Ob hoc veteres.*] Lib. v. *Sed ob hoc v.* Tò *sed* etiam hic, ut non semel supra, *nam* valet.

Ibid. *suspicionibus.*] vv. *suspectionibus.*

Ibid. *sagmarii*, &c.] Hæc vera scriptura. Vulgo *sagittarii.*

Ibid. *undique circumfunduntur.*] Mss. *undique funduntur*, *undique debent*, &c.

Ibid. *commonendi.*] Alia lectio, *commovendi.* Meo iudicio, convenientior vulgata est.

Ibid. *In necessitate.* &c.] Ita Stevvechius, ex vv. & Mss. Vulgo, *ne necessitate subita terreantur; provisa enim non solent e. f.*

Ibid. *sagmariis.*] Sic iterum legendum. Vulgo, *sagittariis.*

Ibid. *sagmariis*] Et hic vulgo erat *sagittariis*, in aliis monstrose *sagisarcinariis.*

Ibid. *in prœlio.*] Ita Stevvechius. vulgo *in prœlio, ambulante exercitu. Ut locorum* &c.

Ibid. *interprolata.*] W. & quidam Mss. *interpolata.*

Ibid. *Campidoctores.*) Hic pene assentior Stevvechio corrigenti, *Campiductores.*

Ibid. *utiliter.*) Stevvechius, *viriliter.*

Ibid. *dolabris.*) *Dolatoriis* est in aliquibus membranis.

Ibid. *utrum nocte.*) Item, *utrum de nocte.*

CAP. VII. *gravis.*) V. & Mss. *grandis molestia.*

Ibid. *hastilibus.*) Alias, *hastis.* sed genuina lectio est, *stylis fixis.* Vide Stevvechium.

Ibid. *tabulatis.*) Mss. aliquot *tabulamentis.*

Ibid. *udentur.*) Ita Modius, & Stevvechius. Vulgo, *prodentur.*

Ibid. *sociis.*) *Loris* Stevvechius. Alii, *ad socios.*

Ibid. *instantes.*) Ita Stevvechius. vulgo, *sed instant adversarii a.t. fluminum insidiasque. Sed* hic iterum *nam* valet.

CAP. VIII. *civitas murata.*) Alias, *munita.*

Ibid. *munera.*) Alias, *munia*, & *muninima.* Probo, *munia.*

Ibid. *podismum mensuræ.*) Perperam Mss. quidam, *potissimam mensuram.* CAP. XV. *podismum mensuræ* Auctor, si per sciolos licuisset, dixerat. *Podismus* aliter *Pedatura* Agrimensoribus & Gromaticis. De qua voce illi consulendi.

ibid. *Tribus.*) Iidem, *Tribus autem modis efficiunt fossas.* Et, *tres autem modos definiunt fossæ.* Arripe ex illis *definiunt*, & reliqua contemne.

ibid. *semis pedem*) W. *semissem, latus pedem.*

Ibid. *perducitur.*) *Percutiatur* Stevvechius, *preducitur*, Lipsius.

Ibid. *Campidoctoribus.*) Proba hic lectio, nec audiendus Stevvechius, cum suis *campiductoribus.*

Ibid.

Ibid. *& principiis.*] Ita Stevvechius. vulgo, *principibus.*

Ibid. *pedibus* XVII.) Mss. unus, *pedibus novemdecim.* Alter, *pedibus decem & septem vel novem.*

Ibid. *ac tribunis.*) Alias, *hinc tribunis.*

Ibid. *munia.*) Alias incommode, *munera.*

Ibid. *quaterni pedites.*) Ita Mss. & Modestus. vulgo, *quaterni pedites qui excubitum noctibus faciunt, eliguntur.*

Ibid. *in quatuor partes ad clepsydram sunt divisæ vigiliæ.* Quatuor intervalla vigiliarum etiam agnoscit Æneas, c. XVIII. Quare autem brevis temporis vigiliæ sint agendæ, monet cap. XXII. De clepsydra vero agit eodem capite sub finem. Qui locus præstantissimi Tactici utiliter hic adscribetur: *Omnium vigiliarum*, inquit, *par & communis ratio sit; ad clepsydram vigiliæ agendæ. Huius autem clepsydræ pars interior cera oblinenda, & cũ productiores sunt noctes, detrahendũ de cera, quo plus aquæ capiatur: contractioribus vero noctibus, amplius allinendum, quo minus capiatur.* Si quis ipsa Græca velit, in promptu est elegantissima editio Parisiensis: unde petat, licebit.

Ibid. *circitores.*) Palmerius & unus Mss. *circatores.* De his circitoribus, salutaria præcepta eodem, quo dixi, capite legenda apud Æneam.

Ibid. *excubias.*) Alias, *vigilias.*

Ibid. *alii mane, &c.*) W. *alii mane, alii meridie, alii p. m.*

Ibid. *agrarias.*) Hæc vera scriptura. Vulgo, *angarias:* & sic etiam hic quidam Scripti. De his ubertim in Nomenclatore.

Ibid. *dispon antur.*) W. *dispartiantur.*

Ibid. *agrariis.*] Sic optimi Libri, & Turnebus. Vulgo *angariis.* Male. Nomenclator dicet.

CAP. IX. *legem.*] W. *rationem.*

Ibid. *spes omnis.*] Alias, *spes omnes intercidunt.*

Ibid. *non aperto Marte.*] Libri aliquot, *non aperto prælio.*

Ibid. *quantos possint.*] Alias, *quantum p.*

ibid.

Ibid. *quæ necessaria.*] Lib. V. *quæ necessaria sunt, quemadmodum ab a. rep.*

Ibid. *res.*] Alias, *ars.*

Ibid. *quis contatis.*] Ita Stevvechius. vulgo, *qui contatis, qui sagittariis antecedant.*

Ibid. *fames (ut dicitur) intrinsecus pugnat.*] Videbiturne adeo à vero abludere coniectura nostra? *utrinsecus pugnat.* tam in nostro, quam in hostico. Fames tam nostrum exercitum, intercepto commeatu, quam adversarios premit, perimitque.

ibid. *quam ferrum.*] Quidam scripti, *quam ferrum extrinsecus.* Alias Editi, vv. & Scripti, *sine ferro. Vel maxime autem.* atque hoc probat Stevvechius. Supra capite tertio: *Sæpius pœnuria quam pugna consumit exercitum, & ferro sævior fames est.*

ibid. *scientes artem bellicam*] Mss. *scientes artem bellicam; an non: ex usu, an temere pugnantes; fortes gentes, an ignavæ sint.*

ibid. *Sed cum legiones, auxilia, vel equites ex diversis advenerunt locis.*] vv. *evenerint.* id ego conjicio fuisse, *convenerint.* non assecuti sunt barbari isti Poticii notam librarii *a* pro *con* scribentis per compendium. Capite huius libri IV. *Ita exercitati & eruditi in sedibus milites, sive illi legionarii, sive auxiliares, sive equites fuerint, cum ad expeditionem ex diversis convenerint locis.* &c. Idem mendum infra quoque occurret cap. XV.

ibid. *dux optimus.*] Restitue, me auctore, *optimos.*

ibid. *exercebit ipse. Sæpius tentabit.*] Ita interpunxi, præeunte Stevvechio. Male hactenus omnes, *exercebit. Ipse sæpius t.*

ibid. *ducendi.*] Alias, *deducendi,* & *educendi.*

ibid. *sed ante.*] ita vv. & Mss. quidam. Alii male, *Et ante.* Tò *Sed,* ut aliquoties supra, valet *nam.*

CAP. X. *dignitas,* &c.] ita quidam Scripti. vulgo, *dignitas provinciæ propagatur, & conservatur imperium.* Quod tolerari potest, si rescribatur, *provinciis.*

ibid.

Ibid. *tanta.*] Lib.v. *tantæ artis potestates & insignia.* Vtrum malis, elige. Nos nostro animo obsecuti sumus, atque edi iussimus, quod vides.

Ibid. *autoritatem.*] vv. & Mss. *autoritatem severitatemque maximam sumat.*

Ibid. *errantium.*] Lib.v. & Mss. *errori.*

Ibid. *securi.*] vv. quidam, *securiores.*

Ibid. *viarum d.*]Mss. *maris.* Forte, *varias d.*

Ibid. *aut dormientes, aut vacantes certe, securos.*] Stevvechius, *vagantes c. s.* Mihi videtur verum, aut vero proximum, *bacchantes, certe securos.* Poëta:

Invadunt urbem somno vinoque sepultam.

Vt ut sit, sane sic distinguendum.

Ibid. *distractis.* Idem, *distractis*, sive *destratis.* Quæ lectio vulgg. multis parasangis præcedit.

Ibid. *perhorrescunt.*] Mss. alius *horrescunt.* alius, *expavescunt.*

ibid. *prada.*]Mss. *potus*, & quidem de præda paulo ante dixit.

ibid. *Respondebitur.*] Mss. *Respondebis si fuisset ibi cautela.* Hinc Stevvechius, *R. si fuisset inibi cantela.* Sed non male etiam ex divinatione nostra, *Responde: hi, si fuisset ista cautela.*

ibid. *procul aberat.*] vv. & Mss. quidam, *procul ab erat necessitas belli.*

ibid. *res.*] Mss. aliquot, *ars.*

ibid. *debere.*] Alias, *deberent.*

ibid. *Ipsos denique.*] Ita Stevvechius. vulgo, *(Cum ipsis denique Numantinos sic capta civitate concremavit* (al. *superavit) ut nullus evaserit.* Ridicule.

ibid. *deleverunt.*] vv. *debellarunt.*

ibid. *Ambronum.*] Ita cum melioris notæ libris scripsi. Vulgo, *Vmbrorum.*

ibid. *instruere.*] Alias, *imbuere.*

CAP. XI. *plenitudo.*] Alias, *magnitudo.*

ibid. *ut citatiores.*] Melioris notæ libri, *ut audaciores sumptus escæ redderet.* Vide Stevvechium.

ibid. *& aciem.*] Ita Stevvechius. vulgg. *& aciem prius construant quam hostis adveniat.*

ibid. *parati.*] Lib.v. & Mss. *imparatisque.*

ibid.

Ibid. *lectissimi*.] Mss. & W. inserta voce, *lectissimi quique erumpant*. Atque hæc insertio mihi probat.

Ibid *multum virium*. Membranæ alias, *ne multum v. l. i. p. amittat*.

Ibid. *anhelus*. In quibusdam Mss. *marcidus*, in aliis, *incautus*. forte, *exhaustus*. non displicet tamen vulgata lectio.

Ibid. *vel nostra*. Ita Stevvechius. Tò *vel* vulgo desideratur.

Ibid. *perdiderunt*. L. v. & Mss. *didicerunt*. Quid sit, ignoro.

CAP. XII. *diligenter explora*. Stevvechius, vulgo *diligenter convenit explorare*.

Ibid. *motibusque cernitur*. Lib. v. *moribusque*.

Ibid. *inexperto*. Idem, & Mss. *inexpertis enim dulcis est pugna*.

Ibid. *oratione*. Alias, *hortatione*.

Ibid. *quasi sint facile*, &c. Ita Stevvechius. Alias, *quæ sperent se facile ad victoriam perventuros*.

Ibid. *formidolosiores*. Mss. & W. *infirmiores*.

CAP. XIII *primum auxilium captes*. W. & Mss. *capias*. Forte, *primum telum captes ex loco*.

CAP. XIV. *accedente*. Alias, *antecedente*. Mss. *ascendente*. Forte, *abscedente die*.

Ibid. *exercitus instructus frons*, &c. Mss. *exercitus instructi frons, quæ*. Vide Stevvechium.

ibid. *sagittarii*. Ita Stevvechius ex libris & cap. xv. lib. II. *sagittarii* vulgo exulant.

ibid. *sequi alium*. W. *aliquando*.

ibid. *constituitur*.] Ita Mss. lib. v. & Modesius vulgo, *construitur*.

Ibid. *acriter*. Idem Modestus & Mss. *alacriter se agunt verutis*.

Ibid *fundibulatores*. Alias, *fustibulatores* uti statim quoque. & sic Modestus.

CAP. XV *spargere*. Probe lib. v. & Mss. *exspargere*. Alias, *expandere*.

Ibid. *duos*. Membranæ, *duo*.

Ibid. *iuxta mensuram*. Castigatius lib. v. & Mss.

iuxta

iuxta mensura podismum. Ita sartum tectum remansit cap. VIII. Hic per ineptos librarios subsistere suo loco non potuit. Vapulate, Manes, quorum fraude, an scelere? tantum cœni & quisquiliarum adspersum, tot glossemata invecta.

Ibid. *Denique si angustior locus sit.* W. *Dicunt s. a.*

Ibid. *tenuata.*] Ita Stevvechius: vulgo *attenuata.*

CAP. XVI. *superfundenda.*] Mss. quidam, *fundenda.* W. *superfundenda.* Stevvechio placet *persindenda.*

ibid. *drungos.*] Genuinum Auctoris sine ulla cunctatione postliminio in sedem suam restitui. Adulterina sunt *grumos, drumos,* &, quod in Modesto legitur, *cuneos.*

ibid. *quos expeditos Velites.* Lib. v. *veteres* Mutilus videtur locus: restituendus forte in integrum, *quos expeditos pedites Veteres velites nominabant.* vide cap. XVII.

ibid. *fortissimi hostium venerint.*] Idem V. & Modestus cum Mss. *evenerint.* Hoc est, *convenerint.* Simile mendum supra cap. IX. sustulimus, & indolem mendi deteximus. De coniectura mea hic itaque repone *convenerint.* Maro Æneidos II.

Undique convenere animis opibusque parati.

Idem aliquoties, aliique plus millies.

CAP. XVII. *inimicorum.*] Alias, *innumerorum.*

ibid. *urgere.*] Membranæ, *urguere.* sic capite sequenti etiam præferunt Libri.

ibid. *circa cornua.*] W. *contra c.*

CAP. XVIII. *ne circumveniatur.*] Inserit hic liber unus, *vel emendet.*

ibid. *quam acies.*] Lib. v. *quam acies utraque se iunxerint.* Mss. *q. a. utraque se invaserint.*

ibid. *quia tu.* Mss. *sic tu.*

CAP. XIX. [*Exceptis supervenientibus vel incursionibus repentinis ex occasione, quam nunquam dux exercitatus amittit.*] Desiderantur hæc in quibusdam libris, in aliis, præcedenti capiti adnectuntur: quos si se-

si sequeris, *nam* valebit *sed:* ut vice versa supra non semel *sed* pro *nam:* sicuti monuimus suis locis.

Ibid. *sparsis.*] Lib. v. & Mss. *exsparsis.* In praecedentibus, simile annotavimus.

Ibid. *drungos.*] Sic iterum fidenter scripsimus, *grumis* (quae vulgaria lectio est) *eiectis.*

Ibid. *replices.*] Lib. v. & Mss. *repleas.*

Ibid. *in V. literam*] Mss. & lib. v. *in similitudinem V. litera.*

Ibid. *& imparatis.*] Quid si ex vestigiis trium Mss. scribamus? *quin in imparatos conturbatosque facilius hostis irrumpit.*

CAP. XX. *quadrato exercitu*] vv. *quadro.*

Ibid. *& cum in eius parte sinus, aut curvatura.*] Adi Commentarium Stevvechii.

Ibid. *quae plurimis melior.*] Apud Lipsium est, *plurimum melior.*

Ibid. *detrudendo.*] Mss. *detrahendo.*

ibid. *exinde.*] Alias, *inde expellere.*

ibid. *Ad similitudinem A littera, vel libella.*] In uno Mss. Susiano, teste Stevvechio, diserte *ad similitudinem anantra vel libellae.* Quod quid sit, N.L. mihi pronuncio. Mei codices non variant.

ibid. *Tu autem aliam e. p.*] Alias, *Tuam autem a. e. p.*

ibid. *infirmius dextrum cornu* &c.] Lib. v. & Mss. *infirmiorem dextrum cornu habuerit, & tu longe fortiorem sinistrum.* Vide Stevvechium.

ibid.] *ante quadringentos vel quingentos.*] Mss. *quadraginta vel quinquaginta.*

Ibid. *nudari compellitur.*] Alias, *denudare.*

ibid. *ante mediam aciem.*] Libri omnes, *primam:* etiam Editio Parisiensis, quae τὸ *mediam* ad oram exhibet.

ibid. *de virtute desperant.*] Alias, *diffidunt.*

ibid. *à dextra parte adversariorum.*] Rursus libri omnes, *ab acie adversariorum.*

ibid. *Nam cum*] vv. quidam. *Nam si partem sinistram.* Alii, *Quia cum sinistram.* Legendum scilicet, *Quia cum sinistram,*

ibid.

ibid. *hoc est.*] *Hoc est*, in aliis non habetur, estque à Stevvechio additum.

ibid. *securius.*] *securius.*

CAP. XXI. *multi more pecudum.*] Stevvechius de coniectura, an libro? *inulti.*

ibid. *Nam.*] vv. plerique, *Sed.*

ibid. *Vna salus.*] Virgil. II. Æneidos.

CAP. XXII. *docere.*] Alias, *edocere.*

ibid. *quando pedites.*] vv. aliquot *quemadmodum.*

ibid. *articulatim.*] *particulatim*, ut supra cap. XI. hoc lib.

ibid. *tuto.*] *Totus.*

ibid. *fundebantur.*] *Defendebantur.*

ibid. *Nihil enim periculosius.*] vide Stevvechium.

ibid. *equites consequuntur.*] vv. *insequuntur.*

ibid. *quas concades vocant.*] Ita melioris notæ libri apud me, Fr. Modius, & Cl. Puteanus *Concades* etiam legit Fonteius in Gente Cæsia, sed male Dendrophoros putat, cum inter alia, quæ Dendrophori apportant, concædes sint. Videatur Nomenclator Strategicus. Pessime in omnibus antea excusis, *compedes.*

ibid. *adversis semitis.*] Alias, *aversis.*

CAP. XXIII *ut Vrsiliani.*] Legendum forte, *Circitani in Africa, Mazaces hodieque prod.* Vide librorum varietatem apud Stevvechium: quibus Palatini & nostri fere consentiunt. Nisi quod *Circillianos*, & *Vrtilanos*, sive *Vrtilianos*, quos ille producit, non inveniam. In plerisque est *Vrcilliani.* In editione principe, *Triciliani intra affricam vel cæteri mane ices hodieque producunt.* In uno Mss. diserte exaratum *Veturcilliani.* Examinent eruditi. ex quorum cohorte Abrahamus Ortelius super hoc loco ita disserit: VRCILIANI Africæ populi apud Vegetium in Militaribus. VRSILIANI per S. alius codex legit. An forte VSILLANI, ab *Vsilla*; Οὔσιλλα Africæ Propriæ urbe Ptolemæo. *Vsula* apud Antoninum est in Itinerario, & D. Augustinus *Vselensis* Episcopi meminit. Hactenus Geographus Regius. Ante annos

annos aliquot comperior me animadvertisse, & ad oram vulgatæ Editionis annotasse ad vocem *Vrtilani* hæc sequentia. Fortasse, *Vzitani*, Οὔπτα *Vzita* Africæ Propriæ urbs, Ptolemæo, Dioni, & Aulo Hirtio, De bello Africano. *Vxita* Οὔξιτα Straboni. qui dicit, deletum esse oppidum à Cæsare, in bello quod cum Scipione gessit. *Vcitana* Plinio vocatur, duplexque est, Maior & Minor. Et hos populos Africæ, camelos in aciem produxisse, quod Flavius hic indicat, legimus. De Iubæ regis Numidiæ camelis, bello Africano captis, Hirtius scribit.

Ibid. *Vrsiliani in Africa, Macetes hodieque prod.* Ex varia lectione præterea legendum videtur, *in terra Africa Mazaces hodieque prod. Mazaces*, sive *Mazuces*, populi sunt Africæ. Meminerunt Lucanus lib. IV. Claudianus in Panegyrico Stiliconi dicto, Olympium Nemesianum in Cynegetico, Oppianus in Venatione, & alibi Suetonius. *Armillata & phalerata Mazucum turba atque cursorum.* Nullos esse in Africa *Mazaces* populos, sed *Mazuces*, ostendit in arduo opere ad Solinum eruditissimus Salmasius.

Ibid. *confusas*, &c.] *confusas etiam pulvere vias*, Stevvechius, & apud eum Gabriel Rolandius, *confusas etiam in pulverulento vias*.

Ibid. *inefficax*.] Inserunt hic W. *si ab insolitis videatur.*

Ibid. *quoniam frequenter obnixi.* Adi Commentarium Stevvechii.

CAP. XXIV. *Vnoque.*] Mss. *unoque afflictu aut vulnere à tergo decipitur.*

Ibid. *Tribulus est quatuor.*] W. *est ex quatuor.*

Ibid. *quodquomodo abieceris.*] Lib. v. & Mss. *quod abiectus t. r. instat.* Forte, *quod abiectum.*

Ibid. *Elephanti.*] Ita W. Alias, *Elephantes.* sic & inferius. Vide etiam atque etiam, num totus locus ad hunc modum sit restituendus: *Elephantes in prœliis magnitudine corporum, barritus horrore, forma ipsius novitate, homines equosque conturbantes, contra Romanum exercitum primus in Lucania Rex Pyrrhus eduxit:* postea

postea Hannibal, &c. Ex *conturbant. Hos contra*, feci, *conturbantes contra*, pauxillula immutatione: & sollemne librariis adiectione literæ *h* plurima vocabula proferre, quomodo hic *conturbanthes* fuit.

Ibid. *adversus quos diversa excogitarunt* genera *armorum.* Optimi libri post *diversa* inserunt *resistendi e. a.* Quidam porro ex iisdem, *armaterum* habent.

Ibid. *Nam & centum.* Membranæ, *Turio*, & *Curio.* Quod quid sit, iuxta cum Stevvechio & ignarissimis scio. Palatinus 1, *Nam & Minucius centurio.* Optime. Sed Vegetius centurionem vocat, quem alii Legionis IV. primum hastatum. Historia Miscella lib. 1: *protentum in se tam ferocis belluæ uncum, quam manum vocant, desecuit*, scilicet Minucius. *In Apulia ad Asculum*, ait Florus lib. 1. de bello Tarentino, *melius dimicatum est, Curio Fabricioque Coss. iam quippe belluarum terror exoleverat, & C. Minucius quartæ legionis hastatus, unius proboscide abscisa, mori posse belluas ostenderat.*

Ibid. *clibanarii sarissas.* Habet vetus Editio Modesti, *amentatas sarissas.* Non inconcinne, non temere.

Ibid. [*ne manu sua*] *elephas.* Vncinulis inclusa damnant optimi libri, & ipse Modestus.

Ibid. *elephantes ordinaverunt.*] W. *elephantes.*

Ibid. *prætercurrentibus.*] Iidem, & Modestus, *præcurrentibus.*

Ibid. *Indos, per quos regebantur elephanti.* Ita imprimi curavimus, non annuente quamvis Stevvechio: sed volentibus melioribus libris, & Historia. Q. Curtius lib. VIII. *In ipsum Porum tela congesta sunt, queis tandem gravatus, labi ex bellua cœpit. Indus, qui elephantem regebat, descendere eum ratus, more solito elephantem procumbere iussit in genua*, &c. Martialis lib. I. epigr. CV.

Et molles dare iussa quod choreas
Nigro bellua nil negat magistro.

Hos rectores aliquoties *magistros* appellant Histo-

rici,

rici. Livius sane, quod probe memini, & ipse Vegetius paulo post. Regebatur in bello elephas non arbitrio militum, non ab ipsis in turri pugnantibus, sed Indo aliquo rectore imposito. Propter hæc aliaque incommoda bello inidoneæ atque inhabiles visæ sunt illæ vastorum corporum moles. Lucretius denique has boves Lucas *commune malum* appellavit lib. V.

Ibid. *quæ irrupissent.*] vv. & Modestus, *quasi.*

Ibid. *quæ sint tã immanibus op.*] Lib. v. *quæ sit caussa tam immanibus bel. op.* Stevvechius, *quæ sit cautela*, &c.

CAP. XXV. *perniciosæ cladis tamen* &c. *& medicina quærenda est.* vide Stevvechium.

Ibid. *esse discrimen.*] vv. *evenire.*

Ibid. *captatis occasionibus.*] Lib. v. & aliquot Mss. *occupatis.*

Ibid. *desit.*] vv. *desit.*

CAP. XXVI. *expeditionis,*] Lib. v. & Mss. *expeditionibus.* Quod non displicet Stevvechio.

Ibid. *agrariis.*] Ita legendum eidem videbatur ex Lib. vv. cum vulgo sit, *angariis.* Quod hoc loco non spreverim.

Ibid. *quam ea.*] Mss. *nisi ea.*

Ibid. *spargere.*] Lib. v. & Mss. *exspargere.*

Ibid. *paucos viros fortes natura procreat.*] Lib. V. *Paucos namque viros natura procreat.*

ibid. *Qui frumentum, necessariumque* &c.] Lib. V. & Mss. *frumenta, necessariaque non præparat.*

ibid. *prælium debet incipere.*] Alias, *bellum.*

In epilogo. *Campidoctores.*] Recte. Cave Stevvechium audias, qui pertendit legendũ, *Campiductores.*

LIBRO QVARTO.

IN prologo.] *Nemen Reipublicæ peperit.* Alias, *reperit.* Editio princeps & Mss.

ibid. *ab aliis.*] vv. *ab illis.*

ibid. *divino nutu videantur parata.*] Stevvechius, *enatæ*, & sic C. Barthii Mss. Duo mei membranacei,

cei, *videantur ornata*. Præcedentia igitur ad hunc modum castiganda, *ut non tam humana manu condita, quam divinitus videantur orta*. In tertio, qui Fl. Eutropii manum emendatricem venditat, diversa interpunctio: *divino nutu videantur. Hanathee cunctos Imperatores*. Si τὸ *Hanathee* non detortum sit ex illo *enata*: medius fidius! nescio quid portendat. Concurrite omnes augures, aruspices. Quid si, *Anteïs cunctos Imperatores s. m. c. i. e. studiorum amore. Præcellentis regni, animique tui bona*, &c.

Ibid. *pracellis*.] Stevvechius, *pracedis*.

ibid. *bonum*.] Alias, *donum*, &, *honorem*.

Ibid. *quantum* &c.] Mss. & Lib. v. *quantum murorum profuerit labor & constructio*.

Ibid. *Roma*.] Mss. *Res ad documentum est*.

CAP. I. *In illo naturali beneficio, tutissimum eligentis consilium*.] Ita scripsi suasu Mss. & Stevvechii. Vulgo, *In nullo naturali beneficio tutissimo eligentis consilio*.

ibid. *redderentur*.] Mss. *reddantur*.

CAP. II. *veteres duci noluerunt*.] Tres Palatini, nostri, & Barthii Mss. *ducere*.

ibid. *ad ictus arietum esset dispositus*.] Idem, & duo Palatini, aliique, *expositus*.

ibid. *veluti in sinum conclusus*] Alias, *in sinu*.

CAP. III. in tit.] *Quemadmodum muris terra iungatur egesta*.] Mss. tres, & Palatinus I. *Q. m. e terra iungatur aggestus*. Nihil temere mutandum. Videtur ille, quisquis fuit, Auctoris enim Inscriptiones istæ non sunt, voluisse fere quod de Aggesto, & Ἄγεστα sive Ἔγεστα, voce Barbaro Græca, observatū eruditissimo Meursio in Glossar. Græc. Barb. Vide ibi, an quid simile habeant Thais & Hermione.

CAP. III. *ut unquam*.] Mss. *ne unquam*.

ibid. *parum*.] vv *prorata*.

ibid. *quasi clivo*, &c.] Absurdissime ita hactenus lectum. Scribe, suadentibus libris, *quasi clivo molli, usque ad p. p. ascendi*. Nihil vidi verius.

ibid. *vicem*.] vv. *invicem*.

CAP. IV. *exurantur*.] Libri optimi, *necantur*.

Ibid.

Ibid. *ponitur cataracta.*] Consulendus de cataracta Salmasius ad Solinum.

Ibid. *de superiores.*] Lib. v. *de superiori loco effusa aqua subiectum extinguat incendium.*

CAP. V. *inundari.*] W. *redundare*, & *redundari.*

CAP. VI. *Deinde propugnacula duplicia. Deinde per oppugnacula*, Stevvechius.

Ibid. *quas metellas vocaverunt.*] Ita aliquot Mss. & W. in quibusdam est *metilas*, & *medullas*. Consule Nomenclator.

Ibid. *supra.*] Alias, *super.*

CAP. VII. *quamvis levi suspicione pulsati.*] Mss. *quamvis levis suspicio sit pulsationis.*

Ibid. *Pabula equis sunt pracipue.*] W. aliquot, *Pabulaque sunt pracipue.*

Ibid. *proficit.*] Alias, *prodest.*

Ibid. *Imbellis.*] Alias, *Imbecillis.*

Ibid. [*portis.*] Lib. v. & Mss. *foris.*

Ibid. *opprimeret.*] Alias, *perimeret.*

CAP. VIII. *Bitumen, sulphur, picem liquidam*, &c. vide Commentarium Stevvechii.

Ibid. *Minima fundis, sive fustibalis.*] Mss. & v. *ad fundas, sive fustibalis.* Hoc malo, & phrasim Vegetianam magis redolet. Sic alibi noster non semel locutus.

Ibid. *maxima vero pondere*, &c.] Adi Stevvechium.

Ibid. [*quas taleas vocant.*] Membranæ partim *galeas*, partim *coleos*. Consule Nomenclatorem.

CAP. IX. *intenta.* Alias, *intendantur.*

Ibid. *indubitatum vero est*, &c.] Ita Stevvechius. vulgo, *Indubitanter vero & e. f. i. e. t. m. h. v. Romana necessitatis experimento cognoscitur.*

CAP. X. *ficciora sunt loca.*] Mss. *si altiora sunt loca.*

Ibid. *substruenda.* Alii libri, *sutrahenda*, alii rursus *substituenda.*

CAP. XI. *& sal defuerit.*] Aliquot W. *sales defuerint.*

Ibid. *salem.* Iidem, *sales.* Sic & infra ipso fine capitis.

Ibid. *superfuderat.* Libri optimi, *fuderat.*

CAP. XII. *in spem deditionis.* Alias, *spe deditionis.*

CAP. XIII. *etiam.* Libri omnes, *enim.* Leviculum, sed tamen nobis, qui minutissima quæque rimamur, monendum fuit.

CAP. XIV *qua.* Alias, *qua:* sed Mss. *qui.* vide Stevvechium.

CAP. XV. *causias vocant.* Libri aliquot, *cautias.* Parisiensis Editio, quæ Budæum censorem profitetur, in ora *cattos* habet. Sed hæc accuratius excutienda in Strategico Nomenclatore.

Ibid. *octo.* Alias, *septem.*

Ibid. *septem.* Alias, *octo.*

Ibid. *pedibus sexdecim.* Ita legendum. vide Stevvechium.

Ibid. *tabulatis.*] Dubito an rectum, *tabulis.*

ibid. *iunguntur in ordinem.*] Mss. *coguntur in unum.*

ibid. *subsidentes.*] Mss. *obsidentes*, quod germanum puto.

ibid. *absidis.*] Alias, *cassidis.*

Ibid. *obsidentes.* Lib. v. *subsidentes*.] Mss. *subsistentes.* nugæ meræ.

CAP. XVI. *si lutum obsuerit.*] Lib. v. & Mss. *sudatum auferunt.* Vnde Lipsius, *sudetum auferunt.* Male. Quod abunde testabitur Nomenclator Strategicus.

CAP. XVII. *vel centonibus.*] W. aliquot, *& centonibus communitus.*

CAP. XVIII. *eruptione facta, globus egreditur.*] Laborat locus ab interpunctione. Apollinem Propugnatorem iurare ausim, scribendum: *eruptione facta. Globus e.*

Ibid. *machinamentum illud ingens, direptis coriis, ignis exurit.* Ita edendum curavit Stevvechius, cum legeretur vulgo, *m. i. i. d. coriis de lignis exurit.* Quomodo biga Palatinorum. Mss. mei duo, *m. i. i. d. coriis vel ignis exurit.* Tertius, Æmiliano de R. R. subiunctus, *direptis coriis vel centonibus*

 ignis

ignis exurit. Editio princeps, *directis coriis de lignis exurit.* Hic (ita me Iupiter) legendum aio, *m. i. ingens, direptis coriis de lignis, exurit.* Verbum *exurendi* respicit illud quod paullo ante præcessit, *globus armatorum egreditur.* Stevvechius malos duces secutus, lapsus est. Iocularis prorsus lectio est, *ignis exurit.* Sed postmodum correxit se, maluitque Hittorpianis membranis, hac parte mutilis, credere, in quibus abiectis cæteris legebatur, *d. coriis exurit.*

ibid. *ad maiores balistas malleolos*, &c.] Ita excudendum iussi, septem testibus codicillariis munitus, & volente Stevvechio; cuius sex libri non aliter: quibus accedit Editio princeps, & Turnebus, ita hunc locum producens Adversarior. lib. XIV. cap. XI. Phraseos huius Vegetianæ, intelligis, puto, nos alias, & nuper admodum hoc libro, meminisse. Nihilominus facere non possum, quin alterius adhæc lectionis te commonefaciam. In uno Palatinorum est, *de maiore balista*; eodem sensu.

Ibid. *cum incendio destinant.*] Varia significatione *destinare* legimus. hoc loco est mittere tormento aliquo, aut arcu: quomodo in Arietis machinæ bellicæ descriptione usus est Isidorus Originum lib. XVIII. cap. XI. *deinde retrorsum ducta impetu maiore destinant.*

ibid. *quia ardentes sunt.*] Exemplaria optima, *veniunt.*

CAP. XIX. *urbi.*] Lib. V. *ubi.* Mss. *turris.*

ibid. *si inveniatur inferius.*] Alias, *si inveniantur inferiores.*

Ibid. *tabulatis.*] Alii & Stevvechius, *tabulis.*

ibid. *trochleisque.*] Lib. V. *troceisque.* in alio, *erodeisque.*

CAP. XX. *turris ambulatoria murorum altitudinem*, &c.] vv. plerique, *turris ambulatoria supra murorum altitudinem ac turrium omnium pararetur.*

Ibid. *mechanici.*] Membranæ & Lib. V. *mechanico.* Quod fere vulgatæ lectioni prætulerim.

Ibid.

Ibid. *tanto ponderi solo cedente*, &c.] Ita Stevvechius.

CAP. XXI. *à similitudine cithara.*] Mss. *ad similitunem c.*

Ibid. *ascendat ad murum*] Libri saniores, *descendat*. Recte.

Ibid. *protenditur.*] vv. tam scripti quam editi, *protruditur.*

Ibid. *imponuntur.*] Alias, *ponuntur.*

CAP. XXII. *Balista funibus, nervis.*] Mss. aliquot, *funibus nervinis.* Alias, *funibus & nervis.*

CAP. XXIII. *Aliquanti centones & culcitas fustibus calcant.*] Mss. unus, *funibus colligunt.* Alius, *ligant.* Alii melioris notæ, *funibus calcant.* unde vir doctus apud Turnebum, *funibus chalant.* Vide Adversarior. lib. XXIV. cap. XXV. *Chalare* à verbo Græco χαλᾶν, *laxare, demittere.*

ibid. *avertunt.*] Alii Libri, *evertunt.*

CAP. XXIV. *ducunt.*] vv. plerique, *inducunt.* Alias, *introducunt.*

Ibid. *subter ignis immittitur*] Lib. v. *in opera ignis.*

Ibid. *inruptione.*] Alias, *inruptioni.*

CAP. XXV. *portas civitatis*] Alias, *civibus.*

Ibid. *necessitas enim quadam virtutis est desperatio.*] In Modii membranis est, & quibusdam nostris, *ne necessitatis e. q. virtus est desperatio.*

ibid. *auxilium.*] Mss *consilium.* Forte, *telum.* Quomodo hoc interpolasse Stevvechiũ meminimus alibi.

CAP. XXVI. *postmodum.*] Iidem, *post metum.*

ibid. *clanculum.*] vv. *clanculo.*

ibid. *tuguriola.*] Membranæ, *teguriola.*

ibid. *anseris.*] Libri aliquot, *anserum.*

ibid. *excitatus*] Stevvechius, *excitus.*

CAP. XXVII. *astu se à prœlio.*] Alias, *astu se prœlio.*

CAP. XXVIII. *in perniciem.* Alii, *ad perniciem.* Lib. v. *ad interniciem.*

ibid. *Propter quod.*] Alii, *Propter hoc.*

ibid. *iactum teli.*] Mss. aliquot, *ictum t.*

ibid. *faciunt.*] Lib. v *iaciunt.*

ibid. *loriculam.*] Mss. *loricam.*

Ibid. *loricula.*] & hic, *lorica.*

CAP. XXIX. *precidunt.*] W. *precedunt.*

In Epilogo, *pro publica.*] Mss. *duplici.* In uno meorum est, *pro re publica u. a. utilitate digessi.* Scribe, *pro Reipublica, ut arbitror, utilitate digessi.*

Ibid. *iterum iterumque.*] Ita legendum fideiubentibus Mss. vulgo τὸ *iterum* ignoratur.

Ibid. *condenda.*] W. quidam, *considerandâ.* Atque hic interrumpere, & codices quosdam scriptos sequi placuit, finireque librum quartum. Liber quintus qui sequitur connexus præcedentibus in excusis omnibus legebatur. Et Volaterranus Vegetium libros V. Institutorum Rei Militaris scripsisse, testatur Commentarior. Vrbanor. lib. XX.

LIBRO QVINCTO.

PRæcepta belli navalis novo libro auspicamur, ex sententia Mss. quorundam, & ipsius (nisi fallor) Auctoris. Quamquam hæc (nequid dissimulem) libro quarto subiunxisse Flavius potest videri, ad exemplum Æneæ, vetustissimi Tactici; qui tractationem de navali bello subiunxerat (& legeremus hodie, si per temporum iniquitatem licuisset) tractationi de obsidione toleranda: quia urbes maritimæ mari non minus quam terra possunt obsideri. Ita ut prior pars quarti libri sit πολιορκητικὸς, & posterior ναυμαχικός. Similiter Philo Mechanicus de re militari scripsit, sicut ex iis constat quæ hodie leguntur in fine commentarii Poliorcetici illius. Extat enim in Christianissimi Regis Bibliotheca, & tractavi olim Mss. exemplar Commelinianum, quod etiamnum superesse existimo inter libros Bibliothecæ Lugd. Batavæ ab illustri viro Iosepho Scaligero (heu, quondam nostro!) legatos. Quare non admodum repugno, si quis iterum velit coniungere, sic ut prior & melior pars libri constet ex πολιορκητικῷ, & posterior sit (ut dixi) ναυμαχικός.

Ibid. *Præcepta belli navalis.*] Lemma est capitis

31.

31. lib. IV. in omnibus antea excusis; & in quibusdam scriptis etiam. Nonnulli lemmatibus destituuntur, & recte. In aliis iterum alia distinctio capitum, aliusque ordo. De quo alias fortasse videbimus.

Ibid. post *agitur terrestre certamen.*] In uno v. *Huc usque præfatio libri quinti.*

CAP. I. *classu autem Ravennatium Epiron.* Scribendum erat *Epirum.* nã Ἔπειρος Ptolemæo & cæteris. Sed Stephano per η scribitur Ἤπειρος. Libentius tamen hic legerim *Epiros*, cum membranaceis meis duobus optimæ notæ. Epirum geminam faciunt Sex. Rufus in Breviario, & D. Paulinus in Nicetæ abitu, aliique. In Veterem enim & Novam posterioribus temporibus ea Græciæ regio divisa fuit; ut constat ex Notitia Imperii. Cur autem editorum librorum, quam reconditorum sanctior & iuratior fides? Repone itaque, iis auctoribus, *Epiros.*

CAP. III. *Ergo similitudine*, &c. Libri aliquot, *Ergo nomen & similitudinem usurpati.*

Ibid. *Iadertinæ.* Stevvechius *Iaderinæ* & *Iaderæ.* sed legendum ex vestigiis Mss. *Hiadertinæ*; vel *Hiadertinor.* quomodo nonnulli cum afflatu *Hiardertinorum* legunt apud Hirtium De bello Africano.

CAP. IV. *struendis.*] Membranæ pleræque, *struendæ.* Stevvechius, *substruendis.*

Ibid. *tanto.*] idem, *quanto.*

Ibid. *quanto.*] idem, *quando.*

Ibid. *configenda.*] Mss. *compingenda.*

CAP. V. *tertiam.*] Meliores libri, *secundam.*

Ibid. *octo*] iterum, *septem.*

Ibid. *quod ars ipsa, & omnium architectorum quotidianus usus edocuit.* Alias, *quod præter omnium architectorum doctrinam quotidianus v. e.* Perplacet. Similiter cap. X. & XI.

Ibid. *religionis agnoscimus.*] Vide Commentarium Stevvechii. *Religio* pro *antiquitate*, notatum in margine V. editionis.

CAP. VI. *usque ad Kalendas.* Mss. *usque Kal.*

Ibid. in fine capitis auctiores hinc tres Palatini, meorumque unus, & Editio princeps: cæteri à vulgariis non abeunt.] Mss. *Nihil periculosius navigantibus, quam viridia tabulata. quam hiatus tabulatorum. quam hiare tabulata.* & sic Ed. pr. in Palatino altero est, *quam minuare tabulata.* Nauci omnia Stevvechio, quem vide. Nobis ampliandum videtur. Sed modus esto.

CAP. VII. *remigum.*] Lib. v. *remigium.*

Ibid. *Britanni pictas vocant.*] Mss. *picatos.* Vnde Stevvechius, *pincas.* Mss. meorum unus, *Britannii pecatos.* alter, *Britannici picatos.* Viderint docti.

ibid. *Vngere.*] Mss. *unguere.*

CAP. VIII. *Quicunque exercitum.*] Libri quidã, *Qui cum exercitu.* & inferius, *vehuntur.*

Ibid. *sed experimento posterior ætas,* &c.] Membranæ quædam, *sed per experimentum.* aliæ, *sed experimentum posterioris ætatis* XII. *invenit.* Aliæ, *sed non solum posterioris ætatis comprehendit vocabula, ad diluendam vero dubitationem.*

ibid. *A verno itaque solstitio.*] In VV. *Hyberno itaque s.* Quod ineptum hic, & nive Gallicana frigidius. In Palatino uno, *A verno itaque equinoctio.* sed erasa priore lectione, quæ forte fuit *solstitio.*

ibid. *Huic à dextra iungitur καικίας.*] Quid facias istis nebulonibus, qui hic immani scelere Vegetio fidem excusserunt & cerebrum. Promiserat se pariter Græca & Latina ventorum nomina adscripturum. Atqui hic, siquidem vulgari's editiones sequamur, mendax desideraris, mi Flavi. Sed reclamant & de fide tua dubitare nos non sinunt membranæ. Mss. meus, qui Eutropium correctorem loquitur, supplet *Cecias sive curoborus. à sinistra Eurus sive vulturnus.* Alter, qui Frontino Mss. subiunctus, *c. sive euroborus.* Tertius, *c. sive eroboreus.* & initio appicta supra vocem *eroboreus*, litera *r* nescio an *v.* Editio princeps testatur satis superque in codice, ex quo expressa eadem, Græca vocabula perscripta fuisse: nam vacuum iis spatium relictum

ctum est, more usitato apud ævum prius sub ipsam infantiam Typographiæ, cum adhuc Græcis Characteribus operæ destituerentur. Quare ad hunc modum reliquerunt: *Huic à dextra iungitur sive Asinistra.* Liber Stevvechii impressus vetustissimus, quem manuscripto non deteriorem deprædicat, & alter Susii codex, *χαικίας seu erobinus.* Palatinus 1. *χαικίας sive roboros; quod Latini vuturium vocant.*

Ibid. *Occidentalem cardinem tenet ζέφυρος. Huic à dextra.*] Absit, ut hic iterum vanus promissor sit Vegetius. Mss. libri supplent, *ζέφυρος*, id est, *subvespertinus.*

Ibid. *cui adhæret à dextra τραχκίας, sive Circius.*] Imo, Θρασκίας. qui ventus unde dictus, unde & alii sua sortiantur nomina, incredibili diligentia & felicitate exponit incomparabilis Salmasius in exercitationibus Plinianis ad Solini polyhistora, cap. LIV. ubi mysteria, ubi *molta antiqua sepolta* eruit.

Cedite Romani scriptores, cedite Graii:
Nescio quid maius nascitur hoc Opere.

Ibid. *æstuantibus.*] Alias, *exæstuantibus.*

Ibid. *spiramine.*] Lib. v. *inspiramine.*

CAP. IX. *vis atque acerbitas maris patitur n. &c.*] Mss. *vim atque acerbitatem patiuntur navigantes.*

Ibid. *Phænita.*] Turnebus, *Pharmuti.* Ego, Παωνί. De quo alias.

Ibid. *navigia conturbat.*] Mss. *navigia conturbantur Vergiliarum hyemali occasu.*

Ibid. *noxque prolixa, nubium densitas.*] Mss. meus auctior, *n. p. poli ac nubium d.*

ibid. *ventorum, imbri vel nivibus geminata sævitia.*] Mss. Eutropianus, *v. imbrium vel nivium geminata s.* Elegantius, & verius.

ibid. *mercium,*] Mss. & Lib. v. *mentium.* Alias, *commercium.*

CAP. X. *aliquorum.*] vv. *aliorum.* Haud æque bene, meo animo.

Ibid. *signentur.*] Lib. v. *firmentur.* alius, *testentur.*

Ibid. *aliquando.*] Mss. aliquot, *aliquanto.* quod magis ad auctoris phrasin.

Ibid. *quod confitendum est.*] Iidem, *quia confitendum est.*

Ibid. *transitusque siderum.*] Alii, *Transitus quoque s.*

Ibid. *dierum.*] W. quidam, *diei ex arbitrio creatoris.* Aliud denique, *dei arbitrio c.*

CAP. XI. *nimbos.*] Alias, *imbres.* contra mentem Poëtæ Vegetium in hac observatione præeuntis. Georgicorum primo:

Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni,
Omnia tunc pariter vento nimbisque videbis
Fervere. - - - - -

Nigidius ait (apud Isidorum De rerum natura cap. XXXVIII,) *Luna si summo corniculo maculas nigras habuerit in primis partibus mensis, imbres fore prædicit: Sin autem media, tunc cum plena sit, in eo corniculo serenat. Certe si rubet, quasi aurum, ventos ostendit. Fit enim ventus ex aëris densitate: densitate obducta Sol & Luna rubescunt. Item, si cornua eius tecta fuerint nebula, tempestas futura est.*

Ibid. *solido.*] Alias. *solito.*

Ibid. *urgentibus.*] Membranæ, *urguentibus.*

ibid. *se scire profitentur*, &c.] in membranis nonnullis est, *si se scire profitentur, peritiam magis usus instituit, quam al d. f.* vide Stevvechium. in scripto quodam reperi, *peritia magis usus, quam a d f.* Quod insuper habendum non est. Similiter fere fine capitis præcedentis.

ibid. *Aliquanta ab avibus.*] Mss. I. *aliquanta portenta ab a.*

ibid. *Virgilius in Georgicis.*] Libro primo.

ibid.] *Varro in libris Navalibus.*] Non est hic, ne erres, doctissimus togatorum P. Terentius Varro: sed Varro Atacinus, qui Argonautica versibus Latinis eleganter, quod ex fragmento uno atque altero nobis constat, scripsit. Sed istud opus, cum multis aliis præclaris ingenii monumentis, intercidit. Luculenti aliquot versus

eius apud Isidorum leguntur, libro *De natura rerum*, sive, ut est in Pithœano codice *De Astronomia*, cap. x. & xxxvii. Aliter etiam *De mundo* inscribitur. In Mss. Pauli Petavii *Rotarum liber* appellatur. Quid si, *Notarum?* Nam fere omnia prognostica sunt. Sane non contemnendum opusculum, & dignum viri docti censura. Multa indidem fragmenta Nigidii, Varronis, Suetonii Tranquilli, & aliorum, haurienda. Versus autem Varronis, quos innui modo, & dixi extare xxxvii capite, corruptissimi sunt vulgo & multis maculis obsiti. At castigatiores iidem habentur in Notis Ioannis Griali, sive P. Ciacconii. Vide etiam eos qui Fragmenta veterum Poëtarum edidere. Operæ pretium est Isidori hunc libellum consulere, etiam Vegetii caussa.

CAP. XII. *Hac reciprocantis meatus ambiguitas.*] Editio princeps, *Hac rei meatus ambiguitas.* Vnde elicuerim, *Hac reumatis*, sive *rheumatis ambiguitas*. Sed in manuscriptorum meorum uno, eoque omnium optimo, reperi diserte exaratum, *hac reciprocantis maris ambiguitas*. Quod & impense placet. Fugitivam itaque Vegetii scripturam retraho. Et quia hisce diebus non minus mihi in emendatione Solini quadam placui, eam lubet adscribere: & facere non potui, quin, facta hic oportune vocis *meatus* mentione, unoque inepto librariorum *meatu* hinc procul commeare iusso, alterum etiam eiusdem notæ *meatum*, oraque quorundam liberiora, castigarem obiter, an obfrenarem, & coniecturam meam in medium proferrem, Musis, ut opinor, faventibus. Solinus Polyhistoris capite xxx. *Æthiopicis lupis proprium est, quod in saliendo ita nisus habent alitis, ut non magis proficiant cursu, quam meatu.* Fateor equidem, auctorem istum in multis hallucinari, & errare cum auctore suo: at heic viros doctos ipsi insultare, & tanta vehementia expostulare, vix fero. *Quare* (inquiunt) *nisus habent alitis?* an solæ alites saliunt? quid heic appellat *meatum?*

Avium meatus dicitur in aëre volantium: In aliis, & in margine optimi codicis notatum, *ut non magis cursu proficiant quam adsultu*. idque longe melius. Plinius dixit tantum, *saltu velox. τῷ πηδήματι.* hoc non proprium est avium, sed multorum quadrupedum; ut leonis & aliorum. Quare quid *nisum alitis* heic vocet, quid *meatum*, sane nescimus: illud scimus, illum nugari, & Solinus non esset, nisi nugax esset. Hæc illi tanto cum stomacho, tanto cum fervore, ne dicam errore. Ego vero non in Solinum ipsum, sed in eius librarios culpam omnem huius distortissimæ sententiæ reiicio, & admissa in contextum optimi codicis optima nota, de hoc loco sanius meliusque statuo. Rescribo, *Æthiopicis l. p. e. quod in saliendo ita nisus habent alites, ut non magis proficiant cursu, quam adsultu.* Ecce, pauxillula immutatione nunc omnia plana: neque est, quod quidquam hic in Solino desideres. Dicit lupos hos salire potius quam currere; ita veloces esse & pernices. Perspicuus locus, & non indiget interprete.

Sic tua laudentur: sane mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant, & sine Grammaticis.

Ibid. *Quæ dimicaturo magna sunt cautione vitanda.*] Mss. idem, quem modo nominavi, *quam magna s. c. v.* Nec temere spreveris.

Ibid. *ante congressum debet agnoscere.*] In aliquibus est, *cognoscere.*

CAP. XIII. *lacerti remigum.*] Alias, *latera.* Lib. v. porro *remigium*, pro *remigum*.

CAP. XIV. *tegminum.*] vv. *tegiminum.*

Ibid. *nemo debet vel potest conqueri.*] Ita supplendus hic locus ex uno Mss. & v. Vulgo, *nemo potest conqueri.*

CAP. XV. *urgentur.*] Mss. *urguentur.*

Ibid. *optata.*] vv. plerique, *optate.*

Ibid. *in campo.*] Libri meliores, *in campis.*

Ibid. *collatorios funes.* Audiendus omnino Guilielmus Pellisserius corrigens *chalaterios funes* apud

Turne-

Turnebum, cui *colatorios* placebat. Sed alterum auro contra carum ; quanquam membranæ nostræ vulgatum tueantur.

Ibid. * * * *De lusoriis*, &c.] Labem & lacunam farcire hanc absque ope integrioris codicis, non est in potestate nostra. Est vero illud, Flavium hic egisse de scaphis exploratoriis sive agrariensibus. Nam Mss. unus, tacentibus reliquis omnibus, plerumque turpi hiatu deformibus, inculcat hic nescio quid super isto negotio. Scribunt enim, *De rostris quæ in Danubio agrarias* &c. Grave proculdubio inflictum Vegetio vulnus. De lusoriis agrariensibus videor aliquid legisse ; sed otium nunc non est ea perfectandi. Fiet id, volente DEO OPT. MAX., alias : & diligentiam nostram testabitur abunde Nomenclator Strategicus.

Ibid *frequentior.*] Alii, *recentior.*

FINIS.] In Palatino primo legitur, *Expliciunt libri quattuor Flavii Vegetii Renati viri illustris Comitis ad Theodosium Imp.* In alio, quod penes me est, Mss. *Fl. Eutropius emendavi sine exemplario Constantinopoli Conss. Valentiniano Aug.* VII. *&* *Avieno feliciter.* Quæ notanda, & expendenda maiore diligentia & otio.

Claudii Salmasii Notatio ad locum Vegetii lib. 1. *cap.* V.

Proceritatem tironum ad incommam scio semper exactam. Ita in libris suis veteribus esse scriptum notant viri docti. Vidi & librum bene vetustum, in quo planis litteris exaratum fuit, *ad incomam scio semper exactam*. Ita & duo libri habuere, ex quibus mihi varietates à se collectas communicavit Franciscus Iuretus. Glossæ Isidori hanc lectionem & comprobant & explicant. sic enim habent: *incoma, mensura militum.* Videtur autem pa-

lus quidam menſuralis in caſtris ad hanc rem fuiſſe olim poſitus & defixus, ut ad eum admotis qui ad militiam deligebantur tironibus, vel qui ſponte ad militandum accedebant, an ſtatura iuſta ac legitima eſſent, examinarentur. ἐγκόπτειν πάτταλον Græci dicunt, palum defigere. hinc ἔγκομμα, palus in terram defixus, &c. *Initio Notarum in Ælii Lampridii Alexandrum Severum.*

FINIS.

PETRI

P. SCRIVERII ANIMADVERSIONES IN *SEX. IVL. FRONTINVM,*

à Philologo quodam excerptæ

Ex Editione SCRIVERIANA

ANNI cIↃ IↃ C VII.

LIBRO PRIMO.

IN Præfatione. *στρατηγηματικῶν.*] στρατηγημάτων.

Ibid. *discreta.*] Alias, *discreta rerum collocarentur varietate, apte in tres libros.*

Ibid. PACATIONEM.] Alias, PACTIONEM.

CAPITE I. exemplo II. *Himilco.*] Ita lego, non *Hamilcar*, uti vulgo est.

Ibid. exemp. IV. *commissum.*] Ita Modius, ita tres mei Scripti. vulgo τὸ *innotescere*, hic inserunt, sed è glossa.

Ibid. *à filio.*] Sic idem Modius; cum antea esset *à consilio.*

Ibid. exemp. V. *ut ad mores.*] Alias, *ut a. m. A. v. deficeret.*

Ibid. exemp. VI. *& ob hoc operosiores pontes iungunt.* Hæc lectio non cohæret, quare Cl. Salmasius *operosiore ponte*, legendum existimat. *Ripas ponte iungere*, rectum & Latinum est.

Ibid. exemp. IX. *deinde.*] Alias, *demum.*

Ibid. exemp. XIII. *Vereris, ne tubam non exaudias?* Alias, *vereri se ne tuba id audiat.* item, *vereris ne tuba id audiat.*

CAP.

CAP. II. exemp. VI. *præsignata.*] Alias, *signata.*

Ibid. exemp. VIII. *Tisamenus.*] Ita lego: vulgo est, *Thyamenus.*

Ibid. exemp. IX. *iunctum Livii.*] Ita Stevvechius: vulgo est, *tunc L.*

CAP. III. exemp. VI. *emittendi.*] Alias, *amandandi.*

Ibid. exemp. IX. *militibus per xx.*] Scribo, *limitibus.*

CAP. IV. exemp. I. *captivis latera euntium prætexuit.*] Alias, *captivos lateri e. p.* Sanutus: *exercitus latera captivis obtexit.*

Ibid. exemp. IV. *qua non exspectabatur.*] Stevvechius, *qua non sperabatur aditus, intravit.* idem alias τὸ *aditus* delet. Libri quidam, *qua non exspectabatur, aditum intravit.* Sed vocem *aditus* omnibus modis delendam censet Salmasius. sic alibi: *Qua non exspectabatur, irrupit.*

Ibid. exemp. IX. *assecutus est,* &c.] Ita Modius. Alias ineptissime, *assuetus est, (quia Porus a. r. caveretur.)*

CAP. V. exemp. III. *liberasset.*] Stevvechius, *superasset.* emendatione, ut mihi videtur, non admodum necessaria.

Ibid. exemp. VI. *C. Duillius.*] Ita lego, non *Cn. Duillius,* uti vulgo est.

Ibid. exemp. VI. *milites proras presserunt.*] Alias, *milites in proras cesserant.*

Ibid. exemp. VII. *Menœcium.*] Modius recte, *Monychium,* sive *Munychium*; & sic reponendum. Atque ita legendum monuit Ortelius. Munychia, Μουνυχία, Atticæ portus, haud procul à Pyræeo, à Rege Athenarum Munycho appellatus. Vide præter Ortelium in Thesauro Geographico Clariss. Meursium Atticar. Lectionum lib. I. cap. XIV.

Ibid. exemp. VIII. *fossam pressit.*] Stevvechius, *percussit.*

Ibid. exemp. X. *militem agere cœpit.*] Lege, meo pericu-

periculo *limitem agere cœpit.* Idem exemplum repetit Frontinus lib. III. cap. IX. 9. aliis tamen verbis: sed talibus, unde facile appareat hic *militi* locum non esse. *Aggerem*, inquit, *facere cœpit, aggesta terra & palis defixis.* Qui *Limes* Frontino. *Limitem* autem *agere* dixit: hinc *Agentes* sunt qui limites agunt. *Principium artis Mensoriæ in Agentis positum est experimento*, scribit in Fragmento quodam de Limitibus Frontinus. Et Hyginus: *Limitibus secundum suam legem latitudines dabimus, & aperiri in perpetuum cogemus. Plurimum enim Agentibus præstat actuarii perpetua rectura, ex hac diverti nisi per negligentiam non potest.* Frontinus etiam alibi *Agentis* meminit. Sed de tota Limitum & Agrimensorum ratione legendus eruditissimus Salmasius ad Solini Polyhistora, singulari Diatribe aliquot paginarum, quæ incipit fol. 669.

Ibid. exemp. X. *limite.*] Bene. ita quatuor Mss. & Stevvechius: vulgo, *milite.*

ibid. exemp. XI. *similibus.*] Alias, *sublimibus f. c. o. t. d. t. c. confudit.*

Ibid. *simul humo quoque & in frondibus.*] Corruptissimum locum ingeniose Salmasius emendabat. *simul humo contecta frondibus.* Posset etiam, *humo cooperta frondibus.*

ibid. exemp. XIV. *occupandum.*] Alias, *occupatum.*

ibid. exemp. XIV. *illas quoque angustias.*] Ita Modius, cum antea esset, *ille per angustias noctu.* &c.

ibid. exemp. XIV. *eluctatus.*] Alias, *frustratus.*

ibid. exemp. XV. *retentos*] Alias, *petendos.*

ibid. exemp. XVI. *dein de industria.*] Ita Stevvechius, vulgo *de industria.*

Ibid. exemp. XVII. *ad exercitum hostium.*] Modius, *exercitu.*

ibid. exemp. XXI. *Clodium.*] Ita Modius. vulgo, *gladio*.

Ibid. exemp. XXIV. *ipsos.*] Stevvechius, *ipsum.*

Ibid. exemp. XXVI. *deducti.*] Stevvechius, *edito.*

ibid. exemp. XXVIII. *certa.*] Alias, *cuncta.*

CAP.

CAP. VI. exem. I. *duceret.*] Mss. *educeret.*

Ibid. exemp. III. *deduceret.*] Malim, *educeret*, sic supra Mss. Stevvechio placet, *duceret.*

ibid. exemp. III. *suffugere.*] Ita Modius: cum alii *fugere* aut *sufferre* legant.

ibid. exemp. IV. *delituerant.*] *delituerant d. a. e. ipsi Boii ingressos hoste, proximis u. impulerunt*, Stevvechius.

ibid. exemp. II. *consternerentur.*] Alias, *continerentur.* forte, *compingerentur.*

ibid. *utilior exemplo temperantia.*] Vide Modium.

CAP. VIII. exemp. III. *ad Sitium.*] Modius, *ad Clusium.*

ibid. exemp. IV. *M. Curius.*] Ita lego: vulgo, *Marcus C.*

ibid. exemp. V. *suspicione.*] Stevvechius, *suspectione.*

ibid. exemp. VII. *cum missi essent.*] Ita Stevvechius, & Mss. vulgo, *misissent.*

ibid. exemp. VII. *peritiam.*] Mss. *artem.*

ibid. exemp. VII. *consiliis.*] Alias, *consiliariis.*

ibid. exemp. VIII. *agi mulos cum fremitu, & sonum* &c.] *agi mulos cum fremitu & sono iussit, & continuere se illi arbitrati c. C. m.* Modius: quem vide.

ibid. exemp. XI. *advocato.*] Alias, *avocato.*

CAP. IX. exemp. I. *A. Manlius.*] Forte, *Cn. Manlius.*

ibid. exemp. II. *Prope.*] Alias, *propere.*

ibid. exemp. III. *attenderunt.*] Modius, *intenderunt.* alias, *accesserunt.*

CAP. X. exemp. I. *abrumpere.*] Alias, *abripere.*

ibid. exemp. I. *per singulos pilos vellere.*] Mss. *per singula vellere.*

ibid. exem. III. *decernendi*] Mss. *decertandi.*

ibid. exemp. III. *in collos.*] Mss. *ad colles.*

CAP. XI. exemp. I. *Cn. Manlius.*] Mss. *Gn. Manilius.*

ibid. exemp. III. *ut decimani tanquam pracipua fortitu-*

fortitudinis testimonio cogerentur] Ita legendus hic locus, miserrimum in modum antea depravatus. Cæterum pro *cogerentur*, aliter Frontinus ipse *concitarentur* lib. IV. cap. V. exemplo XI.

ibid. exem. VI. *adductus*.] *Abductis*.

ibid. exemp. VII. *Leotychidas*.] Ita lego: vulgo, *Eutidas*.

ibid. exempl. IX. *aram in castris statuit, & circa eam*.] Ita lego: vulgo, *arma in castris statuit & circa ea* &c.

ibid. exemp. IX. *perequitassent*.] *Praterequitassent*.

ibid. exemp. X. *cum animadvertisset lucum*.] Ita Modius: cum vulgo esset, *locum*.

ibid. exemp. XIII. *Hoc genere Strategematicon*, &c.] Hæc usque ad XIV. exemplum è glossa esse suspicatur Stevvechius. In quo gravissime peccat. Obscurum locum equidem fateor, & suspicatus sum aliquando legendum in fine, *ut ab Diis monstrata credantur*, pro *ut ab his m e*. Præcedentia etiam mendosissima videntur, & locum integrum sic emendabat Salmasius. *Hoc genere Strategematicon*, &c. *sed multi magis ea qua tales non erunt, excogitabuntur, ut his monstrata credantur Qua tales non erunt*, id est, *imperiti non erunt*.

ibid. exemp. XV. *Innides*.] Immo *Sunides*, aut *Sudines*.

CAP. XII exem. II. *Et ludite*.] *Eia pludite*, pro *plaudite*. I. Gulielmius apud Stevechium. Forte, *Videte, inquit, milites, Africam oppressi*.

ibid. exemp. III. *T. Sempronius*.] Immo, *P. Sempronius Sophus Cos*. Perperam hic T. Sempronius Gracchus Cos. pro P. Sempronio Sopho suppositus à librariis: ex quorum numero cuidam sciolo fortasse nomen Gracchorum celebrius magis placuit. Idem quod Frontinus, scribunt L. Florus lib. I. & Orosius lib. IV. cap. IV, domitos esse duce Sempronio Picentes, & caput gentis Asculum expugnatum, & instructa utrinque ad prœlium acie terram tremuisse: Sempronium vero Cos. æde vota Tellurem deam

deam placasse, & adhortatum attonitos stupore miraculi milites, eosque vix tandem ad pugnam impulisse: Vicisse Romanos, sed atroci & cruenta victoria, maiore exercitus parte amissa.

ibid. *adhortatusque.*] Modius, *adortusque.*

ibid. exemp. VIII. *L. Sulpicius Gallus.*] Forte, *C. Sulpicius in Galliis.* Vide lib. II. cap. IV. exemplo V.

ibid. exemp. XII. *incunda.*] Alias, *iucunda.*

LIBRO SECVNDO.

IN præfatione, *mea fuit opinio,*] m. ferto.

CAP. I. exemp. III. *humerosque exerentes.*] Ita legendum. vulgo est, *exercentes.*

ibid. exemp. IV. *& dictatores.*] Stevvechius, *ductatores.*

Ibid. exemp. XI. *interfectu.*] *Interceptis.*

CAP. II. exemp. IV. *adversumque & eorundem partem.*] Ita Modius, cum antea esset, *adversumque, & eorundem partem peditum turbantem insecutus.* Vide & Stevvechium.

CAP. III. exemp. III. [*dextro cornu.*] Inclusum hoc è Glossa esse suspicatur Stevvechius.

ibid. exemp. V. *confligatis.*] Modius, *profligatis.*

ibid. exemp. XII. *Lucanos.*] ita lego: vulgo pessime, *Lycaonas.*

ibid. exemp. XIII. *Gastron.*] ita lego: vulgo est, *Castronius.*

Ibid. exemp. XVI. *retro.*] Alias, *recta.*

ibid. exemp. XVII. *pernicitati.*] *Pervicaciæ.*

ibid. *prosignanis.*] *Postsignanis.*

ibid. exemp. XX. *tectos.*] Alias, *tectis.* sed Stevvechius, *vectos.*

ibid. exemp. XXII. *Palæopharsali triplicem.*] ita legendum: vulgo est, *palustri prœlio Pharsaliæ.*

ibid. *sed deinde.*] Modius, *sex.*

ibid. *sed dextro latere.*] idem *sex.*

ibid. exemp. XXIII. *Catti.*] ita legendum: vulgo, *Catii.*

CAP. IV. exemp. IV. *Attilius.*] *Acilius.*

ibid. *eminentem.*] *Imminentem* Stevvechius. quem ad hoc exemplum vide. adhibe & Modium.

Ibid. exemp. V. *C. Sulpitius Petreius Cos.*] Immo, *Peticus.* quod nomen Sulpiciæ genti, & in Historiis obvium. Fasti.

Ibid. exemp. VII. *Calamarcum.* Alias, *Calamatium,* & sic fere Mss. quorum alii *Calamatrum* vel *Calamartum.* Alii, *Calaruartum,* alii, *Camalatrum.* Legendum fortassean, *M. Licinius Crassus, fugitivorum bello, ad caput Silari amnis.* Quomodo fere Orosius lib. 5. cap. 34. Vel, *ad Silarum amnem.* Sed vide infra ad exemplum 34. capitis sequentis.

Ibid. exemp. VII. *adversus Castum & Canimocum.*] *Gannicum* sive *Cannicium* videtur legendum ex vestigiis meliorum codicum. & sic ipse Frontinus hoc libro cap. seq. exemp. 33. ubi repitita est hæc historia. ibidemque diserte legitur, *ex factione Casti & Gannici,* sive, *Cannicii.* Plutarcho in vita Crassi, Γαῖος Καννίκιος καὶ Κάστος, *Caius Cannicius & Castus.* Livio lib. XLVII. est *Granicus.* Vide Orosium lib. V. cap. XXIV. & , qui ab eo sua mutuavit, Paulum Diaconum stor. Miscellæ lib. VI. & Freculfum tom. I. lib. V. cap. XVI. Mox sub finem hujus exempli est in membranis *decucurrissent*, pro *decurrissent*

ibid. exemp. X. *clare prædicavit.*] Alias, *clamare cœpit.*

Ibid. exemp. XIV. *quoque.*] Mss. *quidem.*

ibid. exemp. XVI. *interceptus.*] Alias, *interemptus.*

ibid. exemp. XVII. *tedæ & sepi.*] Alias, *sevi.*

ibid. exemp. XVIII. *in habitu sacerdotum subornatis.*] τὸ *in* delet Stevvechius. τὸ *subornatis* vero Mss. quod etiam Sanutus ignorat.

Ibid. exemp. XX. *Atheas rex Scytharum.*] Ἀτέας sine aspiratione Græci. & sic scribendum auctore Plutarcho vel solo. Apud Florum quoque, si recte memi-

memini, emendandum hoc nomen Bello Mithridatico, *Ateas.*

CAP. V. exemp. IV. *Q. Metellus.*] *L. Metellus.*

ibid. exemp. VIII. *simulata fuga regredi.*] Ita Modius: cum antea esset, *recessit* & *recedi*.

ibid. exemp. X. [*id est, Epiroticam.*] Forte Glossema est.

ibid. exemp. XI. *in adiutorium exierint.*] Alias, *adiutores.*

ibid. exemp. XII. *magnum eius modum.*] Mss. *m. vas.*

ibid. exemp. XIII. *deficiebantur.*] Mss. *deficiebant.*

ibid. exemp. XIV. *inopem commercio laborare*] Palmerius, *commeatu.*

ibid. exemp. XVII. *quos relinquebat.*] Mss. *reliquerat.*

ibid. exemp. XVII. *per avias regiones.*] Alias, *p. alias r.*

ibid. exemp. XVIII. *castella tentant.*] *castra.*

ibid. exemp XXI. *molitus imbelles suorum.*] Stevvechius, *amolitus.*

ibid. exemp. XXI. *diversam.*] Mss. *adversam.*

Ibid. exemp. XXIV. *ad internecionem*] Alias Mss. *interemptionem*, & *interitionem.*

Ibid. exem. 25. *requietos reduxit.*] Mss. *eduxit.*

Ibid. exem. 26. *Lacedæmonii Athmon.*] Casaubonus ad Polyæni II. de Epaminonda, mavult legere: *ad Isthmum:* ego *ad Onion* sive *Onium.* Aut sane legendum *ad Athmum.* Palmerio etiam *ad Isthmum* in mentem venisse, notat Stevvechius. Veterum lectionem retinet Ortelius. Polyænus & Frontinus eandem historiam, hic ad Athmon, ille ad Onium, describunt; loca inter se vicina: in Attica nempe, circa Corinthum.

Ibid. exemp. 26. *vocatis.*] Stevvechius, *evocatis.*

Ibid. exemp. 28. *pagos.*] Stevvechius, *paganos:* Palmerius, *spathas.* Quid si? *paucos.*

Ibid. exemp. 30. *pacta*] Stevvechius, *facta.*

Ibid.

Ibid. *missa principia.*] Palmerius, *remissa*.

Ibid. exemp. 31. *servatique.*] Alias, *saturique*: item *oneratique*.

Ibid. exempl. 3. *palantes.*] Ita Modius, quem vide.

Ibid. exemp. 31. *caeduntur.*] Stevvechius, *caedunt*.

Ibid. exemp. 33. *equestribus copiis.*] Alias, *campestribus*.

Ibid. exemp. 34. *M. Crassus.*] *M. Licinius Crassus.* Vide libri huius cap. IV: exemplo VII. Vbi eadem historia repetitur.

Ibid. exemp. 34. *Cathenam.*] Alias, *Catanam* & *Cantennam*. Triplex haec lectio reperitur in diversis codicibus membranaceis. At vero capite praecedenti, exemp. VII, ubi extat eiusdem historiae repetitio, varie legitur, *apud Calamarcum*, *Calamarium*, *Calamatrum*, *Calamatium*, *Calarvatum* & *Camalatrum*. Sequentia huius exempli produnt manifeste montis nomen esse, *in radicibus praedicti montis constituti*. Superiore capite etiam montis meminit, sed non praedicti. Philippo Cluverio certum est, *Calamarcum*, & *Cathenam* unum & idem esse debere unius eiusdemque montis nomen: & censet, verum genuinumque nomen fuisse, CALAMATIUS MONS. Vnde postea factum vulgare *Calmatio*, & mox *Calpatio*; ac tandem *Capacio*. unde nunc etiam opidi antiqui in eo siti ruinis appellatio manet *Capacchio Vecchio*, id est, *Calamartum vetus*.

Ibid. exemp. 34. *commutatis*.] Alias, *communitis*. Stevvechius *comminatis*. ego *combinatis*. Mss. *communicatis*.

Ibid. exemp. 38. *repetiturum.*] Stevvechius, *repetiturus*.

Ibid. exemp. 40. *In Aphrica.*] Ita Modius: cum antea esset, *in Aphrico bello*, aut, *in Aphrica bello*.

Ibid. exemp. 42. *a tergo.*] Stevvechius, *a tergo aggressus, in itinere o. f.*

ibid. exemp. 44. *induceret.*] Mss. *perduceret*.

ibid. *aversumque.*] Ita Modius: vulgo, *adversumque.*

ibid. 46. *erigerent.*] *Erigere.*

ibid. exemp. 46. *iuberent.*] *Iuberet.*

Ibid. exemp. 47. *ut primum sensit* &c.] Stevvechius: *deinde ut primum sensit minus agiliter adversam partem moveri, progressus, prælassatos f.s.*

CAP. VI. exemp. 2. *L. Martius.*] Alias, *Q. Martius.*

ibid. exemp. 4. *Romani.*] Ita Stevvechius: vulgo, *Germani.*

ibid: exemp. v. *insecutos.*] Stevvechius, *insecutus.*

CAP. VII. exemp. 4. *propere legatos.*] Ita Modius: vulgo, *ire legatos*: alias, *ire relegatos.* Alias, *per relegatos.*

ibid. exemp. VII. *Carpetanorum.*] Ita lego: vulgo est, *carpentariorum reliquerunt, quo ille exemplo,* &c.

ibid. *domum.*] Mss. *domos.*

Ibid. exemp. 13. *reliquis.*] *Reliquiis.*

CAP. VIII. in titulo. *constituenda,*] *Restituenda.*

ibid. exemp. I. *Sabinos.*] *Gabinios.*

ibid. exemp. 7. *Servilius.*] Ita lego: vulgo est, *Sinilius.*

ibid. exemp. 10. *Sabinos.*] *Gabinios.*

CAP. IX. in tit. 9. *confirmandis.*] *Consternandis.*

ibid. exemp. 6. *Atheniensibus.*] Ita lego: vulgo, *Carthaginiensibus.*

ibid. exemp. VII. [*Illi cum adventarent, persecuti, in fossas deciderunt, & eo modo victi sunt.*] Videntur alicunde irrepsisse. Sane ad Hermocratis factum non pertinent. Et, nisi egregie fallor, duo ista Hermocratis exempla Capiti suo non respondent.

CAP. XI. exemp. 4. *in præsentia.*] Alias, *in præsenti.*

Ibid. exemp. v. *Luccio.*] Alias *Alitio,* sive *Alicio.*

ibid. exemp. v. *domum Scipionis.*] *domo* Stevvechius, & nescio quis *donum*: sed cur non *domum Scipionis*?

Ibid. exemp. v. *magnificentia.*] *Gratia.* Mss. sed *munificentia*, quod alias hic legitur, mihi perplacet.

Ibid. exemp. 7. *Vbiorum.*] Ita Modius, cum antea esset *Cubiorum.* Alias, *Galliarum.* Mss. omnes mei *Cubiorum.*

CAP. XII. exemp. II. *se.*] τὸ *se* non agnoscunt Ms.

Ibid. exemp. 3. *tutatus.*] Mss. *tuitus.*

Ibid. exemp. 4. *in utroque.*] τὸ *in* non agnoscunt Mss.

CAP. XIII. exemp. 1. *fusi essent.*] Alias, *fugissent.*

Ibid. exemp. 1. *parceretur.*] Modius, *spargeretur.*

Ibid. exemp. 2. *eaque sectantes.*] Alias, *eumque.* item *eique insectandæ*, quod Modius arripit, & legit mox, *moratos.*

Ibid. exemp. 5. *eumque non armis.*] Ita legendum. vulgo est, *eumque in armis & vulneribus o. t.* Placet Modio, *eumque & armis & vulneribus o. t.*

Ibid. exemp. 7. *reliquo.*] Alias, *alto.*

Ibid. exempl. 8. *victus.*] Mss. *veritus.*

ibid. exemp. 11. *barerent.*] Mss. *haberet.*

LIBRO TERTIO.

IN præfat. *prælocutione.*] Mss. *prolocutione.*

CAP I. exemp. 1. *ad concionem vocato exercitu.*] Melius forte ex vestigiis Mss. *concione vocata, exercitui exposuit* &c.

ibid. exemp. 1. *quem exhortatio.*] Mss. *quo exhortatos.*

ibid. exemp. 11. *inopinantes.*] Mss. *inopinatos.*

ibid. exemp. 2. *emensus.*] Mss. *nisus.*

ibid. exemp. 2. *arripuerunt.*] Stevvechius, *aripuerunt.* id est, *abripuerunt.*

CAP. II. exemp. 1. *txpressit.*] Ita Modius; non, ut alias, *oppressit.*

ibid. exemp. 4. *hostilium.*] Mss. *hostium.*

Ibid.

ibid. exem. 9. *Suenda.*] Mss. *Sueda.* & *Sumeda.* Mss.

ibid. exemp. 10. *specie.*] Mss. *speciem.*

ibid. exemp. 11. *Charmade.*] Alias, *Carneade.*

Ibid. *Samniorum.*] Mss. *Samiorum.*

CAP. III. exemp. 2. *Epicides.*] Mss. *Ephycides.*

Ibid. exemp. 6. *Eoneum.*] *Coneum.* Mss. *Niconem.*

Ibid. exemp. VII. *plerumque.*] Mss. *plurimum.*

CAP. IV. exemp. 1. *protrivit.*] Alias, *prostravit.*

Ibid. exemp. 5. *Alexander.*] Legebatur hic vulgo *Q. Curtius Alexander*, tanquam ille hoc strategemate usus esset. ridicule. & recte Modius fecit, qui correxit.

CAP. IV. exemp. 5. *absumerentur*] Mss. *consumerentur.*

Ibid. exemp. 6. *conditi.*] Mss. Legendum scilicet, *abditi.*

Ibid. exemp. VI. *proprio.*] Stevvechius, *propero.*

CAP. V. exemp. 1. *victui.*] Mss. *victu.*

Ibid. exemp. 1. *distribuit.*] *Distribui.*

Ibid. exemp. 2. *praterriti.*] *Perterriti.*

CAP. VI. exemp. 1. *dimicaturus.*] *Decertaturus.*

Ibid. exemp. 3. *vacuam.*] *Cavatam.*

Ibid. exemp. 4. *inopinati, & invalidi capti sunt.*] *inopinati invalida capti s.* Mss. Fuit fortasse, *inopinati vi valida capti s.*

Ibid. exem. 7. *conciliata.*] Mss. *concitata.*

CAP. VII. exemp. 7. *Cadurcorum.*] Ita legendum: vulgo, *Caduceorum.*

Ibid. exemp. 3. *L. Metellus.*] Mss. *Q. Metellus.*

Ibid. exemp. 4. *media flumine Euphrate.*] Mss. *medio fluvio.*

Ibid. exemp. 4. *egeri terram.*] Ita Modius: cum vulgo esset, *aggeri.* Stevvechio, *aggerari* placet.

Ibid. exemp. 6. *Criseorum.*] Scribe, *Crissaeorum.*

ibid.

Ibid. exemp. 6. *affectiu.*] Ita lego: vulgo, *affectus.*
CAP. VIII. exemp. 1. *aggessit.*] *egessit.*
Ibid. exemp. 1. *Castellanique, quia.*] Mss. *Castellani, qui s. s. e. tradiderunt.*
Ibid. exemp. 2. *quatuor equites.*] Mss. *sex.*
Ibid. exemp. 2. *eodem.*] *Eorum*, Mss.
Ibid. exemp. 3. *& ob hoc in.*] ita lego, vulgo τὸ *ob* exulat.
CAP. IX. exemp. 2. *obscurabat.*] Stevvechius, *obturabat.*
ibid. exemp. 3. *nisusque.*] ita legendum: vulgo, *visusque.*
ibid. exemp. 3. *telis.*] Malim *loris*, ex vestigiis Mss.
ibid. exemp. 4. *L. Cornelius Cos.*] Mss. *Cornelius Rufinus Cos.*
ibid. exemp. 4. *firmissimas.*] Alias, *fortissimas.*
ibid. exemp. 4. *quod ipse nactus appelleres.*] Ita lego: vulgo est, *quo ipse noctu ap.*
ibid. exemp. 4. *facerent.*] Stevvechius, *fecerunt.*
ibid. exemp. 6. *cum confluerent.*] Stevvechius, *quo cum confluerent.*
CAP. X. exemp. 1. *irruptione.*] Stevvechius, *eruptione.*
CAP. XI. exemp. 5. *animadverteret.*] *Animadvertisset.*
CAP. XII. exemp. 1. *vigilum.*] Mss. *vigilium.*
CAP. XIII. exemp. 1. *Commum.*] Mss. *Comitium.*
ibid. exemp. 3. *venationi.*] Ita lego: vulgo est, *venatione.*
ibid. exemp. 4. *iumentum.*] *Iumento in adversam partem inflixerunt.* Stevvechius.
ibid. exemp. 6. *dimissis.*] *Demissis.*
CAP. XIV. exemp. 1. *excitavit.*] Stevvechius, *excivit.*
ibid. exemp. 3. *Saniturnum.*] Mss. *Samminicerum.*
CAP. XV. exemp. 6. *instructis.*] Alias, *institutis.*

CAP. XVI. exem. 2. *ceciderunt.*] Alias, *occiderunt.*

ibid. exemp. 3. *datis pollicitis.*] Stevvech. *ductu pollicitis.*

Ibid. exemp. 4. *simili consilio à se.*] Alias, *Similiter se à.*

Ibid. exemp. 5. *Qua spe simulatos.*] Stevvechius, *stimulatos*. Forte, *Qua spe simulata.*

Ibid. exemp. 5. *Hildinacum.*] Mss. *Thidiacum.* fortasse *Rhindacum* legendum est.

Ibid. exemp. 6. *ampliora.*] Stevvechius, *arctiora*: quem vide.

Ibid. exemp. 6. *prælio aptatos.*] Stevvechius, *captatos.*

Ibid. exemp. 7. *iuxta.*] Idem *intra.*

Ibid. exemp. 7. *ac fugam cogitare.*] Alias, *ac de fuga.*

Ibid. exemp. 7. *concitati.*] Alias, *excitati.*

Ibid. exemp. 8. *oppugnaturo oppidum Pompeio.*] Mss. *oppugnaturi oppidum Pompeii.*

Ibid. exemp. 9. *deinde.*] *Demum.*

CAP. XVIII. exemp. 3. *Hi dum ab Hannibale, &c.*] Forte, *Iidem dum a. H. o. & ipsi obsidere Capuam decreverunt, & nisi c. e. revocaverunt inde exercitus.* Eo sane trahere videntur Mss.

LIBRO QVARTO.

CAP. I. exemp. I. *socordia.*] Mss. *secordia.*

Ibid. exemp. I. *nobiliter.*] Mss. *notabiliter.*

Ibid. exemp. I. *semper nequam eris.* Alias, *semper necessarius nequaquam eris.* & sic Mss.

ibid. exemp. 2. *à se assa elixave milites uti.*] Ita lego, insertis duabus istis voculis *à se*, quæ nusquam in libris vulgatis comparent.

ibid. exemp. 8. *tum habebat.*] Stevvechius, *secum.*

Ibid. exemp. 13. *Beneventum castris eius &c.*] Ita legendum, non ut vulgo, *Statuentum* aut *Fatuentum.*

Ibid. exemp. 15. *aut si.*] Stevvechius, *at si.*

Ibid. exemp. 15. *lentius.*] Alii, *lenius.*

ibid.

Ibid. exemp. 15. *in principes.*] Iidem, *in principiis.* vide Stevvechium.

Ibid. exemp. 19. *qui exercitum deseruerant.*] τὸ *exercitum* delet Stevvechius.

Ibid. exemp. 21. *ut notarentur. A Patribus deinde.*] Mss. *ut notarentur à Patribus. Deinde.*

Ibid. exemp. 24. *Serinum.*] Mss. *Firmum.*

ibid. exemp. 25. *eis submitterentur.*] Ita Stevvechius: vulgo est, *ei.* Mss. *eius.* Idem statim *eis* pro *eius.*

ibid. exemp. 27. *galeatos.*] Stevvechius. *discalceatos.*

ibid. exemp. 29. *defectoribus.*] Mss. *desertoribus.*

Ibid. exemp. 31. *incensus.*] *Incessus.* & sic exemp. 37. *agger.*

Ibid. exemp. 35. *Fabius Rullus Cos.*] *Fabius Rutilius Cos.*

Ibid. exemp. 37. *remisso prius.*] Mss. *remissionem.*

Ibid. exem. 39. *metu.*] Mss. *meruit.*

Ibid. exemp. 43. *C. Curio Cos.*] Ita lego: vulgo est, *M. Curio.*

Ibid. exemp. 43. *legionis ab eo impetrari potuit.*] *legio ab impetrare p.* Mss.

ibid. exemp. 43. *oboleret.*] Mss. *oboleretur.*

Ibid. exemp. 43. *distribuerent.*] Mss. *distribuentur.*

Ibid. exemp. 44. *quam.*] Mss. *qui.*

Ibid. exemp. 44. *ferret.*] Mss. *ferrent.*

ibid. exemp. 44. *reportaretur.*] Mss. *reportarent.*

ibid. exemp. 46. *ei annuum non daretur.*] Mss. *ei non daretur, annua ara rescinderentur.*

ibid. exemp. 46. *araque rescinderentur.*] Alias, *numeroque rescinderentur.*

CAP. 11. exemp. 1. *Cassii tamen exercitum.*] Mss. *Cassium cum exercitu.*

ibid. exemp. 2. *quendam minorem*] Stevvechius, *quanquam m.*

ibid. exemp. 2. *praeoptavit.*] Alias *punctavit.*

ibid. exemp. 3. *correcta.*] *Correptis (correctis) Parthos continuit.* Mss.

ibid. exemp. 7. *superata sunt.*] *superati.* & delent τὸ *prælio.*

ibid. exemp. 7. *corpore suo.*] Mss. *suorum.*

Ibid. exemp. 7. *incognita loca.*] Alias, *ignota.*

CAP. III. *fuisse traditur.*] Ita legendum: vulgo est, *esse.*

Ibid. exemp. 4. *filiarum.*] Mss. *feminarum.*

ibid. exemp. V. *maxima.*] Alias, *summa.*

ibid. exemp. VII. *vacabat.*] Alias, *vocabat.* & sic quidam Mss.

ibid. exemp. VIII. *sagulo.*] Alias, *sacculo.*

ibid. exemp. XII. *M. Curius.*] Ita lego: vulgo est, *C. Curius.*

ibid. exemp. 14. *contra expectationem.*] Alias, *præter spem.*

ibid. exemp. 14. *ad obsequium.*] Mss. *in obsequium.*

ibid. exemp. 15. *ei tradidit.*] *Mihi tradidit.* Mss. tres, & in margine, NOTA TEMPUS AUCTORIS.

ibid. exemp. 15. *in suum convertit.*] Alias, *in usum suum c.*

CAP. IV. exemp. 1. *repetendis.*] Forte melius, *retentis.*

ibid. exemp. 2. *foret.*] Alias, *esset.*

Ibid. exempl. 2. *appetendam.*] Alias, *petendam.*

CAP. V. exemp. 1. *relegit.*] Mss. *recepit.*

Ibid. exemp. 2. *seditione in tumultu civilium armorum* &c.] τὸ *seditione* eiiciendum videtur Stevvechio. At Mss. sic exemplum hoc concipiunt, *C. Cæsar in tumultu civilium seditione armorum acta maxime tum tumentib. an.*

ibid. exemp. 4. *L. Marcellus.*] Mss. *Cl. Marcellus.*

Ibid. exemp. 4. *precatus.*] Mss. *deprecatus.*

Ibid. exemp. 4. *opima retulit spolia*] Ita Stevvechius, cum antea esset *optima*, manifesto vitio: quod nullus Mss. agnoscit.

Ibid. exemp. 6. *Nam & barbam capillumque submisit.*

misit, & postea nunquam recubans cibum cepit, honoribusque.] Mss. quidam istud *nam* non habent, & mox legunt, *honoribus quoque.*

ibid. exemp. 7. *affirmantes.*] τὸ *affirmantes* vulgo ignoratum. hic ex fide membranarum à me repositum est.

ibid. exemp. 9. *emisit.*] Alias, *dimisit.*

ibid. exemp. 11. *assecutus.*] Alias, *consequutus.*

ibid. exemp. 11. *concitarentur.*] Alias, *cogerentur.* Auctor ipse lib. 1. cap. x 1. exemp. 1.

Ibid. exemp. 14. *avem occidit.*] Mss. *non dubitavit dare pecuniam.* Quid si? *non dubitavit dare picumneci.*

ibid. exemp. 17. *cum se recollegisset.*] Mss. quidam, *cum animadvertisset gladium*, reliquis omissis.

ibid. exemp. 19. *Hispani Arabricenses.*] Ita lego: vulgo est, *Hispani cum Fabrescense* &c. Forte, *Hispani Consaburenses.* Vide Plinium.

Ibid. exemp. 20. *centum*] Stevvechius, *ducentis.*

Ibid. exemp. 21. *suorum.*] Ms. *sociorum.*

Ibid. exemp. 21. *patiendum.*] Iidem, *patiendam.*

ibid. exemp. 22 *Segobrigenses.*] Ita lego: vulgo est, *Æginenses cum à Viatotu*, &c. Posset & *Segoblenses* legi.

CAP. VI. exemp. 2. *unum ex eis obmurmurantem*, &c.] *Uno ex eis obmurmurante ac dicente, facile*, &c. Ita forte legendum ex vestigiis Mss.

ibid. exemp. 2. *contendens.*] Mss. *contendit.*

ibid. exemp. 3. *in regia sella resedisse.*] Mss. *resedere.* Q. Curtius lib. VII. *Forte Macedo gregarius miles, seque & arma sustentans, tandem in castra pervenerat. Quo viso, Rex, quamquam ipse tunc maxime admoto igne refovebat artus, ex sella sua exsiluit, torpentemque militem & vix compotem mentis, demptis armis, in sua sede iussit considere. Ille diu, nec ubi requiesceret, nec à quo esset exceptus, agnovit. Tandem recepto calore vitali, ut regiam sedem regemque vidit, territus surgit. Quem intuens Alexander, Ecquid intelligis miles*, inquit, *quanto meliore sorte quam Persæ sub Rege vivatis? illis enim*

in sella regis consedisse capitale foret; *tibi saluti fuit*: Luculentum regiæ humanitatis exemplum, luculentius à Rufo quam Frontino dilaudatum, non potui hoc loco præterire: quamquam præter modum Castigationum, & huiusmodi Commentariis sint reservanda.

ibid. exemp. 4. *deductum*.] Alias, *edoctum*, & *eductum*.

ibid. exemp. 4. *resciffet*.] Item, *reieciffet*, & *repsisset*.

CAP. VII. exemp. 5. *demonstraret*.] *Dein monstraret*.

ibid. exemp. 6. *deposcentes*.] Alias, *exposcentes*. Frontinus ipse alibi idem exemplum commemorans.

ibid. exemp. 6. *Iam, inquit Sertorius, naturam Romanarum cohortium per hoc* &c.] Mss. *Naturam, inquit Sertorius, Rom. virium p. h. v. e. o. m.*

ibid. exemp. 6. *aggredienti*.] Alias, *aggredientibus*.

ibid. exemp. 9. *&, diffundendo quæ continuerant, alimentum præstet*.] Ita Stevvechius: vulgo *ut*, mox ego *præstaret*: vulgo est *præstarent*.

Ibid. exemp. 10. *iacularetur*.] Mss. *iacularentur*.

ibid. exemp. 10. *quarum metu perterriti*.] Mss. *quare perterriti*.

Ibid. exemp. 13. *omnem*.] *Hominum*, Mss. unus. alii *omnium*.

Ibid. exemp. 17. *Pericles*.] Mss. *Paches*.

Ibid. exemp. 21. *Myronides*.] Ita lego: vulgo *Myrodines*.

ibid. exemp. 22. *censuissent*] Mss. *consuluissent*.

Ibid. exemp. 24. *Tiberius Gracchus*.] Ita legendum: vulgo monstrose, *Tigracus*.

Ibid. exemp. 24. *crucibus affigeret*.] Mss. *cruciatibus afficeret*.

Ibid. exemp. 24. *vicisse*.] Stevvechius; & Mss. *fecisse*.

ibid. exemp. 24 *fugissent*.] Alias, *fuissent*.

Ibid. exemp. 28. *flumen liberasset.*] Lib. I. cap. V. exemplo III. Ad hæc verba: *Unam spem salutis habent, si flumen liberasset*, dixi Stevvechium legere, *si flumen superasset*, correctione non admodum necessaria. Similiter & abstinendæ ab hoc loco manus Criticæ: nec legendum cum Stevvechio, *superasset.* Volo, inquam, sarta tectaque vulgata maneat lectio. Quid sit *flumen liberare* duobus his locis, fatetur se nescire Stevvechius, quare emendabat, *flumen superasset.* Probem, si non membranarum optimas, saltem ullos adstipulatores haberet libros scriptos; sed nullos habet. sane non meos tres, non Palatinos. in quibus omnibus disertim exaratum est, *liberasset.* Nec aliter legitur exemplo XIII. cap. IV. lib. I. ubi *Philippus nullo prohibente angustias freti liberavit.* Qui locus fefellit Stevvechium, alias debuisset & ille subire ferreum examen: dixisset legendum, *angustias freti superavit.* Malo exemplo, & ad instar imperitorum librariorum sciolorumque, qui quod in veterum libris statim non percepere, flagitiose corruperunt. quod illi emendare vocabant. Sic Hyginus in Mythologicis etiam *liberare flumen*, pro transire dixit, Cap. CCLVII. *Qui cum duceretur, vix tandem Mœrus liberato flumine, consequitur carnificem.* Hæc alibi Capite singulari pluribus propugnavi.

ibid. exemp. 29. *ut delectos*] τὸ *ut* delet Stevvechius.

ibid. exemp. 29. *mediocris statura.*] Mss. quidam hic *melioris*. alius *natura* cognoscit.

ibid. exemp. 29. *parmulis.*] Alias, *Spatulis.*

ibid. exemp. 29. *& galericulis.*] Alias, *galeolis.*

ibid. exemp. 29. *iuberet.*] Stevvechius. *iubere.*

Ibid. exemp. 29. *deinde ibi positis.*] Mss. *dein positis.*

Ibid. exemp. 32. *adversam faciem cedere.*] *Aversa facie cedere.* Stevvechius. Melius, *aversa acie.*

ibid. exemp. 34. *Cardianus.*] Ita legendum: vulgo est, *Sardianus.*

ibid. exemp. 34. *quo.*] Mss. *quum.*

Ibid. exemp. 38. *dimisit*] Mss. *misit.*

Ibid. exemp. 43. *Marathonem.*] Mss. *Marathona.* sic & proxime infra.

ibid. exemp. 44 *oppressi.*] Mss. *compressi.*

Ibid. exemp. 45. *Cimon.*] Ita lego: vulgo est, *Conon.*

Sex. Iulius Frontinus in Fragmento à nobis ex veteri membrana edito: Limites appellati sunt Transversi à limo, id est, antiquo verbo, Transversi: àquo dicunt Poëtæ limos oculos; item limū cinctum, quod purpuram transversam habeat; item, limina ostiorum.

FINIS.

ERRATA

sic corrige.

PAG. 7. l. 13. *abduxerat.* p. 9. l. 15. *committendas* p. 25. l. 8. *recipiant.* p. 32. l. 12. *tranquillitas.* p. 61. l. 14. *doctrina cesset.* p. 78. l. 23. *quodammodo.* p. 141. l. 13. *tabulatisque.* p. 204. l. 28. *L. Minucius.* p. 212. l. 12. *M'. Curius.*

IN ANIMADVERSIONIBUS.

Pag. 610. lin. 18. *patiens erat.* p. 612. lin. 20. CANDIDINIUS. ibid. l. 7. *expresse* VETERANI, QUI QUINA &c. p. 617. lin. 5. pone post *Palatino* punctum. ibid. lin. 20. ita scribe: CAP. XXV. *quæ tertia, donec.*] *Quæ quarta* membranæ quædam inserunt. P. 618. lin. 26. *non admodum est laborandum.* p. 619. l. 31. *Hic viri docti.* pag. 621. lin. 33. *ala miliaria.* & in parenthesi ibid *sor. error calculi* Cætera ab operis omissa vel commissa tuæ industriæ committo, mi Lector: nec mirandum, si in mala punctionum collocatione, & cognatarum literarum

rum inter se commutatione, in ANIMADVERSIONIBUS pluscula commissa sint in tanta minutie literarum. Cæterum locum hunc pag. 613. perturbato ordine editum, pessimeque acceptum, restituas ad hanc faciem.

Pag. DXXX. 6. ST. XXXV. id est, stipendiorum triginta quinque. Notandum, quod pag. DLX. 6. habemus, ST. AN. VI. id est, stipendiorum annorum sex. Similiter pag. MCX. 6. AER. IX. & pag. DLXV. 6. AER. XII. id est, ærum novem, & ærum duodecim. Quod idem est ac aliis in locis, *stipendiorum*. In eodem opere Inscriptionum pag. MCVII. 3. corrigenda Inscriptio, quæ Ravennæ in S. Anastasia, ad hunc modum:

D. M.
M. AVRELI. VITA
LIS. MILITIS. CL.
PR. ANTONI
NIAN. PANN
INF. PROVINT.
STIP. XXVIII.
VALERIA. FAUSTI
NA. FOCARIA
ET. HERES. EIUS
BENE. MERENT.
POVSVIT.

Hæc enim omnia prætermissa erant.

FINIS.